



**Ad Roberti Bellarmini disputationes theologicas De rebus in
religione controuersis Lamberti Danæi responsio, cum
indicibus locupletissimis.**

<https://hdl.handle.net/1874/416833>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E oct.

2032

U.B.U.



3


h. h.
Onici al
for a part







E. oct.

2082







88.202

803



AD ROBERTI
BELLARMINI

QVINTAM CON-

TROVERSIAM,

QVÆ EST DE MEMBRIS

ECCLESIAE MILITANTIS

Responsio.

Ad Praefationem



Am ad eum locum ventum est, ubi
Bellarminus in speciem quidem
καὶ καὶ ὅρα pro focis, & aris, ut inquit
Plato: καὶ ὅρα δὲ, & verè seu
te ipsa pro bolis, porcis, & haris pu-
gnat, Nempe pro sua culina & pro Monachis, quos
hic tanquam semideos quosdam, & (quemadmo-
dum olim Platonici, teste Augustino lib. 8. Civi-
tate Dei) velut veros Dæmones inter cælum &
terram, inter Deum & homines fingit, & esse vult.
Nā Monachos Bellarminus neque in Episcopo-
rum, & cælestium illorum Ducum, quos appellat,
numero, ordine, & sede collocat, neque numero
laicorū habet. Hoc. n. tantum & gregarios milites
facit, & in terris, terrenisque reb. & sedibus ponit.
Verū Monachos inter utrosque, in mōtib. nēpe &

turribus, & in hoc medio aëre, velut Stellitas, & pēdentes in aere homines statuit, quasi qui neq; dii sint, neque homines: sed media quædam Animalia, qui, vt Dæmones, in aere habitent, sicut docet Paulus, Ephes. 2. v. 2. Hic locus est, hæc sedes, hoc Monachorum semideorum domicilium, de quo hominum genere tamen Hormisda Papa totius illius Bellarminici exercitus summus Imperator & Pontifex ita iam pridem scripsit, *Monachi homines docti crimina serere, obtrebationum venena componere, integrā Ecclesie corpus odisse, seditiones struere, inuidiam concitare, & pro obedientia (qua in cœnobis principatum obtinet disciplina) obstinationem pertinacis amare superbia.* Deniq; hi sunt, quos retinens Mundus inhorruit. Hi sunt locustæ ille, quæ vt est Apocal. cap. 9. ex Abyllo obscurissima (Nimirum ex eius fimo) prodierunt, & similes sunt scorpis terrestribus, vt omnia ledât, occidât, violent, corrumpant. Hi sunt tres illi spiritus Ranis similes (de quibus Iohannes in Apocal. 16. v. 13. 14. vaticinatus est) qui ex ore Draconis, ex ore Bestiæ & ex ore Pseudopphetæ prodierunt, Spiritus Dæmoniorum edētes signa Satanica, quique abeūt ad Reges terræ, & totius Mundi (presertim autem Hefuitæ, è quorum societate se esse iactat miser, & filius gehennæ Bellarminus) vt congregent eos ad prælium Magni illius diei Dei omnipotentis. Tres autē esse dicuntur, quia, quæ emadmodum Hieronym. libro de Custodia Virginitatis tradit, tria primùm Monachorum genera fuerunt, eaque sola retenta, Nimirum, *Cœnobite*, qui in communi omnes viuunt, *Anachoreta*, qui soli: & *Rhemoboth*, qui bini,

qui bini, vel trii tantum congregantur, & viuunt, vt in Prioratoribus Pontificiis, quos vocant. Hoc genus à Hieronymo pessimum vocatur. Atque illud tamen est, quod primū ex Aegypto & Oriente in Occidentē transit, teste eodē Hieronymo. Sed de his alius erit dicēdi locus. Hieronymus in Il. 19. ait has esse quinque Ecclesie Dei partes, Episcopos, Presbyteros, Diaconos fideles & Catechumenos.

Mirū autē est, quod Bell. inter præcipua Ecclesie mēbra recenset Monachos, quos cōstat neque tēpore Apostolorum, neque annis plus quā ducentis postea natos: sed demū sub Christianis Imperatorib. ante Gangrense Concilium, à quo totū hoc vitæ genus improbatū tamē est, ac dānatū. Itaque Monachi & Monachatus nulla fit in toto Nouo, & vetere testamento mentio. Nā quod scribit Paul. I. Tim. 4. v. 8. corporalem *ἀσχημονίαν* tum aliquā inter Christianos nonnullos fuisse, (à qua postea primi Monachi sua instituta *ασκητική* denominarunt) nihil iuuat Monachos. Hæ enim exercitationes sine voto, sine extraordinaria vitæ genere, ad tempus, & ab omnibus Christianis fiebant. Id quod planè cum Monachismi institutione pugnat. Itaque neque Ignatius, neque Egesippus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, & alij vel Græci, vel Latini Patres (qui etiam paulo post cc. annos Christi vixerūt) Monachorū vilo pacto meminerūt. Sunt igitur Monachi Bell. tantum Ecclesie mēbra, non autem Christianæ. Christiana enim duos tantum hosce distinctos ordines habet, Præfectorum (quos Scriptura *שְׂרָפָיִם* vocat, Hebr. 13. isti clericos appellant; & Subditorū, quos isti Laicos nomināt.

Paulus 1. Corint. 14. v. 16. *Idiotas*, Petrus 1. Pet. 5. v. 3. *Gregem*. Quicquid extra eum numerum est, & à Malo est, & prorsus superacaneum: immo etiam Ecclesiæ onerosum. Itaque quod de nōnullis Syluicis, & hominibus Eremum iam habitantibus scribit ex Philone Eusebius lib. 2. c. 17. historię, id nequaquam de omnibus Christianis, sed de Iudæorū sectariis Essenis intelligendū esse vidēt omnes, qui Philonis lib. de vita cōtēplatiua legerunt. Quod verò Monachus Bellarm Ecclesiām Aciei multum instructā, & iam ad pugnam. paratę cōparat ex suorum, nēpe Thomę, & aliorū Scholasticorum, locum Cantici, cap. 6. v. 3. & 9. m. lē interpretātium, fascino & errore, nimium se militarem ostendit, & rerum secularium, præsertim bellorum terrenorum peritum. Appellat quidē Paul. potestatem à Deo datam Ecclesiæ *Arma* 2. Corin. 10. v. 4. Christianū etiā hominem panoplia armat, Ephes. 6. v. 13. item can. *Nullus* Dist. 54. Ecclesiām *castra* vocat: sed spiritualia hæc omnia esse docet Paulus non carnalia: neque tam se ducum, Tribunorum, Militarium, Centurionum, vexilliferorū, Primpilorum & Militum in campo signum pugnæ ex spectantium gnarum ostendit Paulus, quā iste sese. Videlicet, quod Paulus homines ad Pacē non ad Bella carnalia (quemadmodum iste facit ex naturæ quadam immanitate, & Hesuicici sodalitiij crudelibus præceptis) Paulus homines ad concordiam, iste ad sedes & ferinas lanienas mutuas exhortari solitus erat. Itaque Bellarminus relicto Italiæ patrio solo cum Caietano Galliæ incēdiario venit in Galliam, vt bella Ciuilia aleret, & incendia ista miserrima, quæ extingui ceperāt, re ac-

cenderet, vt ipfemet testatur. Quare quum hîc de fuæ Ecclefiæ pugnis & certaminibus aduerfus Christum, Chriftique membra dicturus efferet, Monachos prætermittere non potuit, qui funt bellorum iftorum immanium artifices, & excitatores, lanij, & carnifices.

Fingit nos Laicis affentari, clericos deprimere, quia nos fuum Magiftratui ius & honorem reftituimus ex Dei præcepto; clericis autem Pontificiis qui eum tyrannicè vlturpabant, eripuimus. Arcêda autê efl, fi potes, facta alicui iniuria, inquit, M. Tullius lib. primo de officiis, ni iniufus effer velis. Itaque ifte peccare nos criminatur, ac calumniatur quoniã officiũ noftrũ piũ, & fanctũ facimus: & eorũ sacrilegã tyrãnidẽ coercemus, aut impedimus.

Nos igitur veras Ecclefiæ Chriftianæ partes (quales in Dei verbo, Symbolis & Patrum fcriptis habemus retinemus duas, nẽpe Clericos, & Laicos (quia fic vulgo vocant) easque non ad pugnandum carnalibus armis, vt ifte facit: fed ad militandum Chrifto concordia inter fe charitate, & erga alios omnes pio affectu excitamus & cohortamur. Verũ quid Bellarminus in hac quinta controverfia fibi velit, examinemus: & quod impiè hic & falfo fcripfit retundamus & confutemus. Id quod, Chrifto Duce & auspice, nobis facillimum erit.

Ad Cap. i.

PRima inter nos & Bell. quæftio efl, Vtrũ hæc totius Ecclef. diuifio in clericos, & laicos abfq; periculo primũ instituta fuerit, & poftea retenta fit hoc vt explicet ifte, de Vocabulis *Clerici &*

Laici, & eorum origine agit. Primum frustra. Neque enim de verbis & nominibus quaerimus: sed de horum significato, quale illis affixum est, & de huius significati incommodis, iisque maximis, quae sunt introducta. Nam licet voces istas vsitata, & commoda interpretatione concesserimus: rem tamen & absurda, quae ex his nominibus Pontificij colligunt, non concederemus. Quare de verbis cum Pontificiis in hac quaestione non pugnamus, quemadmodum etiam Bellarminus ipse agnoscit col. 1058. L. C. & col. 1060. L. A. sed de rebus, & periculo primo, postea etiam blasphemio discrimine, quod inter eos, qui eiusdem Christi corporis sunt membra, ad mutuas inimicitias alendas constitutum fuit. Nam *λογομαχίας* ex Pauli praeepto 1. Tim. 6. vers. 4. Actor. 18. vers. 15. odimus.

Quae igitur incommoda ex horum Nominum significato, quale Pontificij, & malè feriatu homines fingunt, orta sint videamus: non quidem omnia illa enumerantes, sed tantum pauca. Omnino verò eò spectat, valet, & traducitur hæc Clericorū à Laicis distinctio, ut in eadem Dei ecclesia, quae concordissima esse debet 2. Corinth. 13. vers. 11. cuius membra honore alius alium praeeuenire debet Rom. 12. vers. 10. in qua nihil per contentionem & per inanem gloriam gerendum est, Philipp. 2. v. 3. sint, inquam, implacabiles inter eiusdem Christi ecclesiae membra simultates, contentiones, lites, & immanes ambitiones, dum Clerici Laicis se praeferrunt tyrannicè, eosque velut totos in peccatis natos, & Deo execrabiles esse putant, & aspernantur: Laici contra se, suumque ius, & Christi erga sese

sefe beneficium tuentur, & totam hanc inter se, & sibi præictos ac conductores differentiã contendunt solius duntaxat ordinis Politici & discipline causã constitutam esse, non salutis æternæ diuersæ his aut illis promittendæ gratiã, non fidei, non Christi beneficij minoris, quod ad dona salutaria. Nam in Christo neque est Græcus neque Iudæus, neque Scythia, neque barbarus, neque Clericus, neque Laicus, Coloss. 3. vers. 11. Et cuiusque vocatio eiusmodi grata est Deo 1. Corinth. 7. vers. 20. 21. suntque hi omnes eiusdem Christi. Id quod docet Tertullianus in lib. de Monagamia, qui locus ab hoc citatur quidem, sed non intelligitur.

In summa, eò res istaque ecclesiæ diuulsio, ac diuulsio redit, vt in singulis ecclesiis Christianis sint duo diuulsa in perpetuum Regna, duo populi separati, duo iudicum, iudiciorumque genera incommunicabilia, duo semper Reges diuersi, & duo capita, nimirum vnum, quod Clericis suis velut Abaddon ille in Apoc. 9. v. 11. suis locustis præest, videlicet Romanus Pontifex, & illius vicarius Episcopus cuiusque ecclesiæ. Alterum caput est magistratus Politicus, qui, cuiuscunque dignitatis sit, etiam Regiæ, tamen solis Laicis imperare & ius dicere, & in eos solos imperium obtinere in suo Regno, Republicæ potest: itaque hæc sunt Clericorum Pontificiorum *siue*, excellentiæ, dignitates, & priuilegia è multis, imo infinitis pauca, velut quod Clerici Laicis neque iudicibus, neque Magistratibus eiusdem ciuitatis sunt subditi can. *Si Imperator*. Dist. 96. Clerici suis priuilegiis, quantum cupiant, renuntiare non possunt cap. 15.

Diligenti. Ext. De Foro Competenti. Clerici suæ Ciuitatis Magistratibus etiam Regibus fidelitatē ac obedientiam iurare neque debent, neque possunt, id est, se fore illis obsequentes & fideles, can. Porro scias. Dist. 63. can. Nullus Ep. scopus. xxi. quæst. v. Clerici, & res, bonæque eorum ab omnibus muneribus & oneribus totius ciuitatis communibus eximuntur, can. Ecclesiarum. xi. quæst. ii. cap. Non minus. Ext. De Immunitate Ecclesiæ. At verò in eadem Ecclesia & Ciuitate qui sunt Laici, primùm de rebus Ecclesiasticis nihil dispondere, iudicare, & ordinare possunt, quantumuis sint Imperatores, can. Bene. Distin. 96. & summi in ea Republ. Magistratus. Laici contra Clericum testimonium ferre in iudicio, vel extra iudicium non possunt. Laici non possunt in ecclia cantare in pulpito, & cum Clericis, can. Nulli liceat. Dist. 92. Denique Clerici Dij appellatur. can. Satis euidenter. Dist. 96. can. Sacerdotibus. xii. quæst. i. Laici autē plebs & viles animæ. Quid igitur Laici? sunt viles pulli nati infelicibus ouis. Quid contra Clericus? est gallinæ filius albæ. Quid obsecro, maiores in Ecclesia Dei discordias, contentiones, similitates excitare inter Christianos potest, quàm eiusdem corporis Christi tam inæqualis partitio, & societas, in qua Clerici omnia priuilegia habent: Laici nullū. At cōtrā Tertu. lib. de Castitate, Nōne, ait, & Laici Sacerdotes sumus?

Quamobrem intelligunt Pij viri, quum istam Clericorum, & Laicorum in vna & eadem Christi Ecclesia separationem damnamus, nos, non voces voces ipsas, non quædam verba & vocabula insectari,

stari, & damnare: sed ipsa summorum inter Christi membra discordiarum semina, quæ prorsus tollenda sunt, ne more veterum Italorum in singulis Ciuitatibus factiosa Guelphorum, & Gibellinorum nomina ex istis Clerici, & Laici differentiis nata in nostrum exitium alamus. Rectè igitur M. Lutherus, rectè Iohannes Calvinus, rectè nostri tam periculosam, & perniciosam distinctionem Christianorum hominum matrem odij, nutriculam seditionum, parentem ambitionis sublatam cupiunt.

Porro Bellarminus in Nominibus istis explicandis planè se imperitum, & infantem ostendit, quum tamen ex can. *Cleros*. Dist. xxi. ex Isidori, lib. 7. Etymologicè, cap. De Clericis, ex Henrici Stephani, licèt Calvinistæ, id est, pij Thesauro, id discere potuit. (Nam Iulium Pollucem, lib. 3. & 8. prætermitto, tam bonos enim autores iste non e- uoluit.)

Vocabulum κληρος latè patet. Nam & sortitionem ipsam, & id, quod non arbitrio nostro, sed isto euentu, ac sortitione obtinemus, significat, quodcunque rerum genus sit, siue Hæreditas, siue bona mobilia, siue immobilia. Quia verò sortitio cuique tribui Israelix sua in terra sancta portio contigit, Ios. 14. ver. 2. factum est, vt vnaquæque ex istis portio κληρος diceretur: & quod cuique à Deo (à quo pendet Mundi partitio, & immediatè sortitium euentus, Prouerb. 16. versic. 33.) obtigit illud. Sors, & κληρος generaliter nominetur, & *Partis*, & *Hæreditas*. Ps. 16. & 60. Hinc Ecclesia, quã sibi ipse Deus elegit, Sors, & κληρος Dei appellatur, 1. Petr. 5. versic. tertio. Deuteronom. 32. vers. octauo:

eaque tota, non pars duntaxat eius, vt isti putant. Hinc caelestis illa piorum conditio gratis à Deo per Christum iis destinata, *Sors*, & κλήρος dicitur, Coloss. 1. ver. 12. non quòd fortitò illis, aut fortuitò obueniatur, sed ex ætèrno Dei decreto, voluntate, & beneplacito, Ephes. 1. v. 10. 11. obtingit illis, neq; tantùm quòd ad solam Dei prædestinationem, & nostrã vocationẽ, vt impie Bellarminus putat: sed etiã quòd ad ipsam illius sortis, & caelestis vitæ afflictionem, vt docet Paulus, 2. Timoth. 1. v. 9. Beneplaciti enim & κλήρος nomen omne meritum operum nostrorum excludit.

Ab hac autem κλήρος voce fuit deriuata vox *Clericus*: vt à voce λαός ex Luc. 2. vers. 10. *Laicus*: quæ nomina primùm absque fastu, & ambitione, periculo, vel contèptu sunt vsurpata: postea verò magna tyrannidis, & superbix, ac simultatis in Ecclesia semina fuerunt, quum Clerici in Laicos tyrannidem arriperent, Laici à Clericis se contemni, & opprimi non paterentur. Ergo melius erat, vt totus (qui est in Ecclesiis singulis populus) diuideretur in *Presbyterium* & *Gregem*, ex 1. Timoth. 4. ver. 14. 1. Petr. 5. v. 1. & 3. Tota enim in vniuersum Ecclesia est Dei κλήρος: non solum autè Ecclesiæ Præfecti: multòque minus Rasi, & Vncti.

Verùm quas Bellarminus contrà rationes afferat, perpendamus. Nititur igitur confirmare suã sententiam, nempe Clericorum nomen pro solis Ecclesiæ Præpositis in Dei verbo scripto legi. Ac primùm profert locum ex Hieremiæ capite duodecimo, quemadmodum ipse vult, vbi sic scriptũ sit, *Cleri eorum non proficient eis*. Respondeo, Impu-

dens

dens est Bellarminus, qui mentiatur tam apertè, affirmetque esse scriptum in Dei verbo, quod nusquam extat. Nam si quis locus est cap. 12. Hierem. est ver. 13. quem Bellarminus profert, ubi sic habet vetus versio, *Seminauerunt Triticum, & spinas messuerunt: hereditatem acceperunt, & non eis proderit.* Noua verò & fidelis versio sic, *Quum seminauerint triticum, spinas metent: quum in dolo uerint laboribus, non proficient:* quæ planè cum verbis Hebræis consentit. Ergo frustra ex Epiphaniij, Hieronymi, & Origenis interpretatione contra Hebræicam veritatem pugnat Bellarminus, qui ne aspexit quidem locum Hieremiæ, quem tamen citat.

Secundo loco profert, ac citat ex libro Numerorum cap. xv. 1. ver. 3. ubi uocabulum *Clerus*, aut *Clericus* ne pictum quidem, nedum scriptum extat. Quid igitur aduersus Lutherum, & Caluinum Bellarminus obgannit? seditiosos quidem homines in legitimos suos Pastores esse coercendos, quis nostrum vnquam negauit? Sed de eo non quaeritur. Quæritur de nominibus istis, *Clericus*, & *Laicus*, quæ in Sacra Scriptura vsquam ad discrimen populi Christiani statuendum extare pernegamus. Quamuis autem Bellarminus hinc se in omnes formas vertat, probare suam, nobisque contrariam sententiam tamen non potest.

Nostri contra obiiciunt. Ista nomina, istaque distinctio, turbas in Ecclesias, uti supra demonstrauimus, peperit: Christum non æquè omnium Mediatorem, & seruatorem Christianorum proponit, insinuat, ac retinet contra Pauli doctrinam, Galat. 3. versic. uicesimo octauo. *Omnes enim in*

Christo vnus sumus: diuellit, & in factiones trahit membra Ecclesiæ, quæ debent esse inter se vnitissima, Philip. secundo. Et go tollenda est, & extra vltimas terrarum oras amandanda. Respondet Bellarminus sola inficiatione, quoniam aliud non potest. Ait enim istam esse membrorum Ecclesiæ solùm distinctionem, non diuulsionem. Respondeo Bellarmino, Res ipsa clamat verum esse, quod dicimus. Nam ex ista distinctione factus, & tyrannis Clericorum nata est, & contemptio Christianorum Laicorum: vnde postea rixæ, & bella inter Pontifices, & Imperatores luctuosa, conflata.

Obiicimus secundò, quod Petrus ipse in sua Epistola priore, capite quinto, versic. tertio, scribit totam in vniuersum Ecclesiam esse clerum Dei, non solos Ecclesiæ Præfectos. Quid Bellarminus?

Primum variè respondet suo more, & sibi contrarius est. Nam modo refert vocem *Clerus* apud Petrum ad solos quos vocat, Clericos. Deinde mutata sententiã, ad totam Dei Ecclesiam pertinere scribit, quoniam tota Christi sanguine redempta est, non vna tantùm illius pars, Ephes. 5. versic. vicesimosexto. Tit. 2. versic. decimoquarto. Respondeo Bellarmino, pedem figat ipse in ea, quã præfert, solutione: tunc nos, nisi verum dixerit, cū eo pugnabimus. Nam in his solutionibus manifestè sibi contrarius est: itémque falsarius, quū ex Numerorum, capite 18. versic. vicesimo. Deutero. 18. versic. secundo, falso colligit Leuitas esse sortem Domini, quum contrà Dominus dicatur *Sors esse*

esse Leuitarum. Sic iste Sacræ scripturæ locos, & scripta peruertit, & commaculat.

Ad Cap. 11.

QUæ in hoc capite secundo tractat traditve Bellarminus, ea sunt futuræ postea iustioris inter nos pugnae tantum præludia, & apparatus, quem iste, suo more, sæpe sæpius ostentabit, ut repetet. Itaque, ne, sicut iste, actum iam semel postea adhuc agamus, integram de ea re disputationem nostram, & huius confutationem in suum & commodiorem locum differemus. Interim obseruet pius Lector Bellarminum non eum ordinem disputationis de Institutione Ministrorum ecclesiasticorum sequi, quem proposuerat: sed primum ordiri ab ea parte, quam vocat ordinationem, quam tamen col. 1062 .L.D. secundam non primam constituit ipse. Itaque ipsemet Bellarminus astute suum *ὄσ-ερον* facit *ὑπότερον*. Deinde & à suis, & à Patrum omnium, imò Conciliorum quoque decretis, & verbis discedit, studio nouitatis, Bellarminus. Concilia enim, Patres, Canonistæ, & Sententiarij, Episcoporum Ecclesiasticorum legitimam institutionem in duobus tantam ponunt, iste in tribus: Illa duo sunt Electio legitima, & post Electionem, Confirmatio: iste Electionem, Ordinationem, & Missionem nouis vocibus appellat. Denique Vocationem iste vult postremam esse in legitima Episcoporum institutione, quæ, (mortalium omnium iudicio) prima semper esse ac præcedere debet, & teste paulo ipso Romano. 10. ver. 15. Alias verò

Institutionis & electionis legitimæ episcoporum partes essentielles, vt aiunt, recenset glossa in cap. *Quia propter* 43. & cap. *Ecclesia* ad vocem *Processus*. Extra *De Electione*, quas omisit iste prorsus hoc loco.

Ad Cap. III.

ORdinationem, quam iste appellat, Nos autem cum Paulo I. Timoth. 4. ver. 14. 5. ver. 22. Imo cum Canonibus ipsis can. *Episcopus*. Dist. 23. Manuum impositionem vocamus, hanc, inquam, ab iis, qui præfecti sunt ecclesiæ imponi, & fieri, & quidem à solis, non negamus, quod ad ceremoniam & executionem ipsam: sed quod ad auctoritatem, & consensum, totus ecclesiæ populus, id est, Clerus & laici nimirum, vt vocât, ordinat, quia vtrorumque nomine imponunt Manus iam electo Ministro præpositi ecclesiæ, & quidem præsentem toto ecclesiæ cœtu, id est, clericis, & laicis, & cõsentiente. Nam, ex ciuium, & populi totius testimonio & consensu ordinandi sunt Clerici, ex concilio & Carthaginensi tertio, vt est in can. *Nullus ordinetur*, atque etiam quarto, can. *Episcopus*. Dist. 24. Denique totus can. *Quando Episcopus* ibid. eodem spectat, & idem manifestè docet Eusebius lib. 6. c. 8. & 10. Historiæ, Cyprianus lib. I. epist. 4. Romanum Conciliū sub Syluestro, vult & fancit, vt ordinandus habeat vota cleri & populi. Quare nequaquam inter nos & Bellarminū de eo quæstio est, Vtrum Manus impositio electo iam Ministro Ecclesiastico fieri ab Episcopo vel ecclesiæ Præposito itidem ecclesiastico debeat. (Neque enim id negamus, quod ad factum ipsum executionem & ceremoniam)

niam) sed de hoc controuersia tota est, Vtrum suo tantum, vel solius cleri nomine id Episcopi manū imponentes agant: an vero totius Ecclesiæ, id est, & Clericorum, & Laicorum, quos vocant iure, nomine, voto approbatione, & autoritate. Totā enim Ecclesiam ab illis, qui manum electis imponunt, representari dicimus, nō vnā duntaxat eius partem, vel ordinē, quemadmodum hic sentit. & scribit Bellarminus. Quare frustra nobis obiicit, Leuit. 8. Act. 6. 1. Timo. 4. v. 14. vt probet ab Apostolis, & Presbyteris impositas fuisse manus electis iā à tota Ecclesia Ministris. Nam ex ipsius totius Ecclesiæ voto, consensu, autoritate, & nomine id factum est, quemadmodum apparet, ex Actis 6. v. 3. & 5. 14. 23. Tit. 1. v. 5. quos locos vel nunquam legit, vel non satis animaduertit, & perpendit Bellarminus.

Eodem modo respondemus ad Patrum omnium autoritates, quas col. 1064. L. D. citat Bellarminus. Quanquam omnino esse necesse, vt Inferior a superioris gradus Ecclesiastico Ministro ordinetur, non video. Nec enim tam necesse est, meo quidem iudicio, vt non possit ad id agendum delegari Presbyter, velut ad imponendas ex Ecclesiæ (quā representet) autoritate Pastori iā electo manus, si res aliqua obstet, quominus Pastor adesse, & id præstare possit. Nam & Laicus ex delegatione sibi facta potest in Clericum, & in ipsam Ecclesiam potestatem ac iurisdictionem habere, & multis aliis casib. vt docet glossa in can. *Principes* xxiii. quest. v. quatenus enim Ecclesiam is, qui imponit, totam refert, maior est, quouis eiusdem in armis Ecclesiæ

membro. Tamē ipse suaferim, ad maius totius illius ordinationis, & manū Impositionis decus, ac cōmendationē, vt, quantū fieri potest, Maior & superior sit gradu ille, qui iam electo Ministro manus imponit. Minor enim à maiori est benedicendus, Heb. 7. ver. 7. Illa verò ratio, Cur à solis Episcopis manus imponi debeant electis, Nempe quia solus Episcopus Spiritum sanctum electis dare potest, falsa est, & est Donatistarum erroribus (qui vim ecclesiasticarum actionū ex manu Ministrorum metiuntur) scaturit, & profecta est, licet Damasus Papa Epist. 4. & Spaliense Cōciliū c. 5. eā ineptè probent. Ceterum, vt ingenii sui acumen ostendet in re leui Bell. & in Mustaceo laureolam captet, ait tripliciter accipi posse, quod dicimus, Ab Episcopis Totius Ecclesiæ autoritate electos iam Ministros ordinari, Nempe vel ratione Vtilitatis communis, quam tota Ecclesia ex ea ordinatione 1. Pet. 4. v. 10. postea capit: Vel ratione euitandæ confusionis, quæ in Ecclesia Dei vitanda est 1. Corinth. 14. v. 40. vel denique ratione potestatis, quam penes se habet tota Ecclesia suorum Ministrorum eligendorum & approbandorum. Respondemus Bellarmino, Ecclesiam vnāquamque habere potestatem penes se & elegendi, & approbandi, quos elegit ad sacrum Ministerium inter se exercendū, id quod facit per eos, quos sibi Perfectos Ecclesiasticos habet, non autem a *Carolis* & seruatis iis in electione & approbatione suorum Ministroū, quæ Paulus 1. Tim. cap. 3. & Tit. 1. seruare præcipit, non autem ista agit Ecclesia ex præiudicio, vel animi temeritate, & solo suo arbitrato.

Verum

Verum Bellarminus id negat, quia totam hanc Ministerij sacri alij committendi potestatem & auctoritatem latere, inhærere, subsidere putat in oleo, chrismate, ceremoniis, quibus membra, manus & persona Pontificiorum Pastorû, qui alios ordinât, unguuntur, delibûtur, ornâtur, Itaque, ait, qui istas ceremonias & hoc oleû nō accepit, potestatem Ministerij sacri exercēdi aliis cōferre nō potest. R. Bell, esse fallaciam A non causa. Hoc enim suæ sententiæ erroneæ fundamentum falso præsupponit, non probat ex vilo S. scripturæ loco Bellarmini. Paulus 1. Timot. 3. Tit. 1. Act. 14. v. 23. vbi totâ electionis & ordinationis istius sacrae formam, rationem, ordinem copiosè tradit, nihil tale habet. Imo rebus istis externis & carnalibus alligare Spiritus Sancti gratiam, aut Pastorum potestatem in his includere, est dogma planè Magicum, ac cabalisticum. Quare falsa est & inepta istius conclusio, apud nos Nullam esse Ecclesiam, quia nulli sunt Pastores veri. Nullos autem esse veros Pastores, quia nō sunt rasi & uncti à suis Rasis & unctis. Habemus enim & veros Pastores, & veram Ecclesiam, ad quam gubernandam legitimè sunt vocati, si modo quod ex Dei verbo fit, legitimum est. Quid est igitur tota hæc Ministrorum Ecclesiasticorum ordinaria institutio? Est prudens totius Ecclesiæ iudicium, verboque Dei scripto consentiens de quopiam, quam ad Ministerij ecclesiastici partem aliquâ tenendâ & exercendâ Ecclesia tota idoneû celsit, & probavit. Quare totius istius sacrae Ministrorû sacrorû institutionis, fundamentû est Dei

sis ministerij sacri
 obom non

præceptū & iussus, qui tales cligi iubet ad gubernandā suā Ecclesiā, Ephes 4. ver. 11. Forma, & quidē essentialis, eiusdē institutionis ordinariæ est vox suffragiū & iudiciū Ecclesię totius ex Dei verbo & præcepto formatum, ac prolatum, Acto. 6. 14. v. 23. 2. Corint. 8. v. 14. 1. Corint. 16. v. 3. 4. Finis proximus, & edificatio Ecclesię: remotior, Dei gloria. Materia ipsi Eligentes. i. Ecclesiā tota, & Electio, id est, ij, de quibus fert suffragiū Ecclesiā, Ephes. 4. v. 12. Ex quibus apparet neque in Episcopo rum personis, & motu, quantumuis vnctā, posita esse hanc Ministerij sacri aliis committendi, & conferendi potestatem, sed in totius Ecclesię prudenti suffragio, & ex Dei præceptis regulato: neque in ceremoniis, externisque consecrationibus, aut rebus includi hanc potestatem, quæ sunt externa testimonia solum legitimi cōsensus, & iudicij totius Ecclesię, sed ex Dei solo præcepto & promissione pendere, qui istis actionibus sacris & Ecclesiasticis à se præscriptis, magna sua misericordia, benedicit, Acta. v. 24. Qui enim sic eliguntur à Deo ipso vo cantur, iisque benedicit Deus.

Quare Pontificij electiones suorum Ministrorum Ecclesiasticorum faciunt res planè magicas, ut pote quæ ex certorum verborum pronūciatione, certarum ceremoniarum externarum administratione, & opere operato profus pendunt, iisque includuntur: atque sic neque Deo, neque Episcopis seu Personis etiam ipsi hoc ius Ministerij sacri committendi tribuunt, sed oleo, chrismati, pedo, chirothecis, sandaliis, quibus ornati induti que fuerunt Episcopi, ac delibuti. Quæ sententia est non modò

non modò puerilis, sed planè blasphemus.

Quod autem querit Bell. A quibus electi, ac instituti fuerint sacri Pastores, & Ministri nostri, intelliget audierque ex nobis postea. Ab iis enim sine Simonia vlla institutos discet, qui ex Dei verbo possunt, ac potuerunt id facere. Quod querit idem, quando esse ceperint Lutherani, Zvingliani, & Calvinistæ, quos vocat, Respondeo Ab initio Mundi, & quum primum cœpit esse Ecclesia. Nihil enim aliud sunt hi omnes, quos tam contumeliose impudens iste Monachus appellat, quàm Ecclesia vera Dei, & quàm vari piij & fideles, qui Dei verbo reiectis hominum doctrinis, crediderunt. Tales autem, & vera Dei Ecclesia ab exordio Mundi extitit, Hebr. ii. & pene annis totis quinquies mille ante natum Papam & Papistas, & eorū Episcopos. Quare & Ecclesia nostra, & nostri Pastores sunt multis seculis, vetustiores, quam Papistæ. Imo si ex sola antiquitate res hæc & controuersia definienda est, vicimus. Denique quod negat Deum alio modo agere ante constitutas Ecclesias, & post constitutas in Ministris mittendis, imperitum se totius historiæ sacræ demonstrat Bellarminus, & postea ostendetur à nobis id verum esse.

Ad Cap. I v.

FVtile est hoc caput, ad quod nos tunc respondimus, quum de Ecclesiæ autoritate in tertia, & Quarta controuersia diximus. Et in summa, Ad quoscunque legitima Electio atque Vocatio Pa-

storum pertinet ad eosdem, teste etiam hic Bellar. col. 1067. L. D. spectat eorundem Missio, quæ est tantum illius legitime electionis effectum. Cui autem maius & Principale conceditur, eidem quoque, & minus & accessorium. Ergo uti ad totam ecclesiam pertinet electio, sic & Missio, id est, in possessionem & exercitium electionis iam factæ ac confirmatæ introductio, & administratio ipsa electionis. Sed id facit tota ecclesia per suos præpositos: imprimisque per eos, qui de Doctrina iudicant, & à quibus eam audit & discit ut confusio euitetur in Ecclesia Dei. Ergo ius & autoritas mittendi, est penes ipsam Ecclesiam: executio vero & communicatio istius iuris in electos fit ab Ecclesiæ pastoribus, totius Ecclesiæ nomine. Nec aliud probant exempla à Bellarmino hoc capite prolata. Nam rancidum illud toties ab isto iam appositum, *Tibi dabo claves &c. Pasce oves meas &c.* & a nobis millies refutatam, hic omittimus, ne lectoribus piis odiosi simus.

Ad Cap. v.

Hic iam ostendit Bellarminus se frustra tria superiora capita præmisisse, quia totius huius disputationis de Ministrorum institutione definitio & cardo pendet ex hoc vno capite, & vna hac questione, videlicet, Ad quos eorum vocatio pertineat. Quæ quum brevissime tradi tractarique potuerit, ac expediri debuerit (est enim magis breuitatis) Bellarminus eam in sex capitula longissima diffundit, & suo, & nostro otio tator iste abutens, quoniam quam sit fo-

ipſius peccus oſtentare cupit, & ex Muſca Elephan-
 tem facit. De electione verò Miniſtrorum
 Eccleſiaſticorum acturus Bellarminus hanc the-
 ſin primum habet, ac proponit, *electio Miniſtro-
 rum eccleſie non fit à ſolo Deo, vt ſi poteſt, veritatem*
 Euangelicam euertat ex hac ſua theſi.

Primum dubia ſeu obſcura eſt, quia diſtinguen-
 dum à Bellarmino fuit de quo genere electionis
 Miniſtrorum ſacrorum ageret, Verum de Ordina-
 ria, an extraordinaria electione. Nã de ordinaria
 electione hoc concedi poteſt, quod ad totum ele-
 ctionis actum. Partim enim fit à Deo, partim ab
 hominibus. At de electione extraordinaria, falſum
 eſt. Tota enim fit à ſolo Deo. Ergo falſa eſt in
 Equiuocatione vocis, *Electio*. Hęc quoque theſis
 falſa eſt. Nã & in electione ordinaria & in extraor-
 dinaria, quod ad autoritatem & fundamentum il-
 la eſt à ſolo Deo, Heb. 5. v. 4. Quod autè ad execu-
 tionem ſola ordinaria electio fit quoque ab ho-
 minibus. Quare quo ſenſu ſua ſcripta intelli-
 gat Bellarminus, primum exponat, neque nos de-
 cipiat.

Quod autè iſte monſtra in Iohannis Vvicleſui,
 & Huſſij ſcriptis ſurfuracea ſibi fingit, quæ debel-
 let, vt Hercules quidam ſtramineus appareat, ine-
 ptum eſt. Vvicleſuus & Huſſius hoc ſolum ne-
 garunt. parendum eſſe, cuiusuis ad Episcopatum
 licet Romanum electi hominis doctrinæ, & man-
 datis: neque ſatis eſſe, ſi quis ſe quocunq; modo
 ad Cathedram electam eſſe doceat, vt abſque exa-
 mine vllò ipſius doctrina & præcepta proba, &

sancta censeantur. Hoc illi voluerunt: reliqua illis affingit iste. Itaque inane est, quicquid contra eos hoc loco disputat. Sed nonum non est, ut inaudita dogmata nobis Bellarminus imputet, tam est malignus & κακοήθης. De Ministrorum autem sacrorum electione, quæ fit per sortes: & de sortium euentu, vnde sit, vtrum à casu, cœlo, Diabolo, aut Deo, quæ hoc loco scribit Bellarminus, omnia sunt profusè ἀπὸ τοῦ δίουλου, & ἀδὲν καὶ πρὸς τὸν καὶ κενὸν δόξαν seu vanæ animi ostentationē ab hoc conquisita: & cōparata. Quæ quū nihil ad rē faciāt, sunt à nobis negligēda.

Quam verò Bellarminus imperitum se declarat in loco Actorum cap. 1. vers. 26. explicando, vbi de Mathiæ in Apostolatu constituendi ratione, quæ sortibus iactis facta est, agitur? Modò Solē ipsum lucere negat, id est, veras fuisse istas sortes negat, sed lumen aliquod de cœlo demissum: modò veras sortes cōtrā fuisse ait, & eas ex particulari Dei reuelatione præceptas, quod tamen idē postea factum negat, & sese evertit. Sibi igitur primū constet Bellarminus: sed homo iste tenebrius, vti est ingenio versipellis: sic nusquam consistit, pedē figit, aut stabile stabulum habet, sed subsultoria leuitate variat. Hoc verò exemplum Mathiæ planē Bellarmini sententiam confutat, qui supra cap. 3. scribit Apostolos suum munus à Petro per manuum impositionem accepisse col. 1067. L. B. §. *Deinde.* Aderat enim Petrus, à quo non creatur Mathias Apostolus: sed à solo Deo per sortes.

Ad Cap. vi.

HÆc quæstio, vtrum Christiani Pastores carnali successione, propagari debuerint, primū nihil

nihil ad istum Rhombū de legitima Pastorū nostrorum Electione. Neque enim nostrum quisquā inde vnquam electionem nostrorum Ministrorū confirmavit. Deinde omnino ineptē probatur à Bellarmino sua ipsius sententia. Sola enim caussa, cur carnali successione Pastores sub Euangelio nō propagentur, est, quòd Deus ex quouis populo, & gente, homines ad Euangelij notitiam & prædicationem vocare voluit, vt est II. 66. vers. 25. non ex vna duntaxat gente, quemadmodum sub lege, & vetere Testamēto fecerat. Quod autem à posteriore iste argutatur de filiis Pastorum Euangelicorum, qui nulli esse possunt, quum Pastores sint, & esse debeant cœlibes, est falsum. Habent enim istorum Sacerdotes innumeros filios, & extat apud eos Titulus extrà lib. primo, *de filiis Presbyterorum ordinandis, & in decreto*. Denique quæ iste metuit ex successiua & hæreditaria Pastorum propagatione per seminalem rationem incommoda, facile propulsarentur à nobis. Potuit enim, vt in Regno Iudæ, esse ista Pastorum successio carnalis ex parte, & ex parte electiua sicut in Regibus ex vna Davidis familia constituendis. Id quod sequuntur, & faciunt Imperatores Turcici seu Ottomanici, inter quos etiam est filiorum ex eadem familia electio ad Imperium, sed cum iudicio Basfarum.

Ad Cap. VII.

IAm hic est totius huius disceptationis cardo, iā status, vtum ad populum ecclesiæ suorum Pastorum ac Ministrorum sacrorum electio pertineat. Hoc quærit Bellarminus: sed inuoluendæ

quæstionis gratiâ addit, vtrû hæc electio ad populum pertineat iure Diuino. Nâ ad eum aliquando pertinuisse, eoque iure populum vsum fuisse negare non potest, verum, quia est animi altutia, excipit, id contigisse, & factum esse partim ex conuientia, partim ex concessione Pontificum. Hoc est *σοφορ. & επιμαχου*, & emplastrû, quod vulneri suo assuit & applicat, quia antea populus suos Pastores Ecclesiasticos eligebat. In summa negat Bellarminus ius eligendi suos Pastores, & Ministros populo Christiano competere iure diuino, Nos contra, ad populum pertinere, & quidem iure diuino, in ordinariis Electionibus sub Euangelio, & in Euangelicis Ecclesiis contendimus.

Bellarmini rationes expendamus, quæ primùm omnes duplici vitio laborant, duplicique fallacia, Prima Ab æquiuocatione: Altera Ab ignorantia Elenchi, idque ex eo, quòd homo iste vel præcepti, vel ignarus nõ distinguit, vtrum de ordinaria Pastorum electione agat, an de extraordinaria. Nam sicut suprà capite v. docuimus, vtramque confundit, & quod Electionis extraordinariæ proprium est, ad ordinariam transfert veteratoriè, id est, migrat de genere ad genus. Quæ fallacia dicitur Rerum Confusio, & Ignoratio Elenchi. Deinde confundit iste formas Electionis Pastorum diuersas. Alia enim fuit sub lege, vbi Pastores ex hæreditaria successione Dei iussu fiebant: alia verò nunc est sub Euangelio, quia sub eo cessat propagatio Pastorum ex carne, teste Bellarmino, sup. cap. 6. tota autem ea, quæ iam ordinaria est, ex sola Electione & prudētī Ecclesiæ iudicio fit. Verum iste susque

dēque habet hæc omnia, & nihil distinguit, omnia confundit, vt nos fallat, sed se, & suos fallit, & inter sacrum & saxum hic, si vsquam alibi, heret. Sed age, Bellarmine, hanc ferram de Electione Populi inter nos reciprocemus, & tuas rationes audiamus: tu vicissim audi nostras ad tua argumenta responsiones.

Prima ratio Bellarmini est, Aaron à solo Deo absque populi consensu, & electione factus est sacerdos summus & Pontifex. Ergo pastores mnes & Pontifices sic creari, & institui debent. Respondeo, Multiplex est in hac ratione vitium, & fallacia A dicto secundum quid: nam ex particulari colligit vniuersale: Ab ignoratione Elenchi. Nam ex Aaronis institutione, quæ fuit extraordinaria, colligit quid in ordinariis sit sequendum.

Secunda ratio, Christus voluit, vt Apostoli eadem in Ecclesia prorsus potestatem, quam ipse, exercerent, Ait enim, Iohan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ergo sicut Christus Apostolos sine populi suffragio elegit, sic voluit eos Pastores eligere absque vllius Ecclesiæ consensu, & suffragio. Respondeo, Et hæc quoque est fallacia duplex, Prima, A falsa interpretatione dicti, & vocis, *Sicut*, quæ non omnimodam similitudinem, & potestatis paritatem significat, quasi idem omnino licuerit Apostolis in administratione Ecclesiæ, quod Christo. Hoc enim falsum est. Nam neque Sacramenta instituire, neque Alios Apostolos post se creare Apostoli potuerunt.

Altera fallacia est Ab ignoratione Elenchi.

Confundit enim extraordinariam Apostolorum electionem cum Pastorum electione, quæ debet esse ordinaria. Sed quid verbis opus est? Ipsimet Apostoli Bellarminam refellunt, qui quos Ecclesie ministros effecerunt eos ex suffragio totius Ecclesie, secuti Magistri sui Iesu Christi præceptum, crearunt, Act. 6. ver. 3. 14. ver. 23.

Tertia ratio Bellarmini, oves, pecudes, & armenta suos Pastores non eligunt: ergo neque homines ratione utentes debent eligere suos Pastores, & Præpositos sacros. Respondeo delirare prorsus hominem istum, qui sic argumentetur, Non posse, aut non debere homines agere, quod brutæ pecudes non faciunt. *Quas herbas pecudes non edunt, eas homines edunt.* Oves suos Pastores non eligunt, quia sunt pecudes, & carent ratione. At homines eos eligunt, quia ratione sunt præditi. Præterea quam Ecclesia quempiam eligit, nondum est ovis illius, quem eligit: uti quum Senatus, vel exercitus Imperatorem Romæ creabat, ante creationem non erat populus, & subditi illius, quem eligebant: sed post eum creatum demum fiebant, ac fiunt illius populus, ac subditi. Ergo confundit iste tempora. Nam non oves, sed quæ sunt futuræ eius oves, eligunt. Denique can. *Quantò Apostolica*, & canone *Plebs Diotrensis*. Dist. 63. Bellarminum oppugnat, qui ex populi & Cleri suffragio Pastorem eligendum esse docent, ac præscribunt. Nam quod Bellarminus ait, diversam & aliam esse Reipub. terrænæ, aliam Ecclesie in eligendis suis Ministris rationem, fallitur. Est enim Ecclesie regimen Aristocraticum, & quale est veræ Reipublice. Deinde
à seipso

à seipso confutatur, qui ubique Ecclesiam similem Regno electiuo facit, in quo populus cum Processibus Regem priore mortuo, eligit, vti Ecclesia Pastorem priore defuncto.

Quarta ratio, Quod Apostoli Episcopos Ecclesiis absque earum consensu elegerint, conuellit ex Act. 14. ver. 23. Neque enim cuiquam Ecclesiæ inuitæ datur Pastor, vt rectè scripsit M. Kénitius in Examine Tridentini Concilij. Confirmatur ex Zepherini Papæ decreto, teste Damaso in eius vita. Iussit enim vt omnes Clerici presente tota Ecclesia, ordinentur ex Clericorum, & Laicorum suffragio, non solùm Episcopi arbitrato.

Quinta Bellarmini ratio ducta est ab autoritate Conciliorum, Laodicensi cap. 13. Niceni 2. cap. 3. Constantinopolitani. quod est 8. Generalis cap. 22. vbi Laicorum etiam Principum autoritas, & vis vetatur interponi ad Pastorum munus obtinendū. Respondeo, Nulli canones vetant consensum populi in Pastorum electione requiri: sed tantùm vim, & autoritatē, qua quis Pastor fiat, (est enim hæc vis Simonix criminis species, can. *Reperiantur*, can. *Quicumque*. quæst. 1. adhiberi. Id quod & epigraphæ ipsorum, quos Bellarminus citat, canonum ostendit, si modò ad eam ipse attendisset: & can. *Si quis Episcopus*. xvi. quæst. vii. item can. *Cum longe*, & can. *Omnes*. Dist. 63. cap. *Cum terra*. Ext. *De Electione*.

Sexta ratio, sunt quorundam exempla, qui populis variis Episcopos sine populorum ipsorum consensu delegerunt, id quod fecit Athanasius eligens Frumentium, Rufinus lib. 10. cap. 9. histor.

Gregorius Augustinum, Epiphanius Presbyterus. Respondeo, His, quos Bell. putat electos Pastores, nequaquam fuerunt eorum populorum, ad quos mittebantur, Pastores, antequam ab ipsis illis populis & eligerentur, & probarentur. Verum ab Athanasio, Gregorio, Epiphanio, viri docti & pii delecti sunt, quos is populis primum & solum obtulerunt, à quibus isti qui fuerant oblati, postea fuerunt in Pastores electi, & comprobati.

Septima ratio sumitur ab incommodis, si Plebs & Populus eligat, qui & ignarus, & malus, vt plurimum est. Respondeo, Bellarminus aut peruertit, aut male intelligit nostram sententiam. Quum enim ad legitimam Pastoris Ecclesiastici electionem totius Ecclesiae suffragium ac consensum populari dicimus, id est, Cleri & Laicorum: in ea electione suas cuique integras partes relinquimus, & proprias: quae sunt, nempe Clericorum, & aliorum Pastorum, vt examinēt eligendū in doctrina, & moribus: Laicorum autem, vt hunc à piis Clericis, & Pastoribus iam examinatum, & probatum, ipsi suo suffragio, eoque libero, vel acceptent, & comprobent: vel etiam reiiciant, ac se eum nolle dicant, & repudiare pro suo Pastore possint. Nec enim inuita Ecclesiae Pastor est obtrudendus, can. *Nosce*. Dist. 63. Tertul. cap. 39. Apologet. Leo Epist. 89. Ancyran Concil. cap. 18. Nec metuenda est popularis, qualis euenit in Damaso. Papa Romae seditio, quia tunc interueniet Magistratus, qui hos populares tumultus compescet. Praeterea huic malo prospectum est, ac remedium inuentum. Ancyran Concil. cap. 18. Neque verò quū Pastores eligunt soli, caruit, carētie tristissimis

eventis huiusmodi electio, Nam factiones, diuinationes, cōspirationes, & schismata inde oriūtur lōge exitiosiora, quā populares tumultus. Hi enim statim sedātur, quia populi est mobile ingenium, illa verò schismata sūt diuturna, sicut in Antipapis electis iā pridē apparuit. Denique quicquid rectē fieri potest, habet tamē sēper, vt inquit Cornelius Tacitus, aliquid incōmodi adiunctū & admixtum. Ergo quam sint nihili Belli argumēta cunctis apparet ex his responsionibus. Verūm nostra & ipse quoque conuellere conatur, sed inutili labore, & effectui.

Prima ratio nostra est Potestas (cuius hæc electio pars est data est) à Christo toti Ecclesiæ, non solis in singulis Ecclesiis Pastoribus. Ergo ad totam Ecclesiā pertinet Mat. 16. & 18. v. 18. Respondet Bell. & veteres ac ineptas suas cantilenas nobis occinit, hoc dictū esse soli Petro, nō toti Ecclesiæ. R. Imo toti Ecclesiæ, vt locus, Mat. 18. totus ostendit. Vtitur enim disertē Christus plurali, nō singulari numero, vt ad plures eam potestatem pertinere doceat manifestē, licet ipsa istius potestatis executio quemadmodum supra diximus, spectet fiatq; per solis Pastores, sed nomine totius ecclesiæ, sicut antea demonstraui.

Secunda ratio nostra, Populus Christianus potest malos Pastores suos reuicere, Galat. 1. versu 8. Mathei septimo versu. 15. ergo & bonos Pastores sibi eligere. Est enim contrariorum eadem ratio. Respondet Bellarminus, Populus reuicit falsos Pastores tantum attendendo quæ sit doctrina Romani Pontificis, & vtrum Pastoris sui prædicatio

fit illi similis. Sic & Pastores suos eligit tacendo solum, & acceptando quemcunque Pontifex Romanus miserit. Respondeo Bellarmino, Imo can. *Nosse & c. Plebs.* Dist. 63. requirunt disertè suffragiū populi liberum, & *Χειροτονία* olim locū habebat in his electionib. Act. 14. v. 23. Alioqui populus maneret stipes, & caudex in fuorū pastorū electione.

Tertia ratio nostra est, Episcopi in ecclesia sunt constituti, vt nomine totius ecclesiae, velut Publici Syndici, ac procuratores agant, quæ agunt. Ergo ad ecclesiam autoritas ipsa pertinet: at executio ad pastores. 1. Cor. 3. & 4. v. 1. Respondet Bell. sola inficiatione. Negat pastores ecclesiae nomine agere, quæ agunt. Respondeo Bell. Imo œconomī in ecclesia dicuntur pastores solum 2. Tim. 2. v. 15. & 1. Corinth. 4. v. 1. Atqui œconomus nō est Dominus Domus: sed solum procurator domus Domini.

Quarta ratio nostra est ex Act. 1. & 6. vers. 3. & 5. 14. vers. 23. vbi tota Ecclesia cōuenit & eligit. Respondet Bellarminus id semel factum esse: ergo pro regula non esse statuendum. Respondeo Bellarmino, Imo hanc fuisse ordinariam Ministrorum Ecclesiasticorum eligendorum formam ab ipsis Apostolis præscriptam, ac proinde iure Diuino fundatā, Actorum decimoquarto, versiculo vicefimotertio. priore Corinthiorū decimosexto, versic. tertio, & quarto. 2. Corinthiorū 8. versic. 19. Tit. 1. v. 5. Nam quod Apostoli fecere, spiritu Dei edocti, & impulsī egerunt: & illud nobis pro perpetua regula, ac diuina esse omnino esse debet.

Quinta ratio nostra ex Actor. cap. 6. vers. 3. & 4. *ἡμεῖς οὐκ ἐπιτιμῶμεν τὸν λαόν, ἀλλὰ κηρύττομεν τὸν κύριον ἵνα σωθῆται ἡ ψυχή* *funitur*

sumitur, vbi tota ecclesia collecta consentit. Respondet iste illic de Electione solum Diaconorū agi, non autem Episcoporum. Atqui ego isti respondeo idem de Presbyteris, seu Episcopis affirmari & statui Actor. 14. vers. 23. quod de Diaconis Actor. 6. vers. 3. scribitur. Idem confirmatur Actor. 13. vers. 2. in missione Pauli, & Barnabæ, conuenit enim & consensit tota ecclesia.

Sexta ratio nostra ex loco Actor. 14. vers. 23. expressissimo, vbi per manum totius ecclesiæ extensionem Pastores electi fuisse dicuntur. Respondet variè Bellarminus, verbum *χρησθέντων* primum sumi pro generaliter consentire: deinde referri vult ad ipsum Paulum & Barnabam, qui ex suo, non populi suffragio Pastores elegerint. Respondeo Bellarmino, hoc esse nugari, & verum S. Scripturæ sensum corrumpere. Apparet enim ex his ipsis locis Actor. 14. v. 23. 1. Corinth. 16. vers. 3. 4. 2. Cor. 8. vers. 19. Manus à populo, totaque ecclesia, non à Paulo, Barnabæque solis eleuatas in signum consensus inter Græcos. M. Cicero pro Flacco, & Demosthenes contra Timocratem: & verbum *χρησθέντων* illic propriè accipitur, non autem tralatitiè vt iste cogitat & fingit.

Septima ratio nostra ducitur ab autoritate Cypriani li. 1. epistola 4. qui docet esse de ordinatione diuina, vt tota ecclesia in electione Pastoris sui consentiat, Numer. 20. Actor. 6. & ca. 1. Respondet Bellarminus variè. Primum hæc tria exempla nihil vniuersale concludere. Deinde totam Ecclesiam eatenus consentire in electione Pastoris, quatenus de eius vita testimonium ferre

potest, non autem calculum. Ergo est tantum testis, non Iudex in his electionibus populus. Respondeo, Neque nos ex particulari colligere vniuersale, quum alij Sacrae scripturae loci idem doceant, & iubeant: neque verum esse ecclesiam adhiberi duntaxat vt testem electionis, non vt iudicem. Suffragium enim tota habet de ea re, & quidem liberum, vt eam electionem probet, vel improbet.

Octaua nostra ratio est ex Niceni Concilij primi autoritate & epistola ad Afros Episcopos, qualis extat apud Theodorum lib. I. Histor. ca. 9. vbi sic legitur, in defuncti episcopi locum alium substituendum, *qui & mereri videbitur, & quem populus elegerit, accedente consignatione Patriarchae Alexandrini.* Quid ad hoc Bellarminus. Nihil respondet: imo fatetur iam tum illud in ecclesia fieri vsitatum fuisse. Tantum vt est calumniator, Illyricum accusat falsi. Respondeo, Ergo, teste Bellarmino, verum est quod dicimus de populi iure in eligendis suis Pastoribus. Imò impudens est Bell. qui id iuris tantum Pastoribus tribui ex ea epistola metiatur, non populo. Verba. n. epistolae Concilij eum confutant.

Nona ratio nostra est, ex Concilij generalis II. epistola ad Damasum, Leonis epist. 89. Gregorij Magni li. 2. epi. 69. Ambrosij li. 10. epi. 82. Gratiani decreto. Dist. 23. 24. Respondet, primum variè Bellarminus, suo more, vt effugiat: tandem vi veritatis victus dat manus, conceditque hoc ius tunc populo competiuisse, sed non ex iure diuino, sed ex concessione Pontificum. Sed quaero, Quorum? Vtrum solum Romanorum, an omnium Pontificum omnium ecclesiarum? Si primum, Ergo concedit Romanus Pontifex quae sunt damnosa caeteris Pō-

tificibus, & ius eorum minuunt. Id quod est tyranni, nempe de alieno, non de suo largiri. Si secundū, ergo Pontifices reuocare iā nō possunt, quod eorū prædecessores omnes ecclesiæ cōcesserūt. Sed iure diuino id competere ecclesiis antea demōstrauimus. Itaque & nos & D. Calvinus rectè docemus & verè: non autem, vt iste, cibi, & culinæ Pontificiæ, illiūsque nidoris gratiā, mentimur.

Decima ratio est, vsus ecclesiæ perpetuus, per quē illa ius suū vsque ad Fridericū I I. Imperatorē retinuit. Apparet ex Krantij lib. 8. Metropolis ca. 1. Respondet Bellarminus conuitiando solū, & negando ecclesiam tandiu hoc suum ius retinuisse, sed illi antea à Pontificibus Romanis ereptum fuisse scribit, ex ca. *Messana*. Extr. de *Electione*. Respōdeo Bellarmino, Paulatim quidem hoc ius ecclesiis Dei à Pōtificibus primum Romanis, deinde aliis ereptū fuisse: non autem & simul, & semel, vnōque momēto. Nam, vt apparet ex can. *Nosse*, & can. *Episcopos*. Dist. 63. Ecclesia inconcussē hoc ius suū retinuit vsque ad annū Domini DCCCLXX. & ad Nicolai primi tempora. Tētata quidē est ista in ecclesiā Dei tyrannis à Romano Pōtifice Symmacho, vt Laicis ius omne & cognitionē de rebus ecclesiasticis eriperet, vt est in can. *Bene quidem*. Dist. 96. circa annū Domini quingētesimū, sed ecclesia suū ius cōstāter retinuit, donec Adrianus I. R. Pōt. circa annum Domini DCCCLXXV. crescēte Romani Pōtificis tyrannide ius istud ecclesię tam diuturnum primū cōcussum est, vt apparet ex tota Dist. 63. apud Gratianū: deinde paulatim auulsū ecclesię: demū prorsus ereptū atq; adēptū pfidē fuit:

& Clerici primùm hoc ecclesiæ spoliū sibi rapuerunt: deinde soli Episcopi hanc prædam etiam Clericis ademptam sibi vsurparunt ac retinuerūt, hoc latrocinium, hoc sacrilegium, hoc scelus sic perpetratum tandem in ecclesiam à veris non Pastoribus, sed lupis ecclesiæ fuit.

Vndecimam Illyrici rationem ac reliquas prætermitto, quia tam valide sunt, vt nec eas attingere ausus sit audax iste homo & temerarius Bellarminus.

Ad Cap. viii.

Sententia Bellarmini, quòd ad Clerum ex parte selectio Pastorum suæ Ecclesiæ non pertineat, iam ex superioribus copiose refutata est. Nam iisdem rationibus probatur ad Clerum ius istud spectare, & eodem iure, quibus confirmatum est pertinere ad populum: præterquam quod & Zepherinus Papa, & Syluester in Romano Concilio etiã hoc ipsum confirmant. Quas enim rationes hic affert iste, planè sunt iam omnes à nobis explosæ, & exsufflatæ.

Ad Cap. ix.

VT vitioso, pestilētiosoque suo ædificio Bellarminus vitiosum colophonem adderet, hanc falsissimam coronidem & capitellum fœdissimum huic suæ de Pastorum Electione disputationi imposuit, nimirum, optimè iam eligi Romanos Pontifices per solos Cardinales. Quod primū cum decretis Celestini primi, Leonis primi Romanorum Pontificum, pugnat, quemadmodum apparet ex can. *Cleri*, & can. *Vota* Dist. 63. vbi & Cleri totius, & totius populi consensum, vota, & suffragium

gium in ea electione requiri declaratur. Deinde hæc ipsa Bellarmini sententia euertitur ex can. *Adrianus I I.* & can. *In Synodo*, can. *Quia Sancta*, qui iubent expressè, vt Imperatoris Romani legati eiusmodi Electioni intersint, & illi consentiant. Hæc omnia sanctissimè constituta, & verbo Dei consentientia euertit hoc loco Bellarminus, tam est impudens. Ergo primum tota Romana ecclesia Romanum Pontificem eligebat ex Dei verbo, exemploque Apostolorum. Sed quom effrenis esset, & ingens populi & Cleri Romani turba, Stephanus primus constituit, vt ex omnibus Clericis Cardinales quidam dicerentur, qui in Clericorum omnium Romanorum cœtu eminebant, vt ex his potissimum vnum aliquem Pontificem & Episcopum Romanum Clerici eligerent in quem populus quoque totus consentiret, can. *Oportet vt*. Dist. 79. circa annum Dominum c c l x. Postea verò & circa annum Domini d c c c l x. Nicolaus primus totam Romani istius Pontificis electionem ad solum istorum Cardinalium cœtum reuocauit, vt soli eum eligerent, & de eo suffragia ferrent. Id quod postea magnas Romæ turbas & seditiones excitauit, dum populus ius suum in eligendo suo episcopo Romano repetit: Cardinales autem suam illam tyrannidem retinere, ac tueri student, vi, & armis. Quam hîc quoque Bellarminus defendit: licet ipse postea cap. 16. col. 100. L. B. eam euertat. Nos autem, etsi res ea minimè iam ad nos (qui & Romanum Pontificem, & Cardinales, velut feras bestias iam pridem reliquimus) spectare, aut nos attingere videtur, examinemus: tamen Bellar-

mini rationes.

Prima ducitur à partium, id est, modorum, quibus electio fieri potest, enumeratione. Respōdeo, Illa enumeratio modorum deficit, & manca est. Nam potissimum istarum electionum modum reiiicit, ac proinde prætermittit, nempe Electionem Pastoris Ecclesiastici, quæ fit ex Cleri, id est Presbyterii, & populi totius consensu, quem probat, ac præcipit Paulus 1. Timoth. 3. & cap. 4. vers. 14.

Secūda Bellarmini ratio est ab idoneitate Cardinalium eligentium, qui soli optimè norunt eū, qui est idoneus ad Romanam ecclesiam gubernandam. Respondeo, Quum Cardinales isti sint ex variis mundi partibus, & eorum plerique neque Papam, neque Romam quidem vnquam oculis suis viderint, perperam præsumit, ac præsupponit iste illos nosse, qui sit maximè capax Romanæ ecclesiæ, & illius curæ suscipiendæ ac regendæ.

Tertia ratio sumitur ex huius formæ electionis duratione. Iam enim ait iste per CD. annos durat. Respondeo. Priorem eligendi rationem ex totius ecclesiæ suffragio diutius durasse, nempe saltem per DCCCLX. annos. Ergo melior ac conuenientior iudicanda est.

Quarta ratio, fuit hæc forma tutissima. Nam paucissima ex ea schismata in ecclesia Pontificia nata sunt, teste Onuphrio Monacho & Eremita. Respondeo, Imo XXI. schismata ex ea eligendi per solos Cardinales forma nata sunt in ecclesia, quæ singula, & suis temporibus recenset Iohannes Marius Belga in libro de iis ædito. Ergo est periculosissima eligendi ratio. Est enim seditiosorum
conuentu

conuētus iste Cardinalium cœtus, factionum, ambitionis, avariciæ, & idololatria plenus.

Quinta ratio, Hæc forma eligendi est optima, & ex aliis bonis formis temperata. Respondeo, Imo illa est optima eligendi Pastoris ratio, quam Apostoli præscripserunt, & ipsi secuti sunt, ex totius ecclesiæ suffragio nimirum.

Ad Cap. x.

Nihil nos istius capituli definitio profus attingit. Inter se ipsi Pontificij rixentur & litigent, Ad quos, mortuis omnibus Cardinalibus (id quod nullum terrarum orbi damnum ac detrimentum affert) aut sublatis, ius eligendi Romani Pontificis pertineret. Putat iste ad Clerum totum Romanum. Cur non & nunc quoque pertinet? quum Cardinales, ipso hoc teste, sunt pars duntaxat Cleri istius Romani?

Ad Cap. xi.

DE Ministrorū ecclesiasticorū numero, Quot sint in ecclesia Dei perpetui, ac retinendi ordines, nostri ex Paulo Rom. 12. vers. 7. 8. Ephes. 4. v. 11. 1. Tim. 3. & 5. Tit. cap. 1. tam apertè & certò docent, vt de eo nihil à quoquam dubitari possit. Sūt igitur hi ordines quattuor, Pastor, Doct̃or, Presbyter, & Diaconus; quanquam in omnibus ecclesiis, vbi etiam sunt Pastores reperiri Doctores nō possunt. Itaque tres præcipuè manēt. Quod autem iste suos ordines Pontificios metitur, partim ex quodam ritu vnctionis & consecrationis eorum: partim ex officio, quod impendunt Sacrificio

Missæ, duo declarat: vnum, Pontificios illos ordines, qui vocantur, esse Magicas incantationes quasdam, vel Iudaicas atque superstitiosas institutiones, quæ vim suam ex ceremoniis externis totam sumant. Alterum, eosdem ordines Pontificios esse blasphemos, quum ad sacrificij Christi iterationem ac repetitionem sint inter eos instituti, contra quæ est Hebr. 7. vers. 27. & 9. v. 25. Reliqui verò ordines Pontificij sunt vel ambitiosè & citra necessitatem ecclesiæ, sed ad solam Pompam & phantasiam, vt loquitur Lucas in Actis, retenti, velut Exorcista, Acoluthus, Subdiaconus, quorum iam pridem nullus est in ecclesia vsus: vel ineptè, & improprie, quemadmodum hîc fatetur Bellarminus col. 1082. L. C. Ordines appellati, velut Cantor, Lector, Libitinarius, Cercarius, & denique Ostiarius. Nos autem quum de ordinibus ecclesiasticis agimus, de vtilibus non otiosis agimus: de perpetuis, qui in ecclesia durare debent, non de temporalibus quibusdam ministeriis, quæ iam in ecclesia esse desierunt: denique de iis, qui in ipso exercitio nullam blasphemiam adiunctam habent, sicut habent ordines Maiores Pontificij, sed quorum munia in ipso Dei verbo Evangelico sunt descripta, non ab hominibus conflictata.

Ad Cap. XII.

Quum negat Calvinus antiquos esse, & primitivæ ecclesiæ cognitos ordines eos, quos Pontificij minores vocant, primum loquitur de Apostolica ecclesia, quam instituerunt Apostoli, quæque eorum instituta retinuit: non de ea, quæ aliquot post sæculis secuta est. Nam & in Clemētis

Romani

Romani libris, & Ignatij epistolis quis non videt multa esse supposita, & ab hominibus superstitionis, vt sua inuenta tuerentur, addita: Deinde loquitur Calvinus de istis ordinibus Minoribus, quales iam eos habent, qualésque certis ritibus ineptis, & superstitionibus eos iidem Pontificij in-formarunt, vt eos deificarent. Quicquid enim de eorum antiquitate híc affert Bellarminus, totum id de nostris Caluino, Kénitio, & Beza sumpsit. Quare non ignorauit Calvinus, qualis sit eorum ordinum antiquitas.

Ad Cap. XIII.

HOc caput Bellarmini partim puerile, partim ineptum, partim blasphemum est. Puerile est in eo quod de Ostiario & lectore agit & tradit, & in iis constituendis & consecrandis ac eligendis magnam quandam caballam, & ceremoniam olim in Concilio Carthaginensi quarto, ca. 8. & 9. præscriptam putat vir iste, supersticiosusque Monachus. Fallitur. Canones enim ipsi Carthaginenses monstrant hoc solùm Patres illos voluisse, vt nemo aliquid in ecclesia administraret, quantumuis exiguum (quale est portas templi claudere, verbū Dei recitare) nisi & aliquam ad id muneris vocationem publicam haberet, & ex totius ecclesię cōsensu id faceret. Quæ res & ambitiosis, ne se in ecclesiam intruderent, obstabat, ex Hebr. 5. vers. 4. & iam Bellarminum futurum confutabat, qui negaret ne summum quidem Pontificem suæ ecclesiæ, nedum alios episcopos ex voto, suffragio, & consensu totius ecclesiæ eligendum esse, quod cum Concilij Carthaginensis mente planè pugnat,

quod consensum requirit. Idem ex Cypriani epistola 5. lib. 2. epist. 22. lib. 3. epist. 5. lib. 4. colligendum est. Ergo hæc fuerunt ministeria tantum ecclesiastica, non ordines. Ordo enim ecclesiasticus institutionem factam à Christo, vel ipsius Apostolis expressam in Dei verbo habere debet, quam minores ordines Pontificij nullam habent, quicquid isti, & Durandus præsertim in volumine *Rationale diuinorum officiorum* se in ea quærenda fatiget libro secundo.

Hoc idem caput Bellarmini est ineptum, dū de Exorcistis in Ecclesia, velut ordine quodā, retinendis agit, & pro eo contendit. Sublato enim miraculorū dono, quod in ecclesia iā pridē cessauit, cessat & Exorcistarum munus. Nec obstant canones 24. & 25. Concilij Laodiceni, can. 7. Concilij Carthaginensis. Nā si illo seculo adhuc donū miraculorū vigeat in ecclesia, rectè illi. Hoc autē seculo prorsus perijt. Sin autē amplius nō durabat miraculorū donū, inepte munus ac ministeriū in ecclesia retentū est illis canonibus, cuius nullus amplius ex Dei volūtate vsus erat. Blasphemū est hoc idē Bellarmini caput in ceteris, & reliqua sui parte. Et primū in Acoluthis, quales fingit iste, defendēdis. Eos enim ineptarum & superstitosarū duntaxat actionum ministros facit, nempe candelas media die accensas gestare, lumē Euangelij spirituale in cardinale & terrenū mutare, & vrceolos (calceos episcoporū dicere quoque debuit, vt mundiores essent) tergere, & eiusmodi nugas agere, sed in quibus cultus Dei cōtra ipsius verbū statuitur. Ergo quicquid ex Concilio Carthag. iv. c. 6. affert, ex Durando li.

2.ca.7.Dist.23.Isidoro,& aliis seu Sententiariis,ve-
ritati diuinæ præscribere non potest,quin illud o-
mne sit blasphemum & damnandum,quod ad Dei
cultum, præter ipsius verbum, homines agunt, &
comminiscuntur, Math.15.verf.9. Coloss. 2.verf.
23. quale est istud Acoluthi officium.

De Subdiaconis certo certius est, quales quidē
istos fingit, eorum totū munus esse blasphemum,
quia Missæ & Christi sacrificio peragendo infer-
uiunt,ait iste,quod repeti vetat S.Scriptura Hebr.
7.verf.27. 9. verf.25. Quicquid autem rei nefariæ
inferuit, nefarium est Is. 44.v.10.11. Iudæ epistola
verf.23.

De Diaconis quod scribit iste, eatenus cum eo
consentimus, quatenus ea tribuit Diaconis, quæ
& Dei verbum: in his autem, quæ plus iis tribuit,
dissentimus, quale est Dei verbum publicè in cœ-
tu ecclesiæ prædicare. S. Cœnam administrare, ba-
ptizare, & quæ his similia sunt, pendētque ex ver-
bi diuini, prædicatione. Itaque ipsemet Bellarmi-
nus ex Concilio Vasensi cap.4. se, suamque senten-
tiam postea reuocat col.1088. L.B. tam fuit in his
scribendis temerarius, vel ignarus. Nec obstat,
quòd Protomartyr Stephanus in Concilio Iudæo-
rum verbum Dei proposuit, & de eo sæpe cum re-
liquis Iudæis disputauit. Fuit enim ista confessio
fidei, quam ex Dei præcepto 1.Petr.3. verf.15. cui-
us petenti reddidit Stephanus, nō autem munus,
publicum in ecclesia concionandi. Non obstat,
quod Philippus Diaconus baptizauit, Actor. 8.
Fuit enim Philippus non solum Diaconus, sed &
Euangelista Actor.8.verf.40.21.verf.8.

Ad Cap. XIII.

Vtrum Episcopus, seu qui propriè Pastor est Ecclesiæ, ab eiusdem Presbytero differat quærit Bellarminus. Et quod nescit definit, & nos accusat quasi contra Dei verbum sentiamus, cuius sententiam, vti neque nostram, intelligit homo iste caudex. Reprehêdit tamen, tam est impudens, & se in ea, quæ non nouit, ingerens, contra Pauli præceptum Coloss. 2. vers. 18. Ergo hæc est nostra sententia, verbo Dei consentiens. Presbyterum appellamus, non qui ætate senex est, sed qui dignitate est Presbyter, nimirum ad regendam ecclesiam legitimè à tota ecclesia ex Dei præcepto vocatus. Nã Timotheus etiam ex eo fuit numero, qui fuit iuuenis 1. Tim. 4. vers. 12. Presbyterorum verò istorum duplex fuit genus, vnum quod tantùm circa disciplinam & mores hominum seu gregis moderandos absque verbi Dei prædicatione versatur, de quo Paulus Rom. 12. vers. 8. 1. Corinth. 12. v. 28. Alterum, quod etiam in doctrina & sermone, id est, verbi diuini prædicatione fuit occupatum, 1. Timoth. 5. vers. 17. Hoc postremum genus à Pastoribus non differre contendimus, nisi quod post ætatem Apostolorum, vt ait in epist. ad Tit. cap. 1. Hieronym. vnus ex iis electus est, qui toti Presbyterorum cœtui præesset, quem *Episcopum* peculiari nomine appellarunt, can. *Olim* & can. seq. Dist. 95. His expositis iam Bellarminum aliud, id est, contra S. Scripturam scribentem, ac sentientem audiamus.

Primum profert suum Conciliabulum Tridentinum, quod itidem contra Dei verbũ apertissimè sentit.

sentit. Respondeo, maledictus omnis, qui à Dei sacrosancto eloquio dissentit, vt Concilium istud, II. 5. Neque tantum in ea re, sed penè in omnibus suis decretis est hæreticissimum hoc Concilium.

Secundo profert Antiocheni Concilij cap. 10. Ancyрани cap. 13. Epiphanium hæresi 75. Leonem epist. 88. & alios col. 1089. L. B. Respondeo, Quandiu Apostolica constitutio durauit, & in ecclesia retenta fuit, postremum genus Presbyterorum neut. ab Episcopis differebat 1. Timoth. 13. Tit. 1. vbi Hieronymus dicto *can. olim* Dist. 95. Postquã autem per ambitionem eorum, qui aliis Presbyteris præerant, & se Episcopos appellabant, Apostolica forma & disciplina sublata fuit, tunc Episcopi ceperunt à Presbyteris etiam prædicantibus Dei verbum separari: & istis Episcopis cõtra Dei verbum omnis dignitas attributa est, nulla penè Presbyteris relicta. Quæ res & Episcoporum ambitio totam ecclesiam postea pessundedit, vti res ipsa clamat in Papatur: atque inde periit Episcopatus Apostolicus: cepit episcopatus humanus: ex quo postea natus est Episcopatus Satanicus, qualis nunc est in Papatu.

Id autem esse ex iure diuino conatur etiam, si potest probare Bellarminus. Sed quo argumento? Certè nullo. Primum Damasi, & Gregorij Pontificum Romanorum testimonia & sententiam profert Bellarminus. Respondeo verò, non idcirco quidpiam iure diuino constitutum esse, quia Romanorum Pontificum edictis præscribitur. Nam aliud est ius diuinum, aliud ius Pontificium. Ergo ista distinctio Episcopi à Presbytero prædicante

est iuris Pōtificij & positiui post nimirum iam iacta tyrannidis Episcoporum fundamenta: non est autem iuris diuini, sicut iste censeret, & putat. Nam quod ait iste Caluinum fateri ordinationes ministrorū Pontificiorum esse sacramenta, ac proinde esse à Deo, nugæ sunt nugerrimæ, & impudentissima mendacia. Quærat igitur alios iste suæ sententiæ suffragatores, quàm D. Caluinum.

Deinde ait Bellarminus, Nihil in ecclesia absque Episcopo legitimè, ac validè ordinari posse. Respondeo falsum id esse, vt apparet ex Paulo Aëtior. 20. vers. 17. qui solos Ephesi Presbyteros accersit, itē Philipp. 1. v. 1. vbi ad solos Philippenfis ecclesiæ Presbyteros & Diaconos scribit: eorū enim Episcopus videlicet Epaphroditus, erat cum Paulo Romæ Philipp. 2. v. 25. Denique, sede etiam Romana vacante multa tamē à Cardinalibus, & Clero seu Capitulo cōstitui possunt ca. *Hi qui. ca. Cū olim.* Extrā de Maioritate & obedientia, ca. *Ad abolendā.* Ext. de hæretic. in princip. Quin imo etiā quū ecclesia habet Episcopū: ille tamē solus nihil in ecclesia ordinare potest, sed dūtaxat ex sui Cleri seu Presbyterij cōmuni decreto, & consilio Aët. 11. v. 30. 20. v. 17. 28. epistola secunda Syricij can. *nul lus caussam.* xv. quæst. vii. Concilij Carthaginensis III. cap. 23. Hæc omnia cōfutant Bellarminum.

Quod autem ineptus iste affert ex Altarium, & Templorū cōsecratione, Cōfirmationis collatione, & aliis huiusmodi nugis, quæ solis Episcopis sunt ex Romanorū Pontificum decretis concessæ, sunt Petitio principij, atq; fallacia ex falsa præsuppositione. Quis enim hoc Episcopis datū, vel solis cōcessū fatebitur, si modò pius est, & verè Christi?

Denique quod hic idē scribit, solos Apostolos habuisse ius imponēdi manus ordinādis, refutatur ex 1. Tim. 5. v. 22. Et quod citat c. 8. v. 17. ex Actis nō intelligit homo hebes Bellar. Apostolos Petrū, & Iohannē Samariā venisse, nō simpliciter, vt manus imponent, sed vt darēt Spiritū Sanctum v. 15. 16.

At scribit Bellarminus, Maiorem esse Episcopi, quā Presbyteri prædicantis Iurisdictionē, quia sub veteri lege summus Pōtifex summā in ecclesia iurisdictionē habuit: secundā, Sacerdotes, cui sunt similes Presbyteri, Episcopi verò summo Sacerdoti. Respōdeo ex Hebræorū epistola ca. 7. v. 12. mutato sacerdotio, mutatā quoq; esse legē. Atqui sub Christi Euangelio mutatū est ecclesiæ sacerdotiū, ergo & istæ omnes inter summū Pontificem, & Sacerdotes distinctiones, quicquid ambitiosus Damasus, & illius mācipiū Hieronymus ineptē cōtrā scribāt. Hoc enim est nos ad veteres & iā per Christū abolitas Iudæorum cæremonias impiè reuocare.

Secundò ait Bellarminus, Episcopi successerūt Apostolis, quorū autoritas in ecclesia fuit maior. At Presbyteri successerunt duntaxat LXX. discipulis, quorū fuit in ecclesia minus Imperiū, Respondeo, Presbyteri verbū Dei prædicātes, & Sacramēta administrātes, Apostolis & ipsi quoq; successerūt, nō tantū Episcopi Actor. 20. v. 28. Ergo est fallacia A petitione principij seu falsa præsumptione. Ignatius in epistola ad Smyrneses, & Clemens li. 2. ca. 32. cōstituit Bellar. col. 1098. L. B. id testatur.

Tertium argumentum Bellarmini ex Matth. 24. vers. 45. nihil valet. Nam est fallacia: A dicto simpliciter ad dictum secundum quid. Quod enim Christus in vniuersum de omnibus piis &

ecclesiae Ministris ait, iste ad suos Episcopos solos falso restringit.

Quartum argumentum Bellarmini ducitur ab autoritate nonnullorum Patrum, qui Episcopum Presbytero praeferunt. Respondeo fallaciam esse Ab æquiuocatione vocis *Presbyter*. Agunt enim illi Patres de Presbyteris, qui non concionantur, quos Episcopis prædicantibus faciunt inferiores: & quidem rectè. Nos autem de Presbyteris prædicantibus nostrum sententiam intelligimus. Denique loquuntur Patres illi de Episcopis, quales iam non ab Apostolis, sed ex hominum decreto constituti fuerant, id est, agunt non de Apostolico (sicuti nos facimus) sed tantum de humano Episcopatu, qualem homines post Apostolos eum formarunt.

Denique quod tradit Bellarminus istos, quos inducit & fingit, Episcopos in medio Presbyterorum & ecclesiae cœtu imperare, velut Principes, prodit & declarat quò spectet, nimirum vt usurpatam iam ab illis contra Dei verbum, & Petri præceptum 1. Petr. 5. vers. 3. in ecclesiam tyrannidè tueatur: id quod est facillimum. Nam quod ait à solis Episcopis celebrata fuisse Concilia, id certè falso falsius est, teste Eusebio ipso, qui in primo Niceno Concilio Presbyteros quoque affuisse, etsi non pari, quo Episcopi, sedili sedentes scribit, lib. 3. de vita Constantini. & ex eo Socrates lib. 1. Histor. cap. 8. Quin & Concilium primum & Apostolicum ab ipsis Presbyteris ecclesiae, vt ab Apostolis fuit celebratum Act. 15. vers. 4. & communem cum Episcopo de rebus omnibus ecclesiasticis

fiasticis deliberationem habent Ecclesiæ eiusdem Presbyteri, Actor. 21. v. 18. Cyprianus ad Corneliū Epif. 12. & 14. ex recēti Pammelij Canonici æditione. Nā quod Bellarmin. thronos, infulas, mithras, annulum, chirothecas & pedū (quibus solis ipsius Episcopi velut idola muta ornantur) nobis commemorat, frustra fit. Ad Populū Phaleras. Ista sunt factus, non sensus: ambitionis, non vocationis: tyrannidis, non iuris eorum testimonia.

Ad Cap. xv:

Nostrorum etiam argumenta suo errori contraria conuellere nititur, si potest Bellar. sed non potest. Res ipsa monstrabit. Ergo nostrorum.

Primum argumentum est ex Phil. 1. v. 1. vbi iidē Presbyteri Prædicantes & Episcopi dicuntur, Quid ad hoc Bellarminus? Hæret in aqua, & suo more, varias, incertas, & sibi cōtrarias ex Ambrosio, Epiphano, Theodorito solutiones, & eiusdem loci Scripturæ interpretationes quærit, quas ipsemet repudiat, quia vi veritatis etiam inuitus cogitur agnoscere Apostolorum tēporibus eosdem fuisse illos Presbyteros, & Episcopos, Hieronymo teste in Tit. c. 1. can. *olim.* & sequ. Dist. 95. & hæc esse quoque primaria Ministrorum Ecclesiasticorū genera, nempe Presbyteros & Diaconos. Sic iste col. 1093. L. C. §. *Adde quod* in fi.

Secundū nostrorum argumentū quoque est ex ipsissimo Dei verbo, ac manifestissimo, Nēpe Pauli Epistola ad Tit. c. 1. v. 5. & 7. Tertiū itidē argumentū ex 1. Timot. 3. vbi iidē esse docētur Presbyteri, prædicantes, & Episcopi. Respondet ingenuè hic Bell. hoc verū esse, quoniam in re tā aperta ni-

hil iā cauillari potuit. Quartum argumentū ex 1. Tim. 4. v. 14. idē plane docet, & probat, videlicet nomine Presbyterij Episcopos contineri, Respondeo Bellar. & obuagulatur. Sed ne quid de culina suorū Episcoporū detrahat, Presbyteriū interpretatur cœtum Episcoporum. Respondeo Bellarmino. Quocunque se vertat, semper tenetur. Nā Episcopi isti, Presbyteri à Paulo disertè vocantur. Si verè id dici à Paulo cōcedit Bell. ergo iidem sunt Episcopi & Presbyteri. Sin falso id scribi ab Apostolo Christi sentit, blasphemus est Bellarminus, & fustuario, non responso eget, ac dignus est.

Quinta nostra ratio est, ex Act. 20. v. 17. & 28. 1. Petr. 5. v. 1. & 3. Iohannis Epistola 2. & 3. vbi idem demonstratur. Bellarminus fatetur hoc verissimū esse, sed ad tempora Apostolorum restringit. Respondeo. Ergo quę postea distinctio facta est Episcopi à Presbytero prædicante, illa non ab Apostolis profecta est: ac proinde episcopatus iste post Apostolos introductus, est nouus, teste etiam hoc ipso Bellar. col. 1095. L. B. §. *Deinde* non Apostolicus, sed Humanus, id est, ab hominibus repertus: pro quo postea substitutus est Satanicus Episcopatus seu Pontificius à Satana planè excogitatus, ambitionis & tyrānidis plenus, Est enim iam Animal gloriæ Episcopus.

Sexta ratio nostra est ex Hieronymi cōmentariis in Epistolam Pauli ad Titum cap. 1. & Epist. 85. ad Euagrium, *Nouerint*, ait ille, *Episcopi se consuetudine magis, quam Dominica dispositionis veritate presbyteris esse maiores.* Qua autoritate percussus Thomas in secūda secundæ quæst. 184. Act. 6. obmutescit, & eo confugit, vt ineptè scribat ab

Hieronymo de nomine tantum, non autem de re
 agi, quasi nomina sine re ac significatione in Scri-
 ptura sint. Itaque Thomæ solutionem hanc irri-
 det ipsemet Bellarminus, licet ipsius Clericus, &
 discipulus. Eodem modo Antonini Delphini &
 Michaelis Medina Hispanorum Scholasticorum
 sententiam explodit, ne nimium in fide Christia-
 na credamus in posterum Hispanis, & eorum scri-
 ptis, ipse in summa nihil respondet. Duntaxat Hie-
 ronymum pingit & fingit nobis hominem inconstan-
 tem, & varium: sic de bonis Patribus sentit,
 quamlibet, iste nebulo, quos nobis postea supra
 cælos extollit.

Septima nostra ratio est ex Ambrosij cõmentariis
 in e. 4. ad Ephesios, qui cum Hieronymo cogi-
 tando, & æquali suo placet sentit, facitque eosdem
 Presbyterum, & Episcopum. Respondet Bellar-
 minus variè. Primum negat hos commentarios
 esse Ambrosij. Deinde quia se putat aliquid repe-
 risse in iisdem pro se, germanos fatetur. Ait igitur
 ex Ambrosio Episcopum distingui à Presby-
 tero, Respondeo non ex diuina, sed tantum ex hu-
 mana institutione, id quod illic scribit Ambrosius
 atque etiam sentit Hieronymus, & Bellarminum
 iugulat. qui hanc distinctionem iuris diuini, non
 humani esse vult & scribit col. 196 L. A. Ergo hoc
 totum ab hominibus est, non à Deo introdu-
 ctum.

Octava ratio nostra ex Chrystostomo est Homi-
 xi. in 1. Timot. cap. 3. qui idem confirmat. Respon-
 det Bellarminus, & concedit hæc vera esse.
 Vincitur enim tandem à veritate. Sed petit,

vt hoc præcipuum Episcopis suis opus saltem, & ad eorum consolationem concedamus, vt soli illi & sacerdotes & Altaria & Tempa vngere, & cōsecrare possint. Sed & hæc ipsa illis denegamus. Sunt enim magica, & Satanica commenta & ineptia.

Nona ratio ex Theodoriti sumitur commentariis in c. 1. ad Philip. qui cum Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, & Patribus orthodoxis (tot nimirum pro nobis contra Bellarmin. pugnāt), ac nobiscum sentit. Nihil respondet hic quoque Bellarminus, quia nihil cōminisci potuit. Theodoritus enim ingenuè agnoscit post Apostolos hoc discrimen constitutū fuisse, nō ab Apostolis ipsis probatum, repertum, & institutum.

Decima ratio ex Augustini est Epist. 19. ad He'ychium. xi, ex Clementis lib. 2. Constitutionū cap. 32. vbi nostra sententia plane itidem confirmatur, Bellarmini euertitur. Idem docet Ignatius in Epistola ad Smyrnenes, qui & Presbyteros etiā scribit successisse ipsis Apostolis. Id quod Bellarminus tribuit Episcopis solis, ideóque & ex hac vna ratione eo præfert suis Presbyteris, quæ tamē ex Ignatio falsa apparet. Respondet Bellarminus, Augustinum non agere de eo tempore, quo iam erat Ecclesia Christiana in Mundo nata: sed de superiore tempore, quo nimirum ait iste, vilia censebantur Presbyteri, & Episcopi non vna. At Respōdeo Bellarmino id omnino pugnare cū ipsis Augustini verbis, qui agit de tempore, quo iam vigeat in his terris Ecclesia Christiana. Præterea falsum est *Episcopi*, & *Presbyteri* nomina non bene audiisse

audiisse, & contempta vocabula apud Ethnicos, ante Christum natum fuisse. Episcopus enim apud Athenienses, teste Iulio Polluce, teste Suida, fuit publici Magistratus, qui sciorum res inuisebat, nomen Presbyteri & Senioris vox semper fuit honorabilis, ac veneranda: testibus etiã ipsis iuriscõsultis: teste Solone Atheniense, teste Lycurgo, qui quẽuis adolescentem assurgere Seniori iubet. De Clemente & loco Clementis, nihil agit iste, quia non potest: sed apertus est locus Clementis, qui Presbyteros Apostolis successisse, vti & Episcop. vult manifeste.

Duodecima ratio nostra est, Christus Presbyteros ex istorum sententia in S. Cæna ordinavit, nusquam Episcopos: ergo ex eorundem sententia Presbyteratus à Christo institutus est, non autem Episcopatus. Respondet iste, Imo B. Petrus solus à Christo creatus est Episcopus: reliqui à Petro. Respondeo Bellarmino, Imo nusquam B. Petrus vel Episcopus à Christo ordinatus legitur, vel ipse se vocat Episcopum, sed Presbyterum, 5. Petr. 1. v. 1. vel Apostolum, 1. Pet. 1. v. 1. 2. Pet. 1. v. 1. Ergo falsa est Bellarmini sententia, & cum Dei verbo pugnans manifesta. Atque ex his nullius momenti esse apparent Bellarmini ad nostrorum argumenta solutiones, ac responsiones.

Ad Cap. xvi.

DE Cardinalibus Pontificiis, id est, Præcipuis pseudoprophetae Antichristi ministris acturus Bellarminus, magnum se operem prærium facturum putat, si & autores, qui de iis scripserunt, commemoret, vt habeant similes lobra lactucas. Hi enim autores sunt obscuro homines, & scriptores

inepti) & huius vocis *Cardinalis* antiquitatem annotet. At fallit, & fallitur. Nam *Cardinalis* vocabulum antiquissimum esse nemo negat (quoniam & Cardinales venti vocantur, & quattuor Cardines Mundi partes præcipue) sed eo significato, quo inter Pontificios sumitur, omnino recens est, & Priscis seculis inauditum ante Gregorium Magnum, quemadmodum rectè D. Caluinus affirmat.

Nam Pontificij & Romani Cardinales à Cardinalibus, id est, præcipuis partibus ac regionibus Urbis Romæ, quibus singulis singuli præerant, dicuntur. Erant autem primum pauci, postea verò creuit eorum numerus pro arbitratu Pontificis, & regis eorum Abaddon, Romani. Nam Presbyteri Romæ fere ordinarij erant quadraginta sex (alij verò legunt in Cōcilio Syluestri centum viginti) Diaconi septē, Subdiaconi sex, Acoluthi quadraginta quinque, lectores octuaginta, Notarij Martyrū vitā scribētes 14. Ex tā igitur effreni Clericorum Rom. tandem numero pauci sunt ex isto tum Presbyterorum, tum Diaconorum cœtu, delecti, qui Cardinales vocarentur, & cæteros Clericos in Consistoriis & Conciliis Ecclesiæ ordinariis representarent, velut fuerunt omnino primum novem in vniuersum. Inde istorum Cardinalium Romanorum est origo, nomen, & antiquitas. Hæc primum sunt à Stephano primo circa annum Domini 265. constituta, vt apparet ex can. *Oportebat vthæc*, Dist. 79. Deinde à Syluestro primo confirmata, circa annū Domini 316. in Synodo Romana, can. *Presuit*, 2. quæst. 5. Denique à Nicolao & 1. & 2. ampliata circa annum Domini 1060. can. *In nomine*

mine Domini Dist. 23. Sed hi Cardinales sunt scorpiones illi, de quibus est in Apoc. c. 9. Quæ quum exposita sint, quid contra Bellarminus sentiat perpendamus.

Primum quærit, cur, quum alibi quàm Romæ, & Presbyteri, & Diaconi, & Episcopi quidam dicerentur *Cardinales*, quemadmodum apparet ex Gregorij magni, Epist. II. lib. 5. & Epist. 34. lib. II. Concilio Meldensi cap. 54 hoc nomine illi donarentur, & unde profecta sit ista *Cardinalium* appellatio? Primum respondet ipse, suo more, variè. Deinde aperte reprehendit & Leonem IX. Papam in huius nominis etymologia (ne putemus Pontificem Romanum habere omnia iura, & thesauros scientiæ cuiusvis reconditos in scrinio sui Peccatoris, sicut Bonifacius 8. falso rescripsit) & taxat Onuphrium virum doctissimum eadem de causa, ne illius scripto de Cardinalibus nimium tribuamus, quum in ipso limine, teste Bellarmino, graviter impegerit Onuphrius. Tandem ipse in sua ipsius sententia totus acquiescit. Sed verius est nomen *Cardinalis* ad Ecclesiæ Romanæ & illius superbiæ imitationem accommodatum esse illis omnibus, qui in Ministerio Ecclesiastico præferrentur, & excellent aliis, siue in eadem Ecclesia, siue in diuersis. Sic in eadem Ecclesia sancti Damasi duo Cardinales recensentur in Registro Gregorij lib. 4. cap. 88.

De officio Cardinalium, præcipuè Romanorum, quale sit, fueritve, nihil ad nos, qui ab huiusmodi seris bestiis iam pridem avugimus. Ipse Pontificij, de eo inter se, si velint, diglas-

diantur. Certe quum quę tribuit illis Bellarminus munia & munera (quatenus sunt Romani Cardinales) ea ex Dei verbo scripto nusquam Bellarminus probet iisdem competere, omnia omittimus. Nec enim ordines ecclesiastici, aut eorum officiũ ex hominum scitis, decretis, aut traditionibus statui, vel pendere potest. Præterea manifestè secum pugnat iste, qui, quum velit tria Cardinalium Romanorum officia esse antiquissima, & ab ipsis aded Apostolorum constituta temporibus col. 1100. L. D. id tamen ipsum eodem loco statim negat. Et certè refutatur à Cypriano lib. 2. epist. 7. li. 3. epist. 5. & 21. qui anno Domini CCL. nullos adhuc in ecclesia Romana Cardinales norat. Imo ipsemet Bellarminus col. 1101. L. B. §. *Deinde* concedit solũ ante annos quingentos hanc Cardinalium Romanorũ autoritatẽ cepisse, & inualuisse, & col. 1103. L. B. §. *Alter* fatetur ante annum Domini octingentesimum hanc Cardinalium potestatem minimè natam, & extitisse. Quis igitur melius Bellarminum confutet, quàm Bellarminus, quum sapit?

Porro Caluini verissimis argumentis, quibus hoc nouum in ecclesia Cardinalium inuentum, & monstrum prorsus deiicitur, & debellatur, nihil solidè vel ex Dei verbo, vel ex vetustis Patribus respondet Bellarminus: sed tantũ vsurpatam ab iis tyrannidem in Episcopos opponit. Frustra. Hoc enim ius Cardinalibus competere probandum erat ex Dei verbo: non ex consuetudine contra bonos mores recepta, quæ minimè sequenda, retinendaque est, præsertim quum hęc cum Onu-
phrio

phrio fateatur Bellarminus, & ex Concilio Carthaginensi 4. & ex lib. 1. cap. 7. de vita Gregorij Magni appareat Episcopos Ecclesię Cardinalibus Romanis fuisse prælatos. Imo col. 1103. L. B. sic describit iste suos Cardinales, vt Episcoporum solū esse vicarios statuatur. En quid de Cardinalibus sentiat iste, qui vult videri Cardinalium magnus præco. Agens autem de Cardinalibus D. Iohannes Calvinus minimè sibi contrarius est, vt iste putat. Nam Romanos Cardinales scribit Calvinus in ecclesia Pontificia ex paruis pullis, & Sardinis exiguis piscibus, factos, aut saltè euasisse (magno astu, & pertinaci suo cum Pontifice Romano bello in Imperatores) euasisse, inquam, Regum, & Cæsarium cognatos, & iis æquales: præsertim ex eo tempore, quo Gregorius XI. rubro galero decorauit illos, vt Auenione in Italian eos reduceret. Ergo tales & tanti iam sunt ista monstra, Scorpj, seu Cardinales in ecclesia Pontificia, qui tamen, iusto Dei ab iis spreto iudicio, inter omnes pios, & viros bonos, & in vera Dei ecclesia facti sunt viles, ac contemptibiles. Reddit enim Deus eos inhonoratos, qui se, suumque verbum scriptum negligunt: id quod isti strenuè faciunt, 1. Samuel 2. vers. 30. Malach. 2. vers. 9. Itaque præclare secum concordat Calvinus: turpiter à se discordat Bellarminus.

Ad Cap. xvii.

Miror quomodo Bellarminus de Chorepiscopis agere sit ausus, in quorum dignitate & autoritate suppressenda vafrities Romani præsertim Pötificis apparuit. Ac primum Chorepiscopi

dicti sunt Pastores, & Episcopi legitimi, qui Pa-
gorum Ecclesias regebant: nō autem Urbium. Hi
primūm pari cum Urbanis Episcopis dignitate e-
rant: atque etiam Commistri, & Confacerdotes
Urbanorum Episcoporum dicebantur. Itaque &
in Vrbe, & in Episcopali Ecclesia poterant con-
secrare corpus Domini, illud offerre, vt etiam eius
potestatis extant vestigia in cap. 14. Neocæsariē-
sis Concilij. In Conciliis cum Episcopis Urbanis,
& eodem gradu sedebant. Apparet. Nam in Neo-
cæsariensi Synodo Rudus in Cappadocia Chore-
piscopus inter reliquos Episcopos sedit, non po-
stremus: circa annum Domini 310. Eudæmon in
Synodo Nicena prima cum aliis Episcopis, licet
solum Chorepiscopus, interfuit. Verūm quoniam
ab Episcopo Urbano solo, seu vno, non à pluribus
(vt Episcopi Urbani) Episcopis creabatur Chor-
episcopus, censebatur minor dignitate, quā E-
piscopus Urbanus, vti colligitur ex Niceni Con-
cilij primi, capite octauo, & Sardicensis cap. 6. vbi
vetitum ne qui exiguis locis presunt, Episcopi ap-
pellentur, aut Episcopis exæquentur. Retenta ta-
men est quædam in illis dignitas, præsertim in O-
rientalibus, & Græcis Ecclesiis. Nam in suis agris,
& pagis, quibus præerant, poterant suos Presby-
teros, & Diaconos primūm ordinare, & eligere.
Postea tamen, quum sæpe indignos eligerent, ve-
titum, ac interdictū illis est, Ne ordinarēt Presby-
teros & Diaconos, sed tantūm Lectores, Hypodia-
conos, & Exorcistas, Concilij Ancyranī ca. 13. an-
no Domini trecentesimo, & Antiocheni, cap. 10.
Ergo ab ordine Episcoporum remoti fuerūt circa
annum Domini 345. inter Græcos, & Orientales.

Nam & Synodo Laodicensi circa annum Domini 368. cap. 56. antea constitutum fuerat, Ne in Pagis & vicis quidquam absque Urbani Episcopi consensu fieret in Ecclesia, aut quisquam ordinaretur. Sic igitur in illis Ecclesiis Chorepiscopi fuerunt sublati circa annum Domini 545. imminuti longè antea, & dicti Neocæsar. Synodi cap. 13. non Apostolis successisse, sed solum lxx. Christi discipulis. Verum in Occidentali Ecclesia prius illi sublati sunt & extincti. Quum enim Pontifex Romanus se tævilibus Episcopis ex equari nollet, aut eos in consortio habere recusaret, in iis tollendis plurimum laboravit. Tandem Damasus Papa circa annum Domini 370. eos abolevit, ut ex ipsius Epistola 3. & 4. apparet. Eos enim cum meretricibus comparat, quæ fetus pariunt, quos alere postea recusant, frustra dicuntur ab eodem primum instituti. Quid non convitiatorum Hispanus ille in totum Chorepiscoporum ordinem iaculatur? Postea Leo primus Damasi constitutum sanxit. Iohannes III. confirmavit idem edictum circa annum Domini 570. & proflus hunc ordinem in Ecclesiis occidentalibus extinxit, ac sustulit, magna animi ambitione, quod tales socios habere dedignaretur Romanus Pontifex: & in Ecclesiam tyrannide, qui Pagorum veros & legitimos Pastores verbum Dei predicantes, sacramenta Christi ministrantes noluit pro veris Pastoribus & Episcopis agnoscere, contra Pauli & Barnabæ institutum, ac sententiam, Actuum 14. vicesimo tertio. De his igitur Chorepiscopis agit Bellarminus: ubi summam inscitiam, & aversivam suam prodit miser, ac tantum nugatur.

Agnoscit enim eos pares Episcopis fuisse, exceptis quibusdam nugis, velut Templorum, & Altarium consecratione. Et quod Chorepiscoporum duo genera facit, ineptum est: sed non intelligit iste eorum ius, & autoritatem paulatim fuisse imminutam, non vno momento: nec ubique.

Ad Cap. xviii.

Homo iste Bellarmin. antiquum retinet, nempe factum animi immanem. Nam quæ brevissimè, & duobus penè verbis dici, & explicari debent & possunt, ingenij sui ostentandi gratiâ in plura, eaque longissima membra & capita diducit, & dispescit, qualis est hæc quæstio, de Cœlibatu Ministrorum Ecclesiasticorum, quæ facillimè vel vno brevissimo capite tota potuit explicari. Hic autè implendarum chartarum, & maculandarum causa, in sex prolongat & prorogat, ita & suo, & nostro homo vanus abutitur otio.

Bene est autem, quod suorum, nempe Iohannis Maioris in 4. Dist. 24. quæst. 2. & Clichthouei, lib. de Continètia Sacerdotum, cap. 4. errorem, vi veritatis coactus, agnoscit, fateturque hunc Ministrorum sacrorum cœlibatum non esse de iure Divino: sed merè humano, & quidem post Apostolorum ætatem & seculum sancito, ac posito, quicquid & Syricius Epistola prima, & Innocentius primus, Epist. 2. cap. 9. & in can. *Proposuisisti*. Dist. 82. & cano. *Tenere*. Dist. 31. persuadere & sibi, & aliis frustra conati sint. Ergo rectè Thomas in secunda tertiæ quæst. 88. Artic. xi. hoc votum non à Deo, sed ab hominibus Clericis præscribit. Sed

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

Sic

Sic Bellarminus dum Maioris errorem, & Charibdin fugit, in aliam Scillam incidit, & hæresin, nempe Cœlibatum Ministrorum Ecclesiasticorū sub ipsis Apostolorum temporibus. Id quod est falsissimum, & commentitium. Porrò quas hęc rationes affert Bellarminus, vt doceat non prohiberi iure diuino Ministris Sacris x̄ti suis vxoribus si iam erant mariti: & ducere vxores si velint, sunt illæ ineptissime. Quòd videlicet Sacramētum coniugij non pugnet cum Sacramento ordinis. Neutrum verò horum est Sacramentum, Bellarmine, nec ordo, nec coniugium. Quòd cohabitatio quidem cum vxore & vsus coniugij, seu actus obstat diuinis officiis sub Euangelio. (Hoc enim falsum est, Hebr. 13. ver. 4.) non autem contractus. Neque actus coniugalıs, neque contractus officit. Nam Petrus secum vxorem suam secum circunducebat, teste Paulo, 1. Corinth. 9. ver. 5. Quod præceptum Pauli in eligendis Ministris Sacris differt à diuino, 1. Timoth. 3. hoc falso nihil falsius est. Est enim merè diuinum. Itaque bonam causam non tuetur tenebrio iste, & Monachus, in reprobum à Deo sensum traditus. Verùm hęc ingenium ostentare suum voluit.

Ad Cap. XIX.

Bellarminus contendit, sed falso, iure Apostolico, seu ab Apostolis tradito cœlibatū annexum fuisse Ordinibus sacris. Id quod tamen & Panormitanus vnus ex primariis istorum sententiariorum negat, & Syluius Æneas Pius secundus dictus, qui cœlibatum istum Clericis iure meliore

interdicendum esse cœsuis, quam fuerat imperatus. Sed Bellarminu balbutientē, atque somniantem, vt pote Cœlibatum sacris Ministris ab Apostolis impositum, & sacris ordinibus annexi m scribit, audiamus, si modò quid ab homine somniantē, & agro sanam proficisci potest.

Prima ratio Bellarmini est, ex Epist. ad Titum, cap. 1. vers. 8. Oportet Episcopum esse *σωφρονεα*, id est, *Temperantem*, Ipse interpretatur *Castus*. Ergo oportet esse cœlibem. Respondeo, ex Paphunij in Concilio Nicensi primo sententia, castitas est etiam Sacerdotis, & Episcopi cum propria vxore coniugium. Est enim, vt ait Augustinus, castitas triplex. Cōugalis, Vidualis, Virginalis. Ergo fallacia est à restrictione huius vocis *Castus*, seu Ab æquiuocatione quasi ad solos cœlibes illa pertineat. Id quod est falsum. Deinde fallacia est A nō consequente. Aliud enim est esse temperantem, aliud cœlibem. Vult Episcopus Paulus esse temperantem, non cœlibem. Imo requirit, vt Episcopus sit Vir & maritus vnus vxoris. 1. Timoth. 3. v. 2. Tit. 1. vers. 6. Nec enim vxorem duxisse crimen est, ait Innocentius primus in can. *Deinde opponitur*. Dist. 26. Eusebius libro sexto, capite quadragesimo secundo historię. Ambrosius Epistola 82.

Quod autem idem Bellarminus affert ex 2. Timoth. 2. versic. quarto. non debere Episcopum sese implicare negotiis secularibus: ergo neque cōiugio. Item coniuges vt vacent orationibus, debere abstinere vsu coniugij. 1. Corinth. septimo, versic. quinto, inanē est & ineptum. Id enim omnibus Christianis in vniuersum præcipitur, non solis

folis Episcopis. Quare fallacia est A mala loci illius interpretatione, seu A non causa.

Secunda Bellarmini ratio ducitur ex Vetere Testamento, cuius locos partim propterea allegoricè, id est, ineptè & falso interpretatur, & torquet, velut, quòd Exodi cap. 12. ver. 11. præcipitur, vt Pascha comesturi habeant lambos, seu renes præcinctos: Item Exod. 28. ver. 42. vt Aaron, & Sacerdotes Altari inservientes habeant scemoralia, id est expositore Bellarmino, vt Cœlibatum voveant, quod est omnino falsum: & vt ab vxoribus abstineant. Quæ interpretatio nihil habet cum ipsis Præcepti verbis commune. Partim perperam accommodat eosdem locos ad Euangelicos Ministros, velut quod est Exod. decimonono, versic. decimoquinto, vti semel auditurus populus Legem Dei ab vxoribus per triduum tantum abstineret. Quod etiam 1. Samuel. 21. versic. quarto, iubet Sacerdos, vt Panes Propositionis dentur iis, qui hoc die ab vxoribus abstinuissent.

Denique quod est Chronic. cap. vicesimo quarto, Quæ de ceremoniis legalibus dicta, scriptaque sunt transfert iste ad Euangelium, & Euangelicos Ministros. Respondeo, hæc omnia ineptè dici. Nam mutato Sacerdotio sub Evangelio, lex quoque mutata est, & omnes istæ præceptiones, ad Hebræos. capit. 7. versic. 12. Alioqui reuocamur ad Iudaismum nos Christiani. Quare fallacia est Ab ignoratione Elenchi, Fit enim migratio de genere ad genus, quicquid Syricius Epistola ad Hunericum, Innocentius Epist. ad Victricium, Gregorius Magnus,

Homil. 22. Beda lib. 3. de Tabernac. cap. 9. contra
& aliud scribant.

At excipiunt Pontificij, Non minus sanctos esse oportet nostros Sacerdotes, qui quotidie Deo offerunt, quàm Veteris Testamenti Sacerdotes, qui non tam sæpe Deo ministrabant. Respondeo Primùm inanem esse eam coram Deo sanctificationem, quam homines comminiscuntur: non autem Præcipit Deus, qualis hæc est, quam obtrudit nobis Bellarminus. Deinde quædam fuit propria & peculiaris Leuiticorum Sacerdotum ratio, Næpe quòd figuræ essent Christi. Id quod non sunt Evangelici Ministri: Nec enim hi sacrificant, vt illi: non Christi vêturi sunt typus, vt illi. Ergo eadem his & illis minime conueniunt tam diuersis, vt præclare Dominus Calvinus respondit.

Excipit Bellarminus, Nostri etiam Christum ipsum, velut in S. Cœna, repræsentât. Respondeo, Repræsentant actionem Christi nostri Ministri: non personam, vt illi.

Itaque vt donorum Christi dispensatores hoc agunt, & in nomine Christi, quod Christus fieri & dispensari voluit in S. Cœna, & in Baptismo dispensant. 1. Corinth. 4. ver. 1. sed personam ipsius passi Christi Mediatoris & quatenus passus est, Evangelici ministri nõ referunt: quemadmodum eiusdem Christi passuri personam repræsentabant Leuitici Sacerdotes, Heb. 9. ver. 7. 8. 11. 12. Habet igitur responsionem Bellarminus ad id, quod quærebat: & iam discrimen nostrorum, seu Evangelicorum & Leuiticorum Ministrorum intelligit, nostro beneficio, si quidpiã intelligere potest, quod
antea

antea non intelligebat.

Tertia Bellarmini ratio ducitur ex hominum, & quidem paucorum autoritate, Videlicet solius Concilij Carthaginensis secundi c.2. quod ait hęc constitutionem de cœlibatu Sacerdotum, ab Apostolis manasse. Reliqua enim Concilia quę hęc citat iste, nihil eum iuuant. Ostendunt quidem cœlibatum esse præceptam, coniugium interdictum Ministris Euangelicis: verum solū ab hominibus, & quidem etiam longo post Apostolorum secula interuallo. Ancyranum enim Conciliū (quod iste primum pro se citat) conuenit post annum domini. 295. multis post Apostolos omnes defunctos seculis. Trullana verò seu Constantinopolitana Synodus c.13. teste ipsomet Bellarmino (tam est scriptor leuis & inconstans) col. 1107. L. B. & col. 1109. L. C. totam hanc coniugij à Papa Romano interdictionem Clericis factam apertè dānat, & tollit. Falsum autem est quod ait Synodus illa secunda Carthaginensis c. 2. Nam 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. 1. Corint. 9. v. 5. Luc. 4. v. 38. Heb. 13. v. 4. probant Apostolos ipsos post ordinationem suā fuisse coniugatos & suis vxoribus vsos, & tales Episcopos instituisse, & probasse. Quid opus erat denique & Syricum in Epist. ad Hunericum, & Innocentium primū postea, sicut apparet ex can. *Plurimi* & can. *Proposuisi* Dist. 82. tot rationes asserre, tot argumenta colligere, vt hanc suam de Matrimonio Clericis interdicēdo sententiam probarent, si hęc prohibitio erat Apostolica? Ergo à suismet Pontificibus refellitur iste. Nā & in Cōcilio Niceno primo, quum de ista prohibitione coniugij Clericis

facienda agi cepisset, eam prorsus exeuisset, & fieri prohibuit Paphnutius Martyr Christi, cuius tunc valuit autoritas, & ratio. Sed magis temeraria fuit sequens ætas, quæ Ministros Euangelicos cõiuges esse vexit. Denique ista Prohibitio neque simul, neque semel recepta est ab Ecclesiasticis Ministris, sed paulatim: & ex parte, modo his, modo illis metu tonitruũ R Pontificis eã acceptantib. Itaque in tota Ecclesia occidentali, vti vere scripsit Melancthon, non est lex ista recepta ante cõ. annos.

Quarta Bell. ratio sumpta est ab autoritate Põtificũ R. qui suã illã Helenã osculari sunt, adamarunt, fouerunt, itaque suis edictis sanciuerunt & confirmarunt. Respõdeo, Non quid Põtifices R. sanciuerint, spectandum est: sed quam bene. Præterea extat in Epistola Clemētis ad Iacobum fratrem Domini præceptũ ipsius, vt iuniores Presbyteri uxores ducant. Denique nonne est ista omnium Clericorum Romanorum querimonia in Callistum, qui hoc edictũ seuerè voluit obseruare, *O bone Calliste totus iã Clerus odit te, Ante edictum Presbyteri poterãt vxorib. vti: & quid sub Gregorio Magno contigerit, propter istã interdictionem, & quidem Romæ, vbi in piscina Cæsaris Claudij sex millia capitum puerilium ex Clericis procreatorum reperta sunt, vt scribunt Auentinus, & Vdalricus Episcopus, amputata & in illã piscinã proiecta, ne Clerici, qui eos genuerant, punirentur, quã illis esset misere interdictum cõiugium, & ex Eneratitarum hæresi, quam damnat Paulus, damnatũ 1. Tim. 4. v. 3. Leonis vero primi Epistola & scriptũ ad Imperatorẽ Anastasium pro tuẽda hac cõiugij*
prohi-

prohibitione Ministris sacris à suis prædecessoribus, Romanis Põrificibus facta, nullius est momẽti. Nullas enim ex Dei verbo rationes affert Leo; sed tantùm rancidam quandam crambem de comparatione Euangelicorum, & legalium Ministrorum apponit à nobis antea confutatam. Denique hæc Leonis sententia planè refellitur ex Epistola ad Hebræos c. 13. v. 4. ubi coniugium in quouis hominum Christianorum ordine laudatur.

Quinta ratio Bellarmini, (quam ipse quartam vocat col. 4 L. A. S. *Probatur quarto*) fundatur, afferturque ex quorundam Patrum autoritate, qui post tyrannidem hanc in hominum conscientias tentatam vixerunt, eamque ex recepta tunc, id est, suo seculo opinione (est enim, ut ait Augustinus, consuetudo tyrannis) superstitionis, & contra Dei verbum probarunt, tam fuerunt vel miseri, vel timidi præter officium. R. his omnibus testimoniis Patrũ, Primũ ea non prodesse Bell. quoniã etsi cõcedunt interdictum fuisse suo tẽpore Clericis cõiugiũ, tamẽ eã legẽ nõ à Christo, nõ ab Apostolis, sed multis postea seculis dũtaxat ab hõinib. & quidẽ superstitionis, fuisse impositã sãsim, & paulatim demonstrant. At ex his cõtendit iste cælibatum iure Apostolico sacrũ ordinib. fuisse annexum quod nullũ istorũ testimoniorũ hêt, docet, aut continet. Nã & Epiphanius Hæres. 59. & Chrysol. Homil. 2. de patiẽtia Iobi, Oecumenius in 1. ad Tim. 3. docet neque sãper hoc præceptũ fuisse Ministris sacris, ut cõiugio abstinerẽt: neque etiã tũc ubiq; illud obtruisse. Deinde fuerũt istæ Patrũ sententię priuata eorũ iudicia, Vi detur mihi, inquit Origen. Homil.

23. in lib. Numerum. Eusebius ait lib. I. c. 9. Euangel. Demonstratione *decer.* Præterea nullo S. scripturæ loco ad suam illam sententiam confirmandam vtuntur, vt apparet ex Ambrosij Epistola 82. li. I. c. vi. De officiis, ex Hieronymo cõtra Vigilantium & cõtra Iouinianum in fine Apologiæ, Augustino lib. de Adulterinis Coniugiis c. 20. Isidoro, Gregorio Turonensi, Sedulio, Anselino, & aliis. Imo vtuntur somniis, vt Cyprianus de singularitate Clericorum, quæ Deus credi vetat, Is. 8. Denique secum in eo pugnant Patres. Nam & Cyrillus Catech. 12. ab hoc citatus, & Augustinus, quæst. Veteris & Noui Testamenti quæst. vltima sub finem probant, vt Ministri omnes sacri coniugio, si velint, vtantur. Et docent Canonistæ ipsi Ext. Titulo xvii. lib. primi. De Filiis Presbyterorum ex cap. *Proposuit*, & c. *ex transmissa* & aliis Episcopos & Presbyteros olim honestè cõiuges fuisse, & suis vxoribus vsos fuisse can. *Osus* & can. *Vndecunque* Dist. 56. Quid in summa notius est, quàm Græcos Presbyteros, etiam non hodie coniuges esse, & vxoribus suis vti? Cur non igitur & Romani id possunt? Quod etiam concedit Toletanum Concil. 4. c. 42. Itaque non mentitur Calvinus, qui ait primis Ecclesiæ temporibus, & quandiu viguit Apostolica doctrina, Episcopos & Presbyteros vel coniuges fuisse, vel esse potuisse Euseb. lib. 5. Histor. cap. 24.

Sexta Bellarmini ratio sumpta est ex variis incommodis, quæ homo iste sagax, & acutus melius preuidet, quàm Deus ipse, si sacri Ministri sint cõiuges. Respondeo, Primum miramur, quomodo Mona-

Monachus de commodis vel incommodis coniugij, quæ ne ex fumo quidem vnquam odorari debuit, definire possit & agere. Nam quod Paulus quædam recenset, id facit futuras Ecclesiæ Dei afflictiones spiritu Prophetico præfagiens, quo certe caret Bellarminus. Deinde vnum scortationis peccatum omnibus istis Matrimonij incommodis quæ fingit ipse, apud Deum grauius & periculosius esse, ac magis euitandum. Præterea falsum est ista tot in coniugio vel simpliciter, vel Episcoporum inesse incommoda, Imo verò, inquit Sapientissimus Solomo Prouerb. 18. v. 22. *bonum inuenit & suorem à Deo nactus est ille qui coniugem, seu uxorem repperit*, quia sunt innumerabilia in coniugio commoda, & bona. Et quod coitum coniugalem scribit iste pollutum esse, & obstare sacris sub Euāgelio actionibus falsum est. Sed hūc putidum errorem ex Pelagianorum lacunis Bellarminus hausit, teste Augustino contra Iulianum Pelagianum lib. 5. cap. 9. & 10. Denique quum omnia illa, quæ vult iste, incommoda præsciens Deus, Coniugium suis Ministris tamen non prohibuerit, non debemus esse ipso Deo sapientiores, & seueriores. Sed liberum cuique relinquendum est vel coniugi esse, vel non, vt docet Paulus 1. Corin. 7. v. 27. 35. Et hæc quidem singula Bellarmini argumenta confutant bellissimè, & prorsus.

Ad Cap. xx.

Verum non sua solum confirmare: sed etiam euertere nostra conatur Bellarminus. Sed quam inutiliter, videamus. Est enim immota veri-

tas, quā tuemur. itaque inanes sunt hoc loco, Bell. tui labores. Primum nostrum argumentum est, Deus voluit liberum esse coniugium omni priorū generi & ordini: & qui aliud docent, Diabolicam Doctrinam docent, vt ait Paulus 1. Timot. 4. v. 3. sed eam futuram tradit in Ecclesia posterioribus temporibus. Respondet Bellarminus, Hoc verum esse: sed se, & suos isto telo Pauli non feriri, quia nō omnino nec omnibus Christianis nuptias interdiciant. Respondeo Bellarmino, Qui ex parte aliquid facit, facit: & in numero agentium comprehenditur, damnaturque, si agentes dāentur. Nec verò distinguit Paulus, inter eos, qui ex parte, & vni solūm piorum ordini coniugium prohibent, & eos, qui Christianis omnibus, Vbi verò lex non distinguit: nos distinguere debemus. Denique pari modo Manichæi excusarentur quia non omnibus, sed suis tantum electis, id est, Presbyteris, & Episcopis coniugium interdicebant, teste Augustino lib. 2. de Moribus Manicheorū c. 18. & Epist. 74. ad Deuterium, quod faciunt Pontificij. Nam quod discrimen statuit Bellarminus inter suorum & Manicheorum sententiam & errorem, positum est in eo quod plus est, & minus, quæ duo specificā differentiam non constituunt. Ergo non à tota hæresi, sed à tanta duntaxat hoc discrimen Pontificios excusat, teste Bellarmino.

Secunda nostra ratio est ex Paulo 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. Vult enim etiam coniuges in Episcopos eligi, si modo duas eodem tempore vxores non habuerint. Respondet Bell. id non poni interdotes Episcopi. Respondeo, id dicere nihil dicere est

est, & suam sententiam prodere est. Verba enim ipsa Pauli docēt apertē coniugē in Episcopum elici posse. Quod ad Pauli locū 1. Tim. 3. v. 11. de uxoribus Episcoporum, in eo iste se brutum hominē ostendit, qui scribitur locum illum referri & pertinere, vel ad Diaconissas, de quibus tamen agit alibi Paulus nempe c. 5. velut vniuersas mulieres cōtra de his sup. cit. egerat Paulus, Deinde qualis est, obsecro, illa, & quam inepra solutio, *Vel dic, vel d. c.* Quid enim iacertius?

Tertia nostra ratio est Heb. 13. v. 4. *Inter quosuis est* ait Spiritus Dēi, *honorabile coniugium* ergo cuius Christianorum ordini honorabile, siue Ministri sacri sint, siue alij. Respondet Bellarminus, Verba hæc *inter quosuis* tria significare sibi cōtraria. Id quod suo more agit, vt sepiarum iustar quā captus tenetur, atramentum variarum solutionum, sibi que contrariarum nobis effundat. Ait igitur *in omnibus* declarat vel omni ex parte, vel apud omnes, vel in legitimē coniūctis Respondeo, eligat ecquā ex his solutionē ipse probet. Nā secūda tertiam euerit: Prima secundam. Si *in omnibus* verē significat omni ex parte, non potest significare apud omnes. Hæc enim interpretatio personas spectat: illa rem ipsam coniugij. Tertia interpretatio neque rem, neque personas attingit aut spectat: sed gradus tantum coniugij sancit. Ergo totum hoc est ineptire, & vutare. Deinde verba *Inter quosuis* lucē clarius meridiana demonstrat hīc agi de personis, id est, de singulis ordinibus piorum, quibus Coniugium interdici non debet. Futuram enim de eo Pontificiorum heresiam,

iam tum præuidebat Spiritus Sanctus, quam damnauit maturè.

Quarta ratio nostra est ex 1. Corinth. 9. vers. 5. Apostoli ipsi vxores habuerunt, iis post Apostolatam vsi sunt, & eas secum circumduxerunt, teste Paulo ipso. Sed & can. *omnino*. Dist. 31. & can. *Cum igitur*. 35. quæst. 1. Quid ad hoc Bellarminus? Præter casam fugit. Quærit, qui Apostoli coniuges fuerint. Tandem ex Ignatio comperit omnes fuisse coniuges, & ex Clemente etiam Paulum ipsum. Sed addit eos post Apostolatam vxorum vsu abstinuisse. Et locum Pauli de Apostolorum vxoribus negat præfracte agere. Respondeo, Tam piè & verè affirmare potuit Bellar. noctem esse diem, lucem tenebras, quàm omnia illa & ineptè, & falso, & contra ipsa textus verba scribere. Cur enim Apostoli suas vxores secum circumducebant, si iis non utebantur. Cur istas vxores sorores Apostolorum Paulus appellasset, si non erant vxores? Istæ sunt fabulæ, quas efflat Bellarminus, uti docet præclare in eo loco P. Martyr, & verè. Quam enim turpe fuisset singulos Apostolos gregè mulierum suarum discipularum, ut vult Bellarminus, secum circumducere, (quod & Bacchus primus fecit, & postea Montanus) ut ab iis vel alerentur, vel laudarentur Apostoli? Nam quod de Christo scribit Lucas cap. 8. vers. 2. 3. nihil iuuat falsam Bellarmini sententiam. Nec enim ait Lucas istas mulieres solitas fuisse Christum sequi quocumque iret: id quod de Apostolorum vxoribus scribit Paulus: sed tantum de suis facultatibus Christo, quem sæpe pro occasione oblata audiebant, sumministrare victum

victum solitas. Denique delirat prorsus Bellarminus in interpretatione horum verborum, *Socse germane*, Philipp. 4. vers. 3. quam & nullam, & variam tamen, sibi que omnino contrariam affert miser homo. Seipsum enim manifestè refutat, dum vocem *Socse* proprium viri nomen esse ait: & significare ibidem *coniugem*: vti & suam inscitiam prodit, dum affirmat præter Clementem Alexandrinum lib. 3. *Stromatov*, neminem scribere Paulum fuisse coniugem. Fallitur. Ante Clementem id scripsit Ignatius epistola sexta: & post Clementem Eusebius li. 3. historiæ cap. 20. vt alios omittam: sed est homo iste temerarius fiducia vana ingenij.

Quinta nostra ratio est sumpta ex totius Concilij Niceni primi autoritate: quod Paphnutij Christi Martyris sententiam sequens decrevit licere Episcopis esse maritis, & vti suis vxoribus. Est enim castitas cum propria vxore coniugium. Socrates lib. 1. histor. cap. 8. Sozomenus lib. 1. ca. 22. Quid ad hoc argumentum nostrum respondet Bellarminus: Prorsus hæret. Itaque maluit negare veracem esse in Historia sua Socratem, quàm verum & id quod res est, ingenuè agnoscere, & fateri. At præter Socratem alij scripserunt quoque viri graues, vti Sozomenus, & Callistus lib. 8. cap. 19. Historie: Imo lex quoque in eam sententiam est ab ipso Imperatore Theodosio ædita L. *Eum qui*, Cód. de *Episcopis & Clericis*. Nec verò sequitur, vt si Socrates in quibusdam peculiaribus (velut Sabbati & Quadragesimæ iudicio.) Romanæ ecclesiæ ritibus errauit, idem quoque ignorarit, erraueritve in eo, quod toti tunc ecclesiæ notum erat, quale erat hoc

Concilij Niceni primi celeberrimum decretum de Coniugibus Episcopis. Itaque Socrati grauissimo scriptori sua fides & autoritas nequaquam propterea detrahi debet. Deniq; quod scribit ex Hieronymo Bellar. in oriente, & Aegypto Sacerdotes suis vxoribus vsos fuisse, non vrget. Illud enim Niceni Concilij decretum sequi ex inani quadam & iam laudata superstitione noluerunt illi.

Ad Cap. XXI.

SVperbus est, vanus est, Suffenus est procul dubio homo iste Bellarminus, qui sibi cum tot Heroibus, & Christianæ fidei columnis Iohanne Caluino, Philippo Melächthone, Petro Martyre, Martino Luthero, & Magdeburgensibus Historicis certamen indixerit. Sed quàm infelicitè cum iis pugnet, videamus. Nec enim est par cõgressus Achilli, aut (vt vulgo dici solet,) cum Bitto Bacchius, par nobile, & æquale gladiatorum. Sed iste est Monachus, Samnis, spurcus homo, vita illa dignus, locoque. Nihilominus eum audiamus.

Philippi prima ratio fuit, Coniugium est iure diuino homini concessum, cum his verbis. Genes. 1. ver. 28. *Crescite, & multiplicamini:* tùm ex ipsius Coniugij institutione à Deo facta, Genes. 2. ver. 18. Ergo hoc Dei beneficium nemo homini, vt pote naturale, eripere, aut tollere debet, vel potest. Respondet Bellarminus, solùm in casu, quo genus humanum periturum esset, præcipitur coniugium. Respondeo, Immo cuius homini à Deo præcipitur in casu, quo quispiam vtitur, & continere non potest, teste Paulo, 1. Corinth. 7. v. 9. Ergo hoc cõcessum homini à Deo beneficium
nulla

nulla lex eripere potest. Est enim Deo, & hominⁱ iniuria.

Secunda ratio, Iubet Paulus, vt qui continere non potest, coniunx fiat, 1. Corinth. 7. ver. 2. & 9. Respondet Bellarm. variè, & contrariè. Primum hoc præcipi, deinde non præcipi, sed permitti tantum. Postea non de omnibus, sed solum de coniugatis hoc intelligendum, deinde de omnibus hoc ipsum esse intelligendum. Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo? Sed tantum ait, hoc iis à Paulo dici qui continentiam non voverunt. Respondeo neminem eam vouere posse, nisi à Deo hanc continendi potestatem acceperit: quod & rarum est Dei donum, & ab istis, qui eam vouent, non exspectatur. Ergo rem sibi impossibilem vouent Deo: quod votorum genus Deus nequaquam accipiat, itaque per se nullum est, Numeror. 30. vers. 5.

Tertia Philippi ratio est, Lex Pontificia de coelibatu Sacerdotum dissentit à veteribus Conciliis & piis, vt apparet ex cap. 6. Canonum Apostolor. Gangrensis Concilij cap. 4. Trullani cap. 30. & c. 13. Carthaginensis v. cap. 3. Leonis, can. *Aliter*. Dist. 31. can. *Cum igitur*, quæst. 1. Ergo improba lex est, Respondet Bellarminus, sed ea, quæ cum ipsa Synodorum citatarum mente, & verbis prorsus pugnant. Itaque illius responsio ab ipsismet canonibus, & Synodis aperte confutatur. Eò demum confugit, vt dicat Concessum quidem fuisse Episcopis, & Presbyteris vxores suas, quod ad curam victus, retinere: sed non quod ad usum hori & coniugij. Id quod Gangrense Concilium Trullanum, ca. *Cum igitur*. 35. quæst. prima. cano. *Omnino*. Dist. 31. prorsus euertunt: legantur, & conferantur

loci à Pio Lectore, nisi id illi molestum est, aut si nobis non credat, nec fidem habet.

Quarta ratio nostra, Continentia ista non est à Deo data omnibus, & concessa, Matth. 19. versi. 11. *Non omnes*, inquit Christus, *capiunt hoc verbum*: & Paulus 1. Corinth. 7. ver. 7. idem docet. Ergo nõ est cuiusvis eam vouere. Respondet Bellarminus. Nec est cuiusvis ordines sacros suscipere. Imò verò quicumque eam virtutem habere volunt, & desiderant, eandem à Deo impetrant. Tertullianus in libro de Monogamia in fi. Naziázenus oratione 31. Basilius de Virginibus infr. medium: Chrysostomus, Hieronymus, & alij. Respondeo Bellarmino, Quum Paulus appellet hanc Continentiam donum Dei, 1. Corinth. 7. ver. 7. docet illam non esse positam in nostra potestate: sed in solius Dei voluntate. Ergo quum quispiam sentit se vri, intelligat se non habere hoc Dei donum, quicquid ieiunet, oret, vigilet, & occasiones fugiat, quæ sunt remedia Bellarmini. Obrepunt enim huiusmodi cogitationes & affectus, etiam nihil tale optantibus nobis, & primùm desideratibus, quæ non possunt extingui, nisi coniugio, id est remedio, quod Deus dedit, Paulus monstravit, 1. Corinth. 7. v. 9. Inde Cynædi, & Sodomia exorta in Monasteriis etiam Hefuiticis, quòd quum illis vxores ducere non concederetur, maribus contra naturam sunt vsi, vi, æstûque istius libidinis veneræ eos vrent. Id quod verissimum esse res ipsa docet, & clamat, & Monachorû Sodomitarû processus. Neque oratio, neque ieiunium, neque occultatio Monachorum, (quæ sunt tria Bellarmini Monachorum medici

medici remedia) ignem istum, & ardorem extinguunt: sed solum coniugium, id est, legitimum, & à Deo institutum remedium. Id quod etiam ipsi Sententiarij, quam de commodis coniugij agunt, concedunt, fatentur, & scribunt.

Quinta ratio Philippi, Hæc coniugij prohibitio facta sacerdotibus, Mundum scortationibus, Ecclesiam autem offendiculis implet, prodigiosas libidines parit: ergo est abolenda. Quid ad hæc ille respondet? Nihil, quia nihil potest. Duntaxat ait hunc esse abusum, non usum cœlibatus. Præterea negat tot inter suos reperiri concubenarios, quot dicimus ac conquerimur. Respōdeo Bellarmino, Imò plures scortatores Episcopi, & Presbyteri inveniuntur, quàm nos dicimus: id quod experientia rerum optima testis, ac magistra docet: neque cum vna scortari habent satis: sed cum pluribus id scelus perpetrant, liberos ex suis scortis susceptos, vel trucidant, vel omnino negligunt. Quod ad cœlibatū verò nō iure promissum, ipse ex sese scortationem istam gerit, & libidines. Non iure autem vouetur, quum ille, qui vouet, non habet à Deo donum Continentiæ. Est enim alioquinuis innatus (teste etiam M. Cicero. lib. 1. de Officiis) sibi simile gignēdi à natura appetitus. Quare responsio Bellarmini nihil valet, estque fallacia A non causa. Cœlibatus enim ipse ex sese has prodigiosas libidines suadet, & parit, quum imponitur iis, qui vtuntur. Quod autem idē hic ait, Episcopum, qui ex vxore sua filios gignit in Episcopatu esse adulterū, & Paphnutio Christi martyri repugnat, qui appellauit castitatem tale coniugium,

iugium, illiusque usum: & ipsi Hieronymo, quem citat, contradicit, qui non agit de filiis legitimè ex propria vxore natis in Episcopatu: sed de filiis Episcoporum ab iis ex scorto, & illegitimè susceptis. Sunt enim hæc duo filiorum Presbyterorum, & Episcoporum genera, sicut apparet ex Osee capite primo, & probatur ex capite *Ad hæc*, & cap. *Ad abolendam. Ext. de filijs Presbyterorum.*

Ad Cap. xxii.

QUOD ad Magdeburgensium Historicorū argumentum sumptum ex tristi istius legis de cœlibatu Clericis impositæ euentu, quemadmodum ex Vdalrici Augustani Episcopi Epistola apparet, fuit tantum quedam *ἄποσθίμα*, seu appendix ad superiores eorum rationes validissimas addita: in qua suæ sententiæ fundamentum illi minimè posuerunt, quod tamen iste putat. Itaque nullum non lapidem mouet, vt eam ipsam Epistolam neget verum habere titulum, & nomen veri Vdalrici Augustani, quondam Episcopi. Verum esto, sit titulus Epistolæ istius suppositionis: res tamen ipsa semper vera manet, quam non refutat Bellarminus. Neque verò tam scœdū facinus Gregorius Magnus à se profectum in suis libris scribit, vt neque alia multa: neque vitæ illius scriptores, qui Gregorio assentari voluerūt, commemorant, vt Romani istius Pontificis *ἄμφωσιον*, quam omnibus occinunt, non deturpent, aut in dubium reuocent. Sic multi sunt in optimis libris falsi tituli, & falsa scriptorum & autorum nomina, sicut expositio fidei Cypriano tribuitur,

tur, quæ est Ruffini: liber de fide ad Petrum Augustinum, qui est Fulgentij. Res tamen illis libris & scriptis comprehensa verissima, fidèque dignissima est. Sed & Iohannes Balleus, & Auentinus idè quod Valerius scripserunt, ne de re ipsa dubitent pij quin sit verissima.

Ad Cap. xxxii.

DE Bigamia, quid sit apud Paulum, & de Bigamis, quærit hoc & sequenti capite Bellarminus. Res ipsa per se fuit, estque facilis, sed ab isto intricata & obscurata. Nec enim quæritur, Quæ Bigamum ea, quæ Paulum secuta est, atas appellabit: sed quid apud Paulum significant hæc verba, *Vir unus uxoris Episcopus* Præclare verò can. 17. Apostolorum ait esse eum, qui pluribus coniugiis simul est implicitus: & Chrysostomus hoc loco docet Paulum spectantem ad Iudæorum mores, qui simul plures vxores habebant, id vetuisse in episcopis Christianis, vt simul duas vel plures vxores sumerent, vel haberent. Quam interpretationem Desiderius Erasmus, Iohannes Calvinus, Theodorus Beza, & alij viri doctissimi sequuntur magnis de causis. Idem docet Iustinus martyr Contra Tryphonem, & Apolog. secundo *Δίγαμος* appellari. Nec multum dissentit Ambrosius, qui ait Episcopum quidem secundo coniugio propter sedis dignitatem abstinere debere: non ait tamen eum cogendum abstinere, aut indignum propterea episcopatu esse. In canon. *Quod si dormierit* 31. quæst. 1. tam licitæ & honestæ pronuntiantur secundæ, & tertie nuptiæ, quam primæ. Bernar-

duſ Serm.66.in.Cantica Canticorum eodem modo probat, & quicquid contrà afferatur etiam idem ſentit ipſemet Hieronymus in epiſtola ad Oceanũ, & apparet ex principio ca. *Quomodo* 31. qu. 1.

Verũ poſtquam Encratitau hæreſis, quæ cõtra Pauli præceptum 1. Timoth. 4. ver. 2. & 3. Nuptias damnat, in eccleſia præſertim Romana inuoluit, Voces iſtæ apud Paulum aliter, quàm ex vero Pauli ſenſu ſumptę fuerunt, & aliter Digamus & Digamia ſunt explicata, quum oportebat. Nam *Διγαμία* dicta eſt omnis *δ'εύτερος γάμος*, quàm etiã quiſ alteram, priore mortua, vxorem legitimè & ſucceſſiuè ducit. Id quod & pium & honeſtum eſſe pronũtiat Paulus 1. Corinth. 7. ver. 39, Bigami dicti conſequenter ij, qui ſucceſſiuè ad ſecundas nuptias conuolarunt. *Πολύγαμοι* ij, qui plures ſimul vxores duxerunt & habent, vt nunc Turcæ, olim Iudæi. Tum autem execrabiles etiam nuptiæ iſtæ ſecundæ viſæ ſunt, vt & longè ſanctior & Deo gratior cenſetur, qui duas Concubinas ſucceſſiuè habuerit, quàm qui duas vxores legitimas ſucceſſiuè duxerit. Hic enim & Bigamus & execrabilis coram Deo cenſetur: ſed ille Concubinarius non itẽ, imo præbyter, & Epifcopus creati abſq; diſpenſatione poteſt, vt ſcribit Inn. III. in c. *Quia circa minima* Ext. de Bigamis. At contra in epiſtola ad Hebræos 13. v. 4. iſta omnis cõiunctio, & concubitus, qui eſt in concubinato, dicitur pollutus, & ſcortatio, quia fit extra coniugiũ. In can. *Is qui* & ca. *Chriſtiano* Diſtinct. 34. exequatur concubinatus ſeu ſcortatio iſta coniugio, tantum fuit Nuptiarum ac præſertim Bigamiæ dedecus, & iſtorum in eam impurorum

impurorum hominum odium. Nam etiam vetuerunt ne secundas nuptias istas Presbyteri benedicerent Neocæsariensi Conc. cap. 7. Sed iam Bellar. audiamus à nobis dissentientem, & falsis Pauli interpretibus assentientem in odium veritatis, à quo nihil, nisi spurcitas, hinc discemus. *καὶ ὧν γὰρ διδάσκον κατὰ μαθήματα.* Audiamus tamen, ac confutemus.

Primum affert locum ex 1. Timoth. 5. vers. 9. vbi eodem sensu mulier vetatur eligi diaconissa, si non fuerit contenta vno viro, & nisi vnus viri vxor fuerit: quo quis vetatur eligi Episcopus nisi fuerit vir vnus vxoris, id est, contentus vnica vxore, non autem aliam etiam successiuè duxerit. Respondeo Bellarmino, Etiam nonnullos viros pios & doctos sic explicare locum illum Pauli, vt vetet eam mulierem ad Diaconatum in Ecclesia eligi, quam quis vnâ cum aliis in numero vxorum habuerit eodem tempore, vt olim solebant Iudæi, nunc Turcæ. Id quod certè quidem verum est. Magis tamen placet illa interpretatio, quæ docet commendari & præferri eas fœminas ad Diaconatum, quæ vno marito fuerint contentæ: pluribus autem successiuè non nupserint. Nec enim aliter de mulieribus exponi potest, quoniam illæ pluribus simul viris nubere vti viri non solebant, Augustin. lib. 3. cap. 12. Docti. Christ.

Secunda ratio Bellarmini, Non fuisse solitos homines, siue Iudæos siue Gentiles, simul & eodẽ tempore duas vel plures vxores habere, quum illa scribebat Paulus. Respondeo Bellarmino, istud esse falsum. Nam ex Augustino lib. de bono Con-

iugali cap. 18. ex Iustini Martyris responsione ad-
 uersus Tryphonem, & Apologetico secundo, ex
 Iosephi li. 17. Antiquit. ca. 2. ex Actorum Apolto-
 licorum cap. 15. v. 20. ex Chryostomo ipso in 1. Ti-
 moth. 3. apparet nihil tunc fuisse inter Iudæos, &
 Gentes, præsertim Græcos, & Orientales (vbi tunc
 plurimæ erant Christianæ ecclesiæ, nullæ enim tunc
 erant in Italia vel Occidente, vbi Polygamia ve-
 tabatur) frequentius, quàm vt vnus quispiam plu-
 res simul vxores haberet, & eodem tempore eas re-
 tineret. Nam quod ait Socrates lib. 4. histor. ca. 26.
 Valentinianum primum plures simul vxores ha-
 bendas permisisse in Imperio Romano, intelligē-
 dum est, Primum ex Imperatoribus Christianis id
 concessisse. Nam Imperatores Ethnici Romani sin-
 gulas gentes in eo suos mores sequi sinebant. Pro-
 hibitiones autem, quas hinc ex Codice de Incestis
 L. *Neminem*, & L. *Eum qui*. Ad L. Iuliam *de adul-*
teriis citat Bellarminus, sunt intelligendæ dūtaxat
 de iis, qui contrariam legum suarum, aut nationis
 & Patriæ cōsuetudinē non haberent, & Romæ, vel
 in Italia præsertim viuerent: non in Oriente, vel
 inter Iudæos. Quod denique scribit Bellarminus
 Nouum Testamentū semper vti singulari nume-
 ro, vbi de Christianorum vxoribus agit, quia plu-
 res simul vxores habere iā non solerent. Respōdeo
 Verum hoc esse, sed metuendum fuit, ne Ethnico-
 rum mores in Polygamia imitarentur, & repet-
 rent, quos ipsi etiam aliquando probauerant. Ergo
 vetant Gentibus Apostoli, ne Polygami sint, vt
 Gentes reliquæ infideles Actor xv. vers. xx. fatetur
 id Bellarminus col. 1127. L. C. nobiscum.

Tertia

Tertia ratio Bellarmini sumitur ex quorundam Patrum autoritate. Respondeo Paucos istos iã superstitioso illo errore de comparatione & similitudine Levitici Sacerdotij cū Evangelico fascinatos, illóque abreptos sic scripsisse. Quibus nos opponimus & can. 17. Apostolicum, Chrysostom. in 1. Timoth. 3. Ambrosium in ea ipsa, quam ille citat epistola 82. Iustinum Martyrem, Theodoret. in 1. Tim. 3. v. 2. Hieronymum in epistola ad Oceanum Augustinū can. *Quod si dormieris* 31. quæst. 1. Denique nō quid illi, sed quā rectè dixerint, est perpedēdū. Quū enim homines fuerint, & labi, & errare fuit illis familiare, vt aliis. Nā & ipse Bellarminus Patris eruditissimi Theodoriti nobiscū planè sentiētis autoritatē reiicit ex mero arbitratu suo.

Quarta ratio Bellarmini est ex ecclesiæ consuetudine, quæ hanc Bigami interpretationem amplexa est, teste Innocentio epist. 22. cap. 1. Leone epist. 88. Gratiano tota Dist. 26. & Titulo de *Bigamis*. Extrà. Respondeo, Non semper fuit ea cōsuetudo ecclesiæ Christianæ, sed solum postquā Apostolica doctrina pura pura in ecclesia retineri desiit: & hæresi Encratarum seu Tatianorum aspersi ac maculari cepit. Nec aliud probant autoritates hïc à Bellarmino prolatae, quàm eos, qui iã corruptis ecclesiæ moribus vixerunt, ac scripserūt, sic ex cōmuni errore sensisse. Verùm mala consuetudo veritati non præiudicat, inquit Cyprianus. Dixit enim Christus, *Ego sum veritas* Ioh. 14. non autem dixit, *Ego sum consuetudo*, Iurisconsulti aiunt plane idem de regulis iuris, *Consuetudo contra bonos mores recepta, est abolenda, non sequenda.*

Ad Cap. XXIV.

TEntat etiam Bellarminus, si potest, nostrorum argumenta, & præsertim D. M. Lutheri conuellere. Sed frustra laborat.

Primum argumentum Lutheri, vetat Paulus Episcopum eligi, qui non sit inculpatus Tit. 1. vers. 6. Et illa vitia Paulus idem enumerat, quibus futurus Episcopus carere debet: inter quæ nequaquã est, quòd duas successiuè vxores legitimas habuerit. Quare hoc non est in Episcopo censendum vitium. Respondet Bellar. hoc quidem crimen nõ esse, sed esse dignum tamen reprehensione, quia Pontifices etiam inter Ethnicos esse non poterat, qui Bigami fuerant. Respondeo, Vtranque Bellarmini solutionem, & rationem, falsam esse. Neque enim quicquam dignum est inter pios reprehensione, quòd Dei verbo minimè damnetur. Est enim lex Dei scripta nobis norma rerum laudandarum, aut nõ. Ps. 19. Deinde falsum est inter Ethnicos nullos Bigamos electos Pontifices fuisse. Nã & Iulius Cæsar, & Augustus, & Tiberius summi Romæ Pontifices creati sunt etiam trigami, & polygami, vt ex Suetonio apparet in eorum vita, ergo delirat hoc loco Bellarminus.

Secunda Lutheri ratio, Si debet esse Episcopus Monogamus, id requiritur in Episcopo aut propter vitæ sanctitatem, & tunc multò minus eligendus esset aliquis Cõcubinarius in Episcopum, aut adulter, quàm Bigamus. At ex cap. *Quia circa. Ext. de Bigamis* citra dispensationem Concubinarius fieri potest Episcopus: & ex can. *Christiano. Dist. 34.* Aut requiritur Monogamia in Episcopo propter

pter Mysticam, ac sacramentalem coniugij significationem: ergo, quum sit in omnibus pijs eadem vis & significatio coniugij, pij omnes, etiam Laici, deberent esse Monogami. Et vt Christus, sic omnes pij ducere debent virgines non viduas, semper eas seruare virgines, semper eas secum habere, vxorem repudiare, hæc enim omnia fecit Christus, cuius cum ecclesia coniunctionis sacramentum est piorum coniugium. Hæc sunt, Bellarmine, diuina tonitrua? Respondet iste sic, vt & doctrinam Lutheri veram esse agnoscat, & admirari eruditionem tãti veri cogatur: & seipsum apertè inuoluit, & prodit Manicheanum, & Cataphryem hæreticũ, vt pote qui secundas hîc nuptias manifestè dānet, quia falsum Christum, nempe plurium vxorũ maritum repræsentant, ait iste: aut illæ non sunt verum Sacramentum. Sic se mendaciũ euertit. Deinde negat magis pugnare adulterium cũ vera piorũ continentia, quam Bigamiam suam, id est, secundas nuptias legitimas. Has enim vult maioris & fœdioris signum esse incontinentiæ, quàm ipsum Adulterium, Spureus nempe homo, & porcus ex ara Hefuitarum, non ex ara piorum. Quidni verò id diceret Monachus Pontificius, quum Alexander III. istorum Deus in cap. *At si Clerici. §. De Adulterijs.* Extrà de *Indicijs.* Adulterium inter minora crimina recenscat: & cap. *Quia circa.* Innocentius III. alterum istorum numen Concubinarios, qui plures Concubinas habuerunt, præferat Bigamo, quem fingit & appellat. Væ hominibus istis. Ad reliqua absurda, quæ ex sua sententiã sequuntur, nihil respondet iste, quia tam sunt vera, vt nihil

comminisci, vel mutire contrà possit. Quod enim ait iste Christum vt hominem, vnam tantum vxorem habuisse: quâ vero Deû, duas, est impurissima blasphemia, & Nestorianismus manifestus Christi personam in duas diuellens, & separans.

Tertia Lutheri ratio est ex 1. Timoth. 3. vers. 2. Paulus non deffinit, quata sit illa vna vxor, cuius Episcopus vir esse debeat, siue prima, siue secunda, siue tertia, si modò illa sit vna tantum, velut 1. Corinth. 7. vers. 2. & 1. Tim. 3. vers. 12. Respondet Bellarminus non esse parem mentē vtriusque loci Pauli. Respondeo, In cæteris verum est: sed quod ad hoc videlicet, vt quæ sit censenda vna maritum alicuius siue Episcopi, siue alterius, vxor, intelligatur ex mente Pauli, omnes hi loci inter se belle cõsentiant, eodem spectant. Eam enim vnam vocat Paulus, quatacunque sit, vxorem, quæ sola tunc ab eo viro seu marito habetur.

Quarta ratio, Paulus ostendit se etiam iam Apostolum potuisse, si voluisset vxorem ducere 1. Corinth. 9. vers. 5. Ergo & Episcopi, iam Episcopi idem possunt. Respondet Bellarminus ineptias, voces has nempe, *vxorem sororem*, non de vxore, sed de muliere quauis Apostolos sequente intelligi. Nos suprâ hanc interpretationem confutauimus copiosissimè & verissimè.

Quinta Lutheri ratio est hæc, Scholasticorum interpretatio fingit Paulum esse scriptorem ineptum, qui verbo vno dicere potuit, oportere Episcopum esse Monogamum. Cur igitur, si id voluisset, non dixisset? Responsio Bellarmini nihil valet, nempe Paulum noluisse vti voce *μονογάμος*, quia nondum

nondum esset Græcis in usu, & nota. Respondeo, Nugæ sunt ista nugerrimæ, quia Isidorus, quem Bellarminus classicum autorem habet, lib. 9. Etymologic. cap. *De coniugiis* annotat, tam visitatum & notum Græcis fuisse nomen Monogami, quàm Bigami. Ergo est hæc Bellarmini responsio, *ἡ ἀπο-
φυγὴ* & labyrinthum, sed ineptum & leporinum.

Sexta ratio, Ambrosius lib. de Sacerdotio, cap. 4. ait hæc verba Pauli, *vir unus uxoris* referri ad unam ecclesiam, non ad Bigamiam præcisè. Sic Hieronymus ad Oceanum quoque. Sic Augustinus de bono Coniugali cap. 18. Ergo verba hæc præcisè non agunt de Bigamia. Respondet Bellarminus variè, suo more. Nam locum Pauli & de Ecclesia, & de Bigamia censet intelligi posse. Respondeo Bellarmino, Ergo non est certum, firmumque argumentum Sententiariorum, quod ex eo Pauli loco sumitur, quasi sit illic præcisè damnata Bigamia, quum hic locus, teste Bellarmino, varias expositiones admittat. Hieronymum iste fingit, facitque vanum & incertum scriptorè, quo nemo fuit diligentior, tam est in Hieronymum iste maledicus. Verba Augustini à nobis citata clara sunt. Augustinum obrorto collo iste in suam sententiam nuntium rapit. Augustinus scribit Episcopi & summi Sacerdotis diuersam esse sub Legge & Euâgelio cōditionē, quia latior est & maior Episcopi licētia, ut successiuè plures ducere possit uxores, quod Legali Pōt. nō licuit ex Dei præcepto Leu. 21. v. 13. Hæc fundamentū Bell. sententiæ tollūt.

Septima ratio Lutheri, quod ipsi Pontificij in hac Bigamiæ definitione sibi manifestè contradi-

cunt, quia Coniugium non verum definiunt verū, uti in cap. *Debitum*. Extrà de *Bigamis*, ut suam Bigamiam saluent: & fornicarios viros non exæquāt in ipso fornicationis vitio scēminis cap. *Nuper*. Extrà. Eodem, quum tamen sit idem vitium, & in masculo etiam maius. Respondet Bellarminus, Tria esse Bigamiæ genera. Esse enim Bigamiam veram, Interpretatiuam, Metaphoricam, Solam autem veram verè damnari: pœnam tamen eius extendi ad alias species, Respondeo Bellarmino, Imo ex Iuris sui, & canonici regulis, cap. *Odia*. De Regulis Iuris in VI. *Odia* restringi debent, non ampliari. Ergo ut suam Bigamiam isti tueantur, sunt sibi, suisque regulis semper contrarij, seque ipsos euertunt: quæ est iustissima falsæ sententiæ (qualis hæc est) pœna, Denique eò tandem decurrit Bellarminus, ut suos, velut Dominicum Afotum, imperitos esse in hac disputatione doceat: se verò verum doctum & peritum: & quicquid statuitur de hac re, ex mero ecclesiæ arbitrio pendere, non ex Dei verbo scribat.

Ad Cap. xxv.

Verissimum illud est Iuuenalis poëtæ, *Ploratur lacrymis amissa pecunia veris*, præsertim à Pontificiis Curionibus, Episcopis, & eorum mensæ affeclis Monachis. Bona igitur Ecclesiastica, & quæ eorum pars est optima, & potissima, Decimæ nempe, summo cum dolore animi amittuntur, ut apparet hîc pro istis Decimis & bonis, tanquam pro focus & aris pugnat acerrimè Bellarminus pro ventre, & pro culina nempe. Ut autem constet quid in quæstione inter nos, & Bellarminum iam versetur,

verferetur, fatemur veros Ecclesiæ Pastores esse à suo Grege, cui spiritualia communicant, alendos cum tota ipsorum familia, honestè quidem, non tamen opipare & luxuriosè. Sic Paulus Rom. 15. vers. 27. 1. Corinth. 9. 1. Timoth. 5. vers. 18. 6. v. 8. Quid autem, & quantum sit pro isto verorum Pastorum victu & vestitu illis constituendum ac definiendum, ex prudenti cuiusque ecclesiæ, & Consistorij illius, iudicio pendet. Alij enim sunt magis numero liberorum onerati, quàm alijs. Decimas autem propterea sibi postea usurparunt Pastores Pontificij, magna, acerbâque contentione, quum à Christianis Imperatoribus, aut ecclesiis nullæ primùm essent ad eorum victum constitutæ: sed certa tantum, qualis limitaneis militibus, pecuniæ summa, & pensio, id est, aliquid aliud, in *οὐτιμότερον* & victum eorum, velut certa in singulos annos frumenti, & vini mensura. Constantinus Magnus, qui primus, quum esset Christianus, Pastores ecclesiarum aluit, non decimas illis assignavit: sed ex suo, publicoq; fisco certam pecuniæ summam, quam Pastoribus ademit Iulianus Imperator Apostata, restituit, sed non totam, propter inopiam ærarij, Valentinianus primus Imperator, Hermius Sozomenus li. 5. cap. 5. Imo tempore Augustini pauci, vel omnino nulli in Africa Decimas soluebant, Homil. 48. in 50. Homil. & in Ps. 146.

Sed maluerunt Episcopi ipsi suis manibus, quàm alienis velut quæstorum publicorum, victum illū suum tractare, eum penes se habere. Itaque primū sibi decimas ex quovis gregis sui proventu, & territorio suæ ecclesiæ subdito ipsi designarunt, &

Gregorius Augustinum, Epiphanius Presbyterū, Respondeo, Hi, quos Bell. putat electos Pastores, nequaquam fuerunt eorum populorum, ad quos mittebantur, Pastores, antequā ab ipsis illis populis & eligerentur, & probarentur. Verum ab Athanasio, Gregorio, Epiphanio, viri docti & pii delecti sunt, quos iis populis primum & solum obtulerunt, à quibus isti qui fuerant oblati, postea fuerunt in Pastores electi, & comprobati.

Septima ratio sumitur ab incommodis, si Plebs & Populus eligat, qui & ignarus, & malus, vt plurimum est. Respondeo, Bellarminus aut peruertit, aut malè intelligit nostram sententiā. Quum enim ad legitimam Pastoris Ecclesiastici electionem totius Ecclesiae suffragium ac consensum postulari dicimus. id est, Cleri & Laicorum: in ea electione suas cuique integras partes relinquimus, & proprias: quae sunt, nempe Clericorum, & aliorum Pastorum, vt examinēt eligendū in doctrina, & moribus: Laicorum autem, vt hunc à piis Clericis, & Pastoribus iam examinatū, & probatum, ipsi suo suffragio, eoque libero, vel acceptent, & comprobent: vel etiam reiiciant, ac se eum nolle dicant, & repudiare pro suo Pastore possint. Nec enim inuita Ecclesiae Pastor est obtrudendus, can. *Nosce*. Dist. 63. Tertul. cap. 39. Apologet. Leo Epist. 89. Ancyran Concil. cap. 18. Nec metuenda est popularis, qualis euenit in Damaso Papa Romae seditio, quia tūc interueniet Magistratus, qui hos populares tumultus compefctet. Praeterea huic malo prospectum est, ac remedium inventum. Ancyran Concil. cap. 18. Neque verò quū Pastores eligunt soli, caruit, carē tue tristissimis

eventis huiusmodi electio, Nam factiones, diuinationes, cōspirationes, & schismata inde oriūtur lōge exitiosiora, quā populares tumultus. Hi enim statim sedātur, quia populi est mobile ingenium, illa verò schismata sūt diuturna, sicut in Antipapae electis iā pridē apparuit. Denique quicquid rectē fieri potest, habet tamē sēper, vt inquit Cornelius Tacitus, aliquid incōmodi adiunctū & admixtū. Ergo quam sint nihili Belli argumenta cunctis apparet ex his responsionibus. Verū nostra & ipse quoque conuellere conatur, sed inutili labore, & effectui.

Prima ratio nostra est Potestas (cuius hęc electio pars est data est) à Christo toti Ecclesie, non solis in singulis Ecclesiis Pastoribus. Ergo ad totam Ecclesiam pertinet Mat. 16. & 18. v. 18. Respondet Bell. & veteres ac ineptas suas cantilenas nobis occinit, hoc dictū esse soli Petro, nō toti Ecclesie. R. Imo toti Ecclesie, vt locus, Mat. 18. totus ostendit. Vtitur enim disertē Christus plurali, nō singulari numero, vt ad plures eam potestatem pertinere doceat manifestē, licet ipsa istius potestatis executio quemadmodum supra diximus, spectet fiatq; per solis Pastores, sed nomine totius ecclesie, sicut antea demonstraui.

Secunda ratio nostra, Populus Christianus potest malos Pastores suos reuicere, Galat. 1. versu 8. Mathei septimo versu. 15. ergo & bonos Pastores sibi eligere. Est enim contrariorum eadem ratio. Respondet Bellarminus, Populus reuicit falsos Pastores tantum attendendo quæ sit doctrina Romani Pontificis, & vtrum Pastoris sui prædicatio

& Dei cultui inferuaret. At nostri Sacerdotes & Episcopi sub Euangelio paternis bonis & possessionibus non priuantur, Numer. 18. vers. 20. & 26. Deut. 10. v. 9. Vbi autē nō est par ratio, neq; ius idē obtinere debet. Bellarminus ipse nobiscū facit, & prorsus sētit, col. 1139. L. A. B. Deinde quæ testimonia citat Bellarminus ex libris Mosis, ea ostendunt Decimas partem fuisse Ceremoniarum legis veteris, quæ omnes iam sunt per Christum abolitæ. Ergo ludit Bellarminus æquiocatione harum vocum, *Sunt iuris diuini*. Aliud enim est ius diuinū perpetuum, quod sub Euangelio durat, qualis est Lex Moralis: Aliud ad tempus tātū institutum, qualis est Lex Ceremonialis & Politica, quod ius sub Euangelio sublatum est. Decimarum autem exigendarum ius fuit & Ceremoniale, & Politicum. Ergo sub Euangelio cessat, Bellarminus ipse col. 1139. L. A. & B. idem probat.

Tertio loco vult Bellarminus esse decimas iuris positiui, & quidem mere, nimirum ecclesiastici: quemadmodum etiam Canonistæ sentiunt in can. primo xvi. quæst. 7. ex Gregorij septimi sententia. Nam quicquid hīc habet in tota hac disputatione Bellarminus, sumpsit, & transcripsit ex Rhapsodia, & Margarita decretorum apud Gratianum. Respondeo, Si ius decimarum est merè iuris positiui à Synodis & Pontificibus statuti, Aurelianensi cap. 17. Matisconensi II. ca. 5. Moguntino cap. 38. Rhemeni cap. 38. Gregorio VIII. Innocentio III. ergo neque iuris diuini est, neque Naturalis, id quod hodiè de Decimis in Papatu locum habet, & vsurpatur. Est enim aliud ius diuinum,

num, aliud ius ecclesiasticum & positivum teste Bellarmino col. 1139. L. A. §. *Probatum*. col. 1140. L. A.

Quod autem sensit VViclefus eleemosynam peccatori, ut in peccato perstet, factam, esse damnamandam, rectè & piè sensit. Ergo peccant, qui spontè & lubenter Sacerdotibus Pontificiis dant Decimas, ut illi Sacerdotes Pontificij sint, & manèant, id est, mancipia Antichristi, & Christi mortem sua Missa abolere perseverent. Nec verum est, Sic Decimas etiam Lupis Pastoribus esse à grege persolvendas, uti Tributa infidelibus Regibus à subditis debentur. Diversum enim est & dispar Pastorum Luporum, & Principum Infidelium ius, & ratio. Principes enim etiam Infideles iubet Deus honorari à nobis piis, & ali, Math. 22. *Reddite Cæsari &c.* Rom. 13. vers. 1. 1. Timoth. 6. vers. 1. Lupos autem Pastores idem Deus iubet à nobis expelli, abigi, minimèque ali & retineri. Iohan. 10. vers. 12. Quare malè sunt collata ista inter se à Bellarmino, comparatàque. Nam rationem ex Innocentij III. Decretali. *Tua nos*. Extra de Decimis, non moramur, quoniam ille pro sua culina pronūtiat, èstque pars simul, & iudex in hac ipsa causa.

De Fratricollis istorum Monachorum fraterculis, nihil ad nos pertinet, quod iste scribit. Isti inter se pugnent, & digladientur, si velint.

Reliqua, quæ iste contra suos, præsertim Canonistas de taxatione Decimarum (vtrum iam minores esse possint, quàm sub Lege veteri) disserit, omitto. Est enim inutilis tota disputatio, ambitiosè à Bellarmino suscepta, ut Cornicum, id est, Ca-

nonistarum oculos confoderet. Quanquam errat ipse manifestissimè, qui alios tam audacter erroris arguit, dum negat etiam ad ius Ceremoniale Decimas pertinuisse, sed solum ad ius Politicum refert. Id falsum est. Pertinuerunt enim Levitæ ad Dei cultum, vt & Templum ipsum, & Hostiæ. Ad primam quæstionem, vtrum Decimarum solutio abrogari possit. Respondeo, Modò alio aliquo honesto modo veri Pastores ecclesiæ cum tota familia, quantum satis est, alantur, iisque prospiciatur, eas omnino tolli, & abrogari vel lege, vel consuetudine posse. Itaque August. eas non exegit, vt apparet ex eius commentariis in Ps. 146. & eius Homil. 48. in 50. Homiliis.

Secunda quæstio, Vtrum pauperior Laicus debeat ditiori se Clerico decimâ soluere, Respōdeo, de Decimis nō tenetur vllō pacto Laicus Clerico siue Curioni, siue Episcopo Decimas soluere, nisi id fieri iubeat lex Principis. Sed pauperior ouis debet conferre ad suū Pastorem alendum, licet ditior ex priuato patrimonio sit Pastor ille, quàm ipsa hæc ouis. Ratione enim muneris ecclesiastici debetur à Grege Pastori suo alimentum, & victus 1. Corinth. 9. vers. 5. & 6. Ex hac autem nostra responsione apparet quid ad tertiã Bellarmini quæstionem quoque respondendum censeamus, non peccare qui præcise Decimas non soluit: peccare, qui in fouendo ex suis pecuniolis vel reculis Ministerio sacro auarus est, quòd vel omnino nihil cum cæteris in eam rem confert: vel non lubenter.

Quarta Bellarmini quæstio est, Vtrum cogi possint

possint iuste Christiani ad soluendam Clericis plenam suorum proventuum decimam partem, quam Clerici non sint pars decima orbis Christiani? Respondeo, Frustra hoc quæri. Nam primū superfluus Clericorum numerus & effrenis, vt nunc est, coercendus est. Deinde inertes Clerici & otiosi, qui nihil ecclesiæ verè profunt ad laborandum suis manibus, & victum quærendum sunt cogendi. Denique qui Clerici supererunt vtiles Ecclesiæ, illi sunt à suis ecclesiis siue ex decimis, siue alio modo alendi. Nam nimix Clericorum opes fuerunt verissima ecclesiæ labes, venenum, & corruptela, eritque semper.

Ad Cap. xxvi.

Viclefii sententia ex ipsius mente est intelligenda, non circumscribenda; id quod hoc loco facit malitiosè Bellarminus. VViclefus animaduertens quantas ecclesiæ ruinas nimix Clericorum opes intulissent ex tot Decimis, Agris, possessionibus collectæ, hunc luxum Clericorum, & illius verissimā causam, nempe nimias istas Clericatus opes dānavit. Ergo ex hypothefi disputauit VViclefus: Bellarminus illius sententiā ad thesin imperitè, vel malitiosè detorquet. Nec verò solus VViclefus, sed & Bernardus idè sensit ante VViclefum in libris de cōsideratione ad Eugeniū Papam & in declamatione: & post VViclefum Iohannes de Clemēgis Canonicus Bayonēsis, vt ex ipsius libris apparet. Porro errat Bellar. qui scribit Sacerdotes & Leuitas præter suburbanas illas possessiones illis à Iosua primū assignatas habuisse vel ex èpto, vel ex donato Agros alios in terra, pmissa

suos, & proprios. Nullos alios habuerunt Leuitæ,
 quàm illos, qui in urbibus erant suburbanis. in qui-
 bus habitabant. Sic 1. Reg. 2. vers. 27. dicitur Abia-
 thar habuisse Agrum. Sic Hieremias. Quod verò
 Leuit. 27. vers. 21. dicitur donatos Deo, & non re-
 demptos à Dominis agros fuisse in possessione
 summi sacerdotis, sic intelligendum est, vt eorum
 agrorum reditus perciperentur quidem à summo
 sacerdote: sed in olei, in frumenti, in Hostiarum,
 (quæ Templo sacrificabantur) emptionem, aut
 Templi refectionem: non vt eos prouentus Ponti-
 fex Maximus in suum, aut familiæ vsum aut victû,
 sicut faciunt Episcopi Pontificij conuerteret. In
 quo manifestè fallitur Bellarminus: velut quod
 scribit Barnabam Leuitam in terra promissa ha-
 buisse agrum præter suburbanum. Fallitur. Habuit
 illum in Cypro insula, non in terra promissa. Erat
 enim Cyprius genere Actor. 4. v. 36. Quod deni-
 que ad totam hanc quæstionem, dubium non est
 Agros & fundos ecclesiæ Dei dari posse ad alimo-
 niam Pastorum, postea Pauperum, præceptorum
 Scholæ & emptionem earum rerum, quibus eget
 Templum ad reparationem, in quod conuenitur:
 vel cæterus ipse ad participanda sacramenta. Ergo
 etiam fundos huiusmodi restitui ecclesiis iussit
 Constantinus Magnus illis à Licinio ademptos,
 Eusebius lib. 10. histor. cap. 5. Caveantur tantum
 nimix Clericorum opes hoc prætextu, & ne Pasto-
 res hæc bona ipsi per se administrarent, ne à suo mu-
 nere auocentur. Mirum denique est Bellarminum
 voluisse fieri Hæsitam, qui scribat eos esse apud
 Deum meliores, qui sunt pauperiores. Ordinem
 autem

autem ditissimorum Monachorum, ac proinde
 pessimorum & improbissimorum, elegit, ac pro-
 fessus est. Itaque se ipsum flagellat.

Ad Cap. xxvii.

Quod ad hanc quaestionem, vtrum ij, qui sunt
 Sacri Ministri possint sua, propriaque bona
 retinere, certo certius est eos posse. Nam & Bar-
 nabas coapostolus Pauli habebat agrum, quem
 retinere sibi poterat, si voluisset, quemadmodum
 docet Petrus Actor. 5. v. 4. etsi eum vendidit, Phi-
 lippus Euangelista domum, Act. 21. v. 8, Manahem
 Presbyter Antioch. & Propheta docēs in Ecclesia
 erat ditissimus, vna nempe cum Herode tetrarcha
 educatus Act. xv. v. 21. Euseb. lib. 3. Histo. c. 19. can.
 Apostol. 41. Ambrosius Epist. 33. idem confirmat.
 Praeterea ex superiorib. omnino sequitur, vbi do-
 cuimus in eo diuersam fuisse tribus Leuiticae ab
 Episcopis Christianis conditionem; quod hi bona
 paterna retineant, & habere possunt: illa nullam
 in terra promissa portionem, sicut caeterae tribus
 habuit. Denique quia votū paupertatis est miseri-
 ma & inutilissima, Deoque exosa afflictio, &
 promissio.

Vtrum autem ille, qui ad suam suaeque familiae
 honestam exhibitionem ac sustentationem satis habet ex
 suo patrimonio, debeat ac possit electus Minister,
 ab Ecclesia accipere stipendia ordinaria, & qualia
 caetera collegae sui pauperes Ministri sacri. Respō-
 deo, Posse quidem (quoniam illi ab Ecclesia de-
 bentur) exigere, eaque accipere. Diues enim credi-
 tor à paupere debitore debitam sibi pecuniam
 exigere iure potest. Videat tamen, & diligenter

perpendat tam diues iste Pastor, quid Ecclesiæ ad-
dificatio suadeat fieri, & patiatur, ne sit vel auarus
vel tenax: & ut quæ, quasi superflua, ab Ecclesia
accipit, pauperibus diligenter eroget, non autem
ex Euangelio dite scat. Esset enim censendus tunc
Mercenarius. Sed hoc totum ipsius conscientie
est relinquendum.

Ad Cap. xxviii.

VLtima quæstio est, quam quæstionarius iste,
id est, semper quærens mouet: & impiè defini-
nit, Vtium Clerici Romanæ Ecclesiæ iure subii-
ciuntur Magistratibus suis Politicis, & in tributis
soluendis, & in causis disceptandis, exceptis duntaxat
eis, quæ mere sunt Ecclesiasticæ. Nā de nostris
Ministris sacris quæstio ista fieri non potest, quum
manifestè ex Pauli præcepto Rom. 13. pareant Ma-
gistratibus. Ergo ad solos Romanos Clericos hæc
quæstio pertinet, qui sacri Ministri censi debent
aut volunt. Homo iste dilatat hoc argumentum,
quod & breuiter, & commodè potuit explicari,
more suo, ut ingenium suum ostentet, & ex regu-
lis Rodolphi Agricolæ Germani scriptoris ex
Musca Elephantem gignat. Ergo consentimus, in
causis, quæstionibusque mere Ecclesiasticis Mi-
nistros, Pastoresve Euangelicos neque Magistra-
tus Politici legibus subiici, neque ex eorum arbitrio
definiendas eas esse: sed ex solo Dei verbo, Actor.
4. v. 19. & cap. 15. Appello enim has controuersias
Ecclesiasticas quarum decisio ex solo Dei verbo
pēdet. Latius autem eas porrigit & extendit Bel-
larminus, ut maiorem suis Clericis immunitatem
à Ciuili potestate tribuat. Itaque omnia perturbat
& con-

& confundit. Sed in his ipsis causis merè Ecclesiasticis definiendis, si quid ab Episcopis vel Pastoribus aberratum, vel perperam falsoque iudicatum deprehendat Magistratus Politicus, præsertim Christianus, denuo & tertio de iisdem iudicari & agi procurabit ex Dei verbo, & ab aliis, vel etiam iisdem Pastoribus Ecclesiæ, seu Episcopis, non autem à Magistratibus Politicis. Tractant enim fabrilis fabri, & vera S. scripturæ (ex qua sola eiusmodi causæ sunt definiendæ) interpretatio ad Ministros & Pastores sacros imprimis pertinet & spectat 1. Corin. 1. v. 17. 4. v. 1. Ergo ne putet Bellarminus pij, Christianique Magistratus curam & officium ad eas etiam causas mere Ecclesiasticas nequaquam omnino extendi. Nam, uti ostendimus, extenditur.

Ergo his causis, quæ mere sunt Ecclesiasticæ, sicut exposuimus, exceptis, Clerici etiam Romani, & quidem omnes, etiam Papa ipse, Magistratibus eius urbis, in qua degunt, Politicis sunt subditi, quia sunt Ciues & eorum Iurisdictioni subiecti sunt.

Hoc verum esse concedit ipsemet Bellarminus in legibus Ciuilibus omnibus, quæ non repugnant sacris Canonibus. Atque ex Chrysostomo Roman. 13. Theodorito lib. 4. cap. 7. Hist. Epistola Nicolai primi ad Imperatorem Michaellem Constantinopolitanum Gelasij Epistola id manifestè probatur.

Sed addit exceptionem Bellar. Clericum etiam violantem leges illas ciuiles non pugnantem cum Canonibus, non posse tamen à Magistratu,

Politico puniri. Respondeo hanc Bellarmini exceptionem esse falsissimam. Nam quum Clericus iste violans leges ciuiles, sit Ciuis, teste, & consentiente Bellarm: ergo est à Magistratu, qui omnibus ciuibus Imperati punibilis, ac puniendus: Deinde Iustinianus id sanxit, Nouella constitutione Authentica 79. & 83. & 123. quæ disertè causas Clericorū eorum Criminales iubet à Magistratibus Politicis iudicari & decidi Gregorius lib. 11. Epist. 54.

Obiicit Bellarminus cap. 9. Concilij Chalcedonenſis, cap. 33. Agathenſis, c. 9. Carthaginenſis III. Matisconenſis cap. 8. Respondeo Obiectio ista nihil valet. Partim enim falsa allegat velut Agathēse, Carthaginense, Matisconense siue primum, siue Secundum Concilia, in quibus ne picta quidē extat littera vna de isto priuilegio Clericorū, quod hic tuetur Bellarminus. Partim falso interpretatur Conciliū Chalcedonēse, vbi agitur de priuatis & Ciuilibus Clericorum inter se tantum litibus, non de Criminalibus causis & publicis de quibus nunc loquimur.

Secunda Bellarmini ratio, est falsa & supposita lex. Ergo propterea Criminis læsæ Maiestatis reus iste tenetur, quia falsum Principis Iustiniani editum supponit & fingit: & seipsum etiam hic refutat & flagellat.

Tertia ratio est nullius momēti. facit enim Pontifices & Episcopos in sua ipsorum causa iudices: quod est nefas. Deinde quis dedit istis Pontificibus hanc potestatem, vt Clericos Romanos à ciuilibus magistratus iurisdictione eximerent, & absoluerent? Est igitur inutile illis præuilegium, quod ab eo datum est, qui dare non potuit.

Quarta ratio Bellarmini est Ab absurdo. Nam ineptum est, ut Pastor seu Episcopus à Magistratu qui est sua ovis, iudicetur. Ad quod etiam respondit Constantinus Magnus, Ruffinus lib. 10. cap. 2. Historiæ. Respondeo, Distincta esse illa duo tribunalia nempe Pastorum & Magistratuum. Neque vnum ab altero tollitur, teste Gelasio primo in Epistolis, Nicolao, primo in ea, quæ est ad Michaelem, Christo ipso, Matt. 22. v. 21. Ergo est fallacia, Ab ignoratione Elenchi, quæ duos diuersosque, respectus confundit. Nec enim absurdum est, ut Pastor, velut Cuius à Magistratu iudicetur: & ut Magistratus, tanquam ovis à Pastore examinetur. Neque enim ubique Magistratus est, ovis: neque quouis respectu, & ubiq; Pastor, Cuius. Ista igitur sunt distinguenda, non sicut facit hic Bellarminus, confundenda. Quod ad Constantini Magni dictum fuit pia tantum admonitio, quæ sui officij & pacis inter se mutuo colendæ Episcopos monuit: non autem lex, qua Clericos à sua, Politicorumque Magistratum suorum iurisdictione exemit. Nam & ipse postea de causa Cæciliani, Carthaginensis Episcopi cognouit, & in ea iudices dedit, licet esset merè Ecclesiastica, & inter Clericos Donatistas & Orthodoxos orta: item de causa etiam Arrij hæretici egit, etiam post Concilium Nicenum, teste Sozomeno lib. 2. c. 27. & 30. itemque de Arrianis Episcopis, Theodorus lib. 1. c. 20. Hist. Itaque in eo non mentitur Ioh. Calu. sed impudenter eum mentiri calumantatur, & mentitur ipse Robertus Bellarminus. Loci conferrantur.

Quod autem ait P. Martyr esse de iure diuino, vt omnes sint magistratibus subditi, Martyri, Dei verbo, & Paulo consentienter scripsit, ino etiam Petro. 1. Pet. 2. v. 13. Roman. 13. Respondet Bellarminus, Humano iure, & concessione Principum fuisse illi iuri derogatum. Respondeo, Iuri naturali, & diuino derogari per hominum leges nullo modo debet, aut potest, testibus iuriconsultis. Ergo frustra ista derogatio profertur, & præten- ditur. Nec simile est, quod affert iste, Regnum, aut Regni partem amitti posse, vel donari à Rege alicui, Matt. 14. v. 3. Marc. 6. v. 23. & ius subiectionis à Rege Clericis remitti posse. Nam hoc postremum implicat contradictionem, nempe quempiã subditum esse, & Ciuem, & tamen non subiici Sũmo Magistratui illius loci: illud autem prius non item. Nec enim implicat contradictionem. Sed vt ex ipsius iuris Canonici regulis hoc ius à Regibus non potest clericis concedi, quia quæ iure diuino sunt publici ordinis causa constituta, ea rescindi, & remitti non possunt, cap. *Si diligenti* extra de Foro competenti L. *iuris gentium* §. *Si paciscar*, & L. *Pacisci*. §. *De pallis*.

Porro quod col. 1149. L. A. scribit iste Clericorum, & Ecclesiastica bona, & secularia à pensionibus & tributis Principi pendendis esse libera, & immunia, falsum est. Primum soluit Christus ipse, Clericorũ suorũ, vt ipsi volũt, Princeps. Mat. 17. v. 26. Iubet in vniversum ab omnibus ea solui Paulus Rom. 13. ver. 7. Ambrosius id fatetur, & solui & pendere debere, Epistola 2. ad Valentianum. Verbanus quoque Papa can. *Tributum* 23. quæst. 8. & istam

istam exemptionem esse de solo iure humano fatetur ipse col. 1149. L. C. At contra disserit Bellarminus. Verum eius rationes sunt nullius momenti.

Prima sumpta ex constitutionibus Romanorum Pontificum, Alexandri tertij, Innocentij III. cap. *Ecclesia S. Maritima*. Ext. de constitutionib. cap. *Quonquam* De Censibus in vi. & aliis similib. locis Respondeo, frustra nobis obiiciuntur ista, quæ Romani Pontifices pro se, suaque calina & tyrannide pronuntiarunt: & ab iis, qui ius nullum decernendi habuerunt, constituta sunt, quales sunt Episcopi & Romani Pontifices. Hæc enim tributa remittere est Magistratus, non Episcopi vllius. Quod lex 16. & 26. Codice Theodosiano: lib. 2. Tit. 16. L. *Sancimus* Cod. De sacrosanctis Ecclesiis allegatur, frustra fit. Fascinati enim Imperatores subdolis Episcoporum, & falsis importunisque precibus & rationibus eam illis nonnulli Imperatores, non omnes, impunitatem & immunitatem concessere. Ergo à Principe male informato ad Principem bene informatum provocatio appellatioque fiat. Exemplum Pharaonis qui terram Sacerdotum addici sibi noluit, nihil vrget. Nec enim hæc Peculiaris Pharaonis in sui temporis Sacerdotes, forsitan bonos munificencia alios Reges orbis terrarum obligat, aut vllam is legem imponit, Nam & Christiani Imperatores à prædictis Ecclesiasticis angurias, & alia tributa, bonâ conscientia, exegerunt, Tit. de *Sacrosanctis Ecclesiis* in Cod. L. *Neminem*. L. *Ad instructiones*.

Denique fatetur tandem Bellarminus exemptionem Clericorum quod ad bona, à tributis, & caussis,

esse de iure tantum humano, non etiam diuino. Id quod est verissimum, & ipsum, & Canonistas omnes iugulat, qui id negant. Confutatur quoque à Thoma Aquinate, in tertia secunda. quaest. 10. 4. Art. 6. à Theodorito li. 4. Histor. c. 7. à Paulo Rom. 13. v. 7. à Petro 1. Petr. 2. vers. 17. Nam & Petrus ipse vnâ cū Christo tributum Cæsari soluit, Matth. 17. 26.

Porro quas hinc Bellarminus affert solutiones ad Canonistarum argumenta, magna ex parte sunt ex leues, ineptæ, & falsæ, Leues & falsæ, velut, nos non esse Dei filios adoptiuos secundum corpus, sed tantum secundum animam. Contrà, Tota pij cuiusque persona à Deo per Christum adoptatur, Rom. 8. v. 17. Itaque & animo, & corpore beati erimus, sicut & Christus, Inepta solutio est & falsa, Christum in his terris non fuisse seruum. Imo seruus fuit, & serui formam accepit Philipp. 2. vers. 7. sed tenebrio & Monachus Bellarminus, quid dicat, non intelligit. Inepta quoque solutio est, Nos, quoniam in hoc mundo sumus obnoxij periculis, debere pendere principi tributa. Ergo & Christus. Nam & periculis, vti nos, erat obnoxius, Iohan. 8. vers. 59. Hebr. 4. vers. 15. Itaque bonam causam non bene tuetur Bellarminus.

In reliqua huius capituli parte contra suos pugnat, ostentandi ingenij gratiâ. Bellarminus: & Bonifacium VIII. Papam Romanum vel ignarum, vel mendacem facit, & scribit, qui scripsit iure diuino esse Clericos immunes à Tributis Principi soluendis, & eorundem Tribunalibus agnoscendis. Si enim id sensit Bonifacius nescius rerum, ignorantia: si verum aliud esse sciens, ita tamen persua-

persuadere voluit, mēdacijs reus est. Denique quod tradit pro istius totius libri pul. hra coronade ille, principes non posse revocare privilegium à se Clericis datum, falsum omnino est. Eiusdem enim est legem abrogare, cuius & condere. Condiderunt eam legem Principes, ergo eandem abrogare possunt, & tollere. Id quod est verissimum. Nam quod ait, non solos Principes hoc privilegium Clericis concessisse: sed & Concilia, & Pontifices Romanos, fallitur. Concilia enim & Pontifices Romani retinendum docuerant duntaxat, quod sibi & Clericis fuerat antea à Politicis Magistratibus usque solis concessum. Itaque & Innocentius III. cap. *Nouit ille* §. *Nec sic*. Ext. de Iudicijs allegat. Theodosij & Karoli constitutiones, & alibi citant Martiani Imperatoris legem, quæ incipit sub Tit. Codicis de Episcopali audientia *decernimus* (etsi imperitè Marcus pro Martiano scribitur) unde hoc totum suum privilegium Clerici sumunt, & derivant. Quare neque ex Concilijs, neque ex Pontificum decretis, sed ex solis principum edictis & legibus hoc ius hauritur, & concessum est Clericis Romanis. Quare soli principes iisdem hoc ius, ac privilegium adimere possunt. Et hæc quidem hætenus.

Examen & Censura libri primi.

Multa sunt, imò pene infinita, quæ in hoc libro reprehenderim: sed imprimis hæc tria summa in Scriptore Theologo vitia. Primū locorū S. Scripturæ manifestā depravationem, quæ ex ipsomet eorum textu confutatur, cuius sceleris & criminis hæc erunt pauca è multis exempla.

Cap. I. col. 1060. L. B. verba hec. *Cleri eorum non proficiunt eis*: nusquam extat apud Hieremiam, c. 12. Item eodem capite, col. 1060. L. D. vox *Clerus*, aut *Clericus* ne picta quidem extat, Numer. cap. 16.

Eodem capite col. 1062. L. B. Numeror. 18. ver. 26. Deuter. 18. ver. 2. *Leuita non dicuntur fors Domini*, sed contra *Dominus fors Leuitarum*.

Cap. v. col. 1069 L. A. §. *Neque his*: vult Sortē, quæ cecidit super Mathiam Actor. 1. ver. 26. fuisse numen aliquod cælestē, quod super Mathiam ceciderit: non autem fuisse veras sortes, cōtra ipsius textus verba expressissima.

Cap. vi. col. 1070. L. A. scribit Aaronicum Sacerdotium fuisse merè Carnale. Falsum hoc, & verè Serueticum. Nam refutatur toto cap. 7. & 9. Epistolæ ad Hebræos.

Cap. xv. col. 1094. L. A. ineptissimè interpretatur *Episcopos*, & *Diaconos*, ad quos scribit Paulus, Philip. 1. ver. 1. fuisse Minores ordines Pontificios, quales Acoluthi, Ostiarij, Lectores.

Cap. xx. verba Pauli 1. Timot. 4. ver. 3. *Posterioribus Temporibus*, restringit col. 1114. L. C. ad tempora, & ætatem Tatianorum hæreticorum: non ultra autem extendit. Et locus ipse Pauli, & rerum euentus hunc hominem planè refellunt.

Col. 1115. L. B. §. *At inquit*. Locum Pauli 1. Tim. 3. ver. 11. perperam explicat, Primùm de solis Diaconissis, de quibus non agit eo capite Paulus, sed cap. v. eiusdem Epistolæ. Deinde, mutatâ sententiâ, eundem locum accipit generaliter de omnibus mulieribus, de quibus non hîc, sed cap. 2. disseruit Paulus.

Col. iii. 6. L. B. locum Pauli, priore Corinthiorum 9. versic. quinto, impudentissime negat de Apostolorum veris vxoribus intelligi oportere.

Col. ii. 7. L. B. Locum Pauli, Philipp. 4. versic. tertio, & hæc verba *Socio, germane*, triplici interpretatione incerta reddit. Accipi enim ea scribit, vel de aliquo marito Euodix: vel de proprio alicuius nomine, qui *Socius* vocabatur. Hæ sunt præstigix quibus infelix iste nebulo nobis illudere posse putat, saltem conatur.

Secundum in hoc libro istius scriptoris vitium, est Confusio: est enim hic scriptor confusus.

Primum neque cap. v. neque cap. vii. distinguit, vtrum de Pastorum ordinaria vocatione, an extraordinaria loquatur illis in locis. Vnde innumerabiles Paralogismi partim Abæquiuatione, partim Ab ignorantia Elenchi nascuntur, dū iste transfert ad ordinariam Pastorum Electionem ea, quæ in extraordinaria Aaronis electione semel extiterunt.

Deinde non explicat, Vtrum de forma Electionis Pastorum agat, quæ sub lege fuit: an de ea quæ sub Euangelio loqui habere debet. Est enim vtraque longè dissimilis, & diuersa cum aliis in rebus, tum verò maxime quòd legalis ex seminis ratione pendebat. At Evangelica ex solo Ecclesiæ Dei verbo informatæ iudicio. Hæc tam diuersa tamen confundit iste.

Cap. x. col. 1081. L. A. §. *Primo*. dum ait, Ab omnibus vicinis Episcopis, & Clericis Romanis translatum esse ius eligendi Romani Pontificis ad solos Cardinales Romanæ vrbis, & Ecclesiæ, neque explicat, neque docet, Cur, A quibus, Quando, Quomodo. Nam hæc singula ipsius sententiam perspicuè refutarent. Nam etsi Nicolaus prius circa annum Domini 860. (non Ecclesia Romana) transfudit hoc ius ad Romanos Cardinales: tamen propterea non exclusit consensum totius populi Romani, vt ex ipsamet eius Epistola apparet. Itaque ius illud sibi oblatum postea sæpe populus Romanus à Cardinalibus etiam armis repetiuit, & meritò.

Cap. 24. col. 1133. L. C. ait iste, Præceptum Pauli de Bigamia, non est indispensabile: & tamè affirmat esse adulteriū, si quis Bigamus fiat Sacerdos, aut Episcopus. Nam de adulterio dispensari nō potest. Itaque hæc cōfuse, & sine iudicio scribuntur.

Tertium Bellarmini vitium est, A seipso dissensus, seu secum pugna manifesta.

Cap. 1. col. 1058. L. B. §. *Accedit*. condemnat eos, qui meritum operum negant. At ibidem ait ipse, Nos præueniri à Dei gratiâ, eaque sola.

Toti Dist. 63. in Decreto iste repugnat, cap. vii. & viii. dum negat populi totius cōsensum in Pastorum Ecclesiasticorum electione requiri. Cōtrà can. *Episcopos*, can. *Nosse*, can. *Cum longè*, in fi. Dist. 63. & ca. *Adrianus*, ii. & seqq. quos ipse huius libri cap. ix. col. 1079. L. D. §. *Finali*, probat, & laudat.

Cap. xv. col. 1093. L. C. §. *Addo*. fatetur temporibus Apostolorū fuisse hæc duo primaria Ministrorum

nistrorum Ecclesiasticorum genera, nimirum Episcopos, & Presbyteros. At col. 1095. L. B. §. *Deinde*. scribit Episcopatum, qualis nunc est, esse novum. Vult hic idem Præminentiam tamen Episcoporum, quam nunc habent, esse à iure diuino, col. 1096. L. A. quam nequaquam à Deo institutâ fuisse tradit Hieronymus, hoc ipso teste, & plurimum ubique Hieronymum laudante. Hæc sunt scriptoris inconstantissimi, & leuissimi grauissima, & constantissima argumenta.

Cap. xvi. col. 1001. L. C. Cardinalium autoritatem euerit, eamque Episcopis omnino subiicit, & col. 1103. L. B. §. *Quocirca*. idem repetit: Cardinalium iura, & institutionem vult esse antiquissimam tamen cepisse vult dütaxat ante annos quingentos: & col. 1103. L. B. §. *Alterâ*. vt altissimè repetatur, post annum Christi 800. cepisse. Sic est inconstans.

Cap. xxiii. Locum Pauli i. Timoth. 3. ver. 2. *Vnus uxoris virum*, incertum relinquit: tamen ex eo certâ de Bigamis ab Ecclesiastico Ministerio remouendis regulam elicit iste, & sancit. Eam ipsam legem ait esse ex iure Apostolico receptam, col. 1135. L. D. tamen affirmat totam eam pœnam, & sanctionem ex Ecclesiæ decreto, & arbitratu institutam, extensam, restrictam fuisse. Quis secum magis pugnare potest?

Cap. xxv. col. 1136. L. D. asserit ius Decimarum esse ex iure diuino, tamen col. 1139. L. A. vult esse ex iure Mosis Politico: taxationem earum de iure Ecclesiastico merè positiuo, col. 1140. L. A.

Cap. xxvii. col. 1146. L. A. facit, & appellat inter

pios tutiorem sententiam eam, quæ minus vera est: veriorem autem, minus tutam. Quo quid turpius, scedius, ac magis blasphemum fingi inter homines Christianos potest? Sed hæc hæctenus, ne hominem istum, licet impudentissimum, durius tractare videamur.

*Ad Præfationem Libri Secundi, Qui
est De Monachis.*

IN tota hæc secundi libri, qui est de Monachis, (verissima Ecclesiæ Christianæ peste) præfatione, nihil aliud animaduertet pius Lector, quàm quod est in vulgari Proverbio, *Mutuo muli scabunt.* Affricat enim Robertus Bellarminus, & ipse Monachus aliqua laudis voluptate, & titillatione alios Monachos, ut his sint gratiora hæc sua scripta: & residues illos animos excitet ad aliquem horum scriptorum suorum gustum. Nemo enim est, qui, quæ homo est, suarum laudum præconio aliquo modo non tangitur, & afficiatur. Et quantumvis fera ista, & bruta Monachorum in natio, & eorum corda longè ab excelso illo Themistoclis ingenio differant, qui respondit illud esse sibi iucundissimum *ἀρετῶνα*, quod suas laudes contineret: tamen homines quantumvis etiam Rustici, & barbari, & sævi, isto sensu & voluptate suæ laudis, ac pruritu mouentur, & delectantur. Unde ista Monachorum pertentant gaudia pectus. Hic est igitur scopus totius istius laudis, & præfationis. Verùm orâ soluens, & in ipso portu naufragium facit miser Bellarminus, & in ipso statim huius libri, & laudis limine impingit, ac offendit. Primum quod quum ista insinuatione tam longa in hoc præ-

præsertim argumento tractando, vtatur tam accuratè, & necessario (neque enim, nisi id necessarium existimaret, hanc Monachorum laudem vndique conquireret, & de ea præfaretur) certè illud insinuat & indicat. Se de re perse turpi, & inhonesta hoc loco dicturum. Est enim Rhetorum præceptum, quæ præcepta hic sequitur Bellarminus, vt de rebus scædis, inhonestis, vitiosis dicturi, insinuatione, ac ista *νοβεία* & *ἀπάτη* vtantur, vt tenebras oculis auditorum & lectorum ofundant. Et certè scætor, sordes, pendor, putor iste, in quibus Monachi in suis illis claustris, lustris, & speluncis conclusi viuunt, suadet, vt bonus aliquis odor, & suavis laudum suffitus (si quis tamen ex his exhalare potest) adoleatur & spargatur, priusquam ad ipsum illum Monachorum pedorem tractandum quis accedat. Quandoquidem in eorum claustris est etiam locus vnus, qui carcer appellatur: Alter, quod peduncularium, in quem pedunculos quotidie singuli suos excutiunt exutis vestimentis: vterque locus scædissimus. Ergo vt quisquam tam spurcos homines, vita illa dignos locoque, istos Samnites, polyposos, & sordibus istis obrutos & pedore isto scætidus & alios sine quadam præfatione, & suauis fumo & laudis suffitu prius odorato tractet, olfaciat, attingat? Næ, Bellarmine, catus homo es, & cautus, qui ne tui quidem generis homines istos, (quorum etiam Satanam ipsum pudet, licet eorum parentem) Nempe Monachos absque aliquo odore suauis prius præmissis adire, attingere, & tractare volueris. Tota verò Monacho-

rum vita, & doctrina longe etiam secdior est, quàm eorum claustra. Sunt enim isti locustæ illæ, quæ ex scetidissimo Infernalis Abyssi fumo ad totius & ecclesiæ, & terrarum orbem pacem turbandam exierunt, vt est Apocal. 9. vers. 2. Homines ignari, auari, ambitiosi, gulosi, seditiosi, crudeles, inclementes, de quibus iam olim distichon hoc vetus extat verissimum.

*O Monachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi
Vos estis, Deus est testis, terribilissima pestis.*

Deinde in ipso limine Bellarminus impingit. Nimirum enim illis laudes vel spõte mentiens, vel horribiliter assentans iis adulanque tribuit, quas nemo pius agnoscit, ac fortasse ne illi quidem ipsi Monachi quamuis homines laudis audidissimi, vt laudati melius postea ventrem farciant, & saburentur à populo, Qui nimium autem laudat, vituperat: & ridiculum facit eum quem præter æquum extollit. Ergo impia, falsa, & inhumana est ista Monachorum laus, Bellarmine, tua, *Monachos vitæ genus sequi altioris & sublimioris, quam aut lex diuina, aut humana præscribat.* Imo lex Dei præscribit vitæ genus perfectissimum, & omnibus numeris absolutissimum, vt testatur ps. 19. & ps. 119. quam etiam (tam est perfecta) nemo purus homo implere potest, nedum plura præstare, Ioh. 7. vers. 19. Roman. 3. psal. 14.

Impia falsa, & nimix adulationis plena est altera illa Monachorum quoque laus & admiratio, *Monachos esse columnam ecclesiæ Christianæ, quibus sublati tota sit continuo ruitura & peritura.* Quod erat

erat igitur columen Christianæ Ecclesiæ ante Monachos in orbe terrarum ortos, & à Satana pro creatos? Fuit enim floruitque diu Ecclesia & plus quàm ducentis annis ante hoc genus monstri natum. Quid erunt Apostoli XII. qui dicuntur XII. fundamenta Ecclesiæ, Apocal. 21. ver. 14. si Monachi sunt columen & columnæ Ecclesiæ Christi? Ergo iste egregiè blasphematur, & mentitur, dum vult suos illos nimium venales extollere Monachos, & Merces. Nec eorum melior laus in glossa. can. *Quantumlibet*. Dist. 57. apparet.

Imo potius iis quadrat, quod de Cretibus scribit Paulus *semper sunt mendaces, fera bestia, vères otiosi*, ab omni denique humanitate semoti, præsertim verò Hefuitæ recentes ex Hispania Psittaci, & nova brutorum istorum monstra.

Quod ad Augustini & Hieronymi testimonia, quæ citat Bellarminus pro Monachis, nihil eum iuuat. Legat iste quæ contra scribit in eos idè Augustinus libro de opere Monachorū c. 15. & xxviii. quæ Hieronymus, quæ Bernardus, quæque postea ex nobis audiet. Nam quod Lucium Episcopum Arianū tradit Ruffinus lib. 2. Hist. c. 3. persecutum fuisse Monachos, id ille fecit, quoniam erant seditiosi, vt eadem historia ostendit. Neque tunc tantum, sed & quum Theophilus Episcopus Antiochiæ homo factiosus Iohannem Chrysostomum expulit, vt est apud Sozomenum lib. 8. c. 10. vrbe Constantinopoli, qui tamen, ipso Bellarmino teste eos tribus libris prius cōmendarat, & quū Alexandria in Agypto sub Theophilo Episcopo seditio commota fuit, & alibi sæpe. Denique sicut docet

Theodoritus lib. I. Hist. c. 9. Samaritanorū & Iudæorū ritus Monachi retinebāt, ac retinuerūt, vt eostūc omnib. mortalib. exosos fuisse nō sit mirū. Iohānis autem Vviclefi, Martini Lutheri, Iohānis Caluini, Philippi Melāchthonis, Magdeburgenfiū quoque testimonia cōtra Monachos istos, verissima esse res ipsa clamat: sūntque testes isti in eos verissimi, grauissimi, & omni exceptione maiores.

Porro quōd Chrysofomi, & Augustini sola pro Monachis tuendis testimonia protert Bell. Primū illi sunt fuerūt ve ab hoc Monachorū genere, quos habet totus Occidēs, habuit ve sēper, dissimillimi, vti ostēdemus & res ipsa docet. Deinde fuerūt hæ laudes ineptæ, quū nullū vitæ Monasticæ fundamētū ex Dei verbo scripto promāt Chrysofomus & Augustinus. Denique duobus dūtaxat istis Bell. testibus oppono nubē aliā testiū, qui omnia fucorū istorū & Monachorū examina vna, cōmunique sententia perspicue dānant, Totū Conciliū Gangrēse, Conciliū Chalcedonense, quemadmodū apparet Sess. vi. Basilium interrogat. tertia qui Vitā Monasticam feram, agrestem, & ab ipsa hominis humanitate alienam scribit. Hormisdam Papam, Hieronymū in lib. de Custodia Virginitatis, totā Historiā Ecclesiasticā Sozomeni, & Theodoriti. Aut hoc testium satis est, aut nescio, quid sit satis.

Quod autem Bellarminus math. 19. ver. 21. marc. 10. & c. vbi iubemur omnia pro Christi nomine relinquere ad Monachos accōmodat, blasphemus est, & ineptus Blasphemus, qui idololatricū vitæ genus, & in Dei cōtumeliā repertū (quale est Monasticū omnino) dicat Christo placere, & gratū esse.

se. Cōsentit. n. Christus cū Patre. Ineptus, qui nō videt hoc præceptum ad omnes & singulos Christianos pertinere. De Miraculis deniq; suorū Monachorū quod allegat, nihil eum iuuat. Facit etiā Satā miracula 2. Thes. 2. & Antichristus (cuius Monachi sunt primarij satellites) per suos istos emissarios signa, edit, Apoc. 16. ver. 13. Sed bene est, quod inter Mirabiliarios istos Monachorum parentes ordinis sui Hesuitici, Patrem, Patronū, & institutorem Ignatium Layolam illum latronem, Hispanū non potuit recensere, quoniā ille nulla edidit.

Est igitur immanis infaniæ, & proiecti pudoris tam horrendum Satana inuētum tueri, commendare, fulcire in Christiana Ecclesia velle, quod Deus dānauit, Christus reprobauit. Apost. reiecerunt, Matt. 15. v. 9. Colos. 2. v. 21. 22. 23. 1. Tim. 4. v. 1. 2. 3. 8. Concilia detestantur, Patres execrantur, experientia ipsa toti Terrarum orbi exitiosum esse testatur. In hoc tamē Satanæ infelici partu & crepitu tuendo tōtus est in hoc crasso & lōgiori (quā pro B. ipsa & sancta trinitate defendenda) tractatu Bellarm. ita vanus homo est, & suo, & nostro otio abutitur. Est enim Monachatus vti Satanæ foetus & partus sic verissima falsę Ecclesię nota. Quem qui sequuntur, & retinent, in hoc Mundo blasphemii: in altero seculo cum Diabolis perpetuo damnati & sunt & cernentur.

Quod demique varia huius disputationis capita constituit iste: & rem hanc, quę breuiter & facile potuit explicari, dilatat, & discerpit. cū ingenij ostentandi gratia id facit, more suo: tum huius quęstionis inuolēdę causa, vt glauconiam le Ro-

rū oculis obiiciat. Tota enim hæc disputatio vna hac quæstione definiri potuit, si doceret Bellarminus Monachatu ex Dei verbo scripto, aut ipsius analogia fuisse inter Christianos institutum, ac receptum. Verum de Grammatica Monachi definitione, de Conciliis, quæ vocat, de votis superfluis de Agresti & fero vitæ genere, ecquod potius sit sequendum, de Tonsura & Rasura capitis, quæ religiosissima, de vestitu & vestimētorū colore quis melior, de Agricolarum aut Hortulanorum vita quæ præferenda sit, an potius iners & otiosa deligenda, iste magnas quæstiones mouet, Momar Siculus, dignus cuius os quiuis sculponeis battuet, qui nobis Christianis pro bonis scriptis istas nœnias, ac portenta Ægyptiaca ingerat, ac proponat. Hæc est summa futuræ de Monachatu disputationis, vt ostendit iste.

Ad Cap. I.

HÆc est Christiana de Monachatu disputatio Bellarm. vt pro eo quod ex Dei verbo scripto monstrare, & probare debuit vel Rem, vel nomen Monachi, esse à Deo, & extare in S. Scripturas nos reuocet ad scripta Philonis Iudæi. Grammaticas disputationes & etymologias, cæteraque inania philosophamēta, vt se suumque ingeniu ostētet. In summa vult pluribus nominibus hoc genus hominū & mōstri appellari, ac primum, *ἑπαρευταὶ* & *ἰνέτασ*, quia Philo de Essenis Iudæorum, scētariis & Monachis Iudaicis (planè iam corrupta vera Iudæorum religione & doctrina exortis) loquens & agens, Essenos vocat *ἑπαρευταὶ* Fallitur verò & iste, & Dionysius, quem citat lib. 6. Ecclesiæ,

fia, Hierarch. & li. 2. c. 17. Eusebius in Historia, qui
 putant, Philonem in libris de Vita contemplatiua
 agere de Christianorum Monachis. Agit enim de
 Essenis, vti dixi, Iudæorum sectariis, qui sese in so-
 litudines vastas & iustra ferarum abdidierant ad
 conciliandam sibi populæ admirationem, vti
 docet Plinius li. v. c. 17. Hist. Naturalis, quam vitæ
 feritatem quum postea secuti, & ex illis imitati ef-
 sent Monachi Christiani, propterea Synodo Gan-
 grensi perspicuè damnati sunt, *ἑπαπειρωτὰς* dixe-
 ris *Cultores Numinis inētæ Deprecatores*, & sa-
 lutis suæ proram & puppim in precum demurmu-
 ratione collocantes. Id quod fecerunt Audiani
 hæretici propterea damnati. Ergo Monachi &
 superbo nomine se *ἑπαπειρωτὰς* vocant, sibi solis
 tribuentes quod est commune Christianorum
 omnium: & superstitioso, *inētæ* quod pestife-
 ram hæresin Audianorum retineant ac tuean-
 tur.

Ἀσκηταί vocantur à Basilio, & libri de eorum vi-
 ta sub Eustathio quodam heretico scripti (qui fal-
 sò tribuuntur Basilio Magno, quemadmodum ap-
 paret ex stylo illorum librorum languidiore, & ex
 Epistola 74. eiusdem Basilij itemque ex Concilio
 Gangrensi, vbi damnatus est iste Eustathius Se-
 bastiæ in Armenia Episcopus) libri, inquam de
 prima Monachorum vita, & institutione ab eo
 scripti inscribuntur *Ἀσκητικά*, Monasteria *Ἀσκητήρια*
 quod voluerit autem Monachus alludere ad lo-
 cum Pauli. 1. Tim. 4. v. 8. vbi coporalem istam *Ἀσ-
 κησιν* seu exercitationem Paulus pronuntiat aper-
 tè inutilem. Itaque vel ipso hoc *Ἀσκητῶν* nomine

Monachi damnantur. *Pugiles* *ἀκντὰς* dixeris, sumpta etiam & traducta à Paulo voce à certaminibus Græcorum Gymnicis, vt ex Polluce lib. 3. Onomastici facile colligi potest, & ad istas corporis vexationes translata.

Philosophi quoque vocati sunt, Quod sicut inter Ethnicos Philosophi erant homines sectarij, victu, vestitu, & doctrina à ceteris hominib. diuersi, & magni Suffeni & Hypocritæ fallentes & se & alios specie Professionis suæ & recti, teste Satyra secunda locupletissimo poeta Iuuenali: sic Monachi inter Christianos, & inter Turcos (Nam & Turci quoque habent suos Monachos, & varia eorum genera) sunt homines sectarij, dyscoli, Hypocritæ, fallentes specie religionis.

Monachi denique hoc idem Monstri genus dicuntur. Vnde autem deductum hoc nomen sit, dubitat iste Græculus. Quod ignorat, hunc iam doceo. Dicitur *Μοναχὸς*, à voce, *μονεῖν*, quæ solum significat, & *ἄχος* quæ pestem & perniciem: quasi soli Monachi sunt soli Mundi & Ecclesiæ totius pestis & perniciem. Qui maxime Monachis gratificari voluerunt, vt Hieronymus & Augustinus, ille in Epistola ad Heliodorum, hic in Pl. 132. volunt *Μοναχὸς* vocem significare *solitarium*: vel vna cum aliis eiusdem professionis & vitæ concordissimè *viuentem*. Iste & Hieronymum, & Augustinum flagellat & reprehendit, vt iis doctior videatur: Atque ipse Monachon vocem separatam à conjugio declare contendit. Ineptè. Omnes enim cœlibes essent Monachi, quantumuis Milites, & Aulici.

Dein-

Deinde repugnat ista etymologia verbo Græco, *Μοναχὸς*. Denique confirmatur Hieronymi sententia autoritate Concilij apud Gratianum can. *Placuit* xvi. quæst. i. Isidori lib. 7. Etymologiarum, Cap. de *Monachis*, Gratiani can. *Si cupis* 16. quæst. i. Denique Bellarminus de Monachorum numero ex Thomæ inepta sententia in secunda secunda quæst. 186. Artic. i. expungit *Dominicanos* & *Franciscanos*, ut omnium sceleratissimos. Sed ex hac & Bellarmini, & Thomæ distinctione, & sententia apparet non esse omnes Monachos religiosos: neque omnes religiosos Christianos esse Monachos. Quare neque religio Christiana est Monachatus: neque Monachatus religio.

Ad Cap. 11.

Quid sit monastica (non vera, Christianaque) religio, definire hoc capite conatur Bellar. Primum frustra. Quid enim ad nos Christianos, ista religio Monachica, si non est Christiana? Ergo à verè, Christianèque religionis definitione fuit illi ordiendum, ut hæc Monastica illius pars, aut species esse doceretur. Deinde ineptè. Præmittit enim in ea definitione præcipuam differentie partem, quæ est in charitate, ut ipse vult hoc loco, cuius tamen in hac definitione ne quid mentio sit. Est etiam hæc definitio inepta, quia regerit nobis vetera, rancida, mucida, milliesque iam refutata Thomæ Aquinatis in secunda secunda questione 184. & seqq. repotia. Postea Thomas, qui hanc status vel Religionis definitionem primus eudit, eam ex libertate & servitute maiore vel

minore metitur, non ex ista Bellarmini perfectione. Denique falsa est ista definitio, & omnino *φ-
 θεολογος* ac noua, seu inaudita. Falsa, quoniam ex
 nullo S. Scripturæ loco confirmatur: quoniam om-
 nibus locis, vbi de religione vera & Christiana
 in Dei verbo agitur, repugnat, velut Actor. 26. v. 1.
 Coloff. 2. vers. 23. 1. Timoth. 4. vers. 8. Iac. 1. vers. 27.
 3. vers. 16. quoniam falsum est, sicut hoc ipso capite
 demonstrabitur, illius fundamentum, quod hic ex
 Charitate sumit Bellarminus. Est inaudita. Nam
 Augustinus lib. x. de ciuitate Dei cap. 1. Lactantius
 lib. 4. Institutionum Christianar. cap. xi. & xii. Isi-
 dorus lib. 8. etymologic. cap. 2. M. Cicero lib. 2. de
 natura Deorum. Mercurius Trismegist. Religio-
 nem definiunt esse veri Dei cognitionem & cul-
 tum verum. Quæ notio nihil habet cum hac Bel-
 larminica commune. Imo hæc Bellarmini definitio
 Religionis est planè eiusmodi, qualis à Lactan-
 tio reprehenditur, & ab Augustino confutatur. A
 Lactantio lib. 2. cap. 6. Institutionum. *Religio*, in-
 quit. *quum nihil aliud est, quàm quod cupiditas hu-
 mana miratur, est religio Ethnica.* Ab Augustino li.
 de vtilitate credendi c. 7. *Anima, non corporis caus-
 sa religio. si qua est, ait, constituta est.* Atqui religio,
 quam iste nobis describit, tota posita est in exerci-
 tatione corporis & iis rebus, quas sola cupiditas
 humana miratur. Quod etiam ostendit Socrates
 lib. 4. cap. 23. Historiæ. Ergo Ethnica est, & falsa
 religio. Addam pro colophone Bellarminum à
 seipso hic refutari. Nam quum capite superiore
 Monachos à Religiosis latè separauerit, vt de Mo-
 achatu ageret, quod vult, nihil erat necesse agere
 de

de Religione, quæ non est Monachatus.

Iam fundamentum istarum Monasticarum religionum examinemus, quòd ponunt ac volunt esse Charitatem, quia per eam magis, quàm per aliã ullam virtutem perficimur, aiunt isti, & Thomas imprimis in 2.2æ, quæst. 183. 184. Nam per charitatem homo fini suo ultimo, nempe Deo, coniungitur, aiunt, & vnitur actissimè. Hæc est in summâ, istorum ratio multis verbis, longisque disputationibus ab istis perturbatè explicata.

Hoc fundamentum duplici nomine falsum est. Primum, quia pugnat manifestissimè cum Dei verbo scripto, quo docemur nos Deo per fidem, non per charitatem arctissimè, & strictissimè vniri, ac coniungi, Iohan. 17. vers. 22. *Qui in Christum credunt, quia credunt sunt unum cum Deo, non solum inter se.* Fides nos facit *συνώματοι* & concorpores Christo, ac proinde nos arctissimè coniungit Deo, non autem charitas Ephes. 3. vers. 6. Communio nostra cum Patre & Filio fit per fidem, ait Iohannes in prima epistola cap. 1. vers. 3. Deinde pugnat hoc idem fundamentum cum immotis veritatis regulis duabus, vna, quæ est hæc, *Per quod unumquodque tale, & illud magis.* Nam fides nos vnit Deo, & charitas propter fidem: ergo magis fides nos illi coniungit. Hoc tamen axioma nature tollit hæc sententia, quæ vult nos Deo magis vniri per charitatem, quàm per fidem ipsam. Alterum est, *Causa causa est causa causati.* Si charitas nos reddit perfectos, multò magis fides, quia istam perfectionem gignit in nobis charitas, quatenus est fidei fructus & opus Galat. 5. vers. 6. Hebr. 10.

vers. 24. Hoc quoque axioma conuellunt Monachi, dū aiunt nos charitate potius, quàm fide perfici, vt suas irreligiosas religiones fundent, ac stabiliant.

Nec obstant loci ex 1. Iohan. 4. ver. 16. 1. Corin. 13. ver. 4. 1. Thessal. 5. ver. 23. Nam duo posteriores nihil ad hoc argumentum pertinent, ac ne longa quidem manu. Primus autem, qui est ex Iohanne, vti & locus ex Epistola Pauli ad Coloss. cap. 3. v. 4. *Charitas est vinculum perfectionis*, nihil Monachos istos iouant. Nam eatenus charitas est perfectionis vinculum, & signum Dei in nobis habitantis, quatenus est opus, & effectū veræ nostræ in Christum fidei: ergo & minùs quàm fides ista efficit in nobis charitas: & quòd hoc facit, à fide mutuatur, accipit, & habet.

Huic falso fundamento quatuor appendices itidem falsæ superstruuntur, nempe Quatuor gradus Christianæ perfectionis videlicet. Nam tertius, & secundus gradus, quum sint grauissima peccata coram Deo, falso perfectio nominatur. Hoc enim pacto docentur homines Christiani existimare, & censere sua scèdissima peccata esse perfectiones: atque sic nunquā pœnitere, aut suos defectus agnoscere poterunt. Tertius enim, & quartus perfectionis gradus is est, vt vult iste, quo homines in hoc Mundo, Deum diligunt pro posse suo, non pro officio, & quantum Deus ipse exigit. Hi duo gradus sunt peccata mortalissima, vt sic dicā, nedū vlla perfectio, quia Deus nō acceptat huiusmodi obedientiam pro posse nostro: sed eam demùm, quam ipse desiniuit, Nempe ex toto corde,

eorde, ex tota Anima, ex totis viribus nostris, Deu.
6. ver. 5. Matth. 22. vers. 37. à qua qui vel tantillum
deficit, tum mortis æternæ reus est, Roman. 6. v.
23. tum totius Legis Dei violatæ accusatur, Iacob.
2. ver. 10. Quis igitur hoc perfectionem appellet?

Tertia Bellarmini Præsuppositio est itidē falsa,
& ex fœtidis, ac putidis Monachorum scriptis, &
lacunis hausta, nempe Votum Abstinenti in per-
petuum à legitimo Cōiugio, Nihil propriū possi-
dendi, & Alteri Monacho pro ipsius arbitratu pa-
rendi esse tutissimas, & expeditissimas vias sese
vero Deo consecrandi, & parendi. Hæc tria vota
facrilega sunt, & falsa. Nam votum istius obediē-
tiæ Monasticæ est, vt Monachus suo Abbati, &
Præfecto, id est, alteri homini in omnibus pareat,
idcōque *δεσποτευτής*, & eius seruus vocatur, ac mā-
cipium fit, neque amplius est sui iuris, non vouere
potest, non testari, non quicquam absque Abbatis
concessione possidere, non migrare, non digredi à
Monasterio, & carcere illo suo, ca. *Abbatēs. xviii.*
quæst. 11. can. *Quia. xix.* quæst. 3. can. *Monacho. xx.*
quæst. 4. Ergo hoc obedientiæ homini pro ipsius
libidine, præstandæ votum obstat veræ obediē-
tiæ, quæ Deo debetur ex solo ipsius verbo, non ex
hominum arbitrio, Matth. 15. ver. 9. qui est seruus
hominum, seruus Dei esse (Nemo enim duobus,
Matt. 6. ver. 24.) non potest: vetat Paulus quenquā
hominem Christianum sic fieri seruum, quia Chri-
sti sanguine redempti sumus: 1. Corinth. 7. ver. 23.
Coloss. 2. ver. 18.

Secūdum votū, Nempe Paupertatis Monasticæ
suscipiendæ obstat, vel maximè, ne quis verè

vero Deo, & alacri animo seruiat, omnem charitatem excludit, & extinguit, quum is nihil erogare egenti possit, qui nihil habet, cruciatus animis affert, & sollicitudines gignit, quum insita nobis sit à natura cura & victus, & vestitus, qua maxime premuntur ij, qui nihil proprium ac suum habent. Denique hoc votum refellitur Dei verbo, Primum ex lib. Proverb. 30. ver. 8. Deinde Matth. 6. ver. 11. vbi Panem nostrum petere à Deo iubemur, ergo non repudiare, quum offertur, & quum est ad manum. Diuitiæ dicuntur vtilis piis, Prouerb. 10. ver. 15. corona iustorum, 14. ver. 24. Qui vero ex alieno viuit, seruus, & mancipium tandem euadit, Prouerb. 22. v. 7. denique sunt Dei benedictio honestæ, & legitime partæ Diuitiæ: quare nequaquam à viris piis sunt abiiciendæ, aut repudiandæ.

Primum Votum, videlicet Abstinenti semper à legitimo coniugio, pugnat quoque vt superiora, cum Dei verbo, & Deum colenti obstat maxime, nisi donum Continentiæ à Deo quis habeat, 1. Corinth. 7. & supra in tractatu de Cœlibatu demonstrauimus. Priuat enim nos optimo remedio à Deo instituto contra carnis cœstrum, æstum, ac libidinem, qua vrimumur. Ergo tria hæc monachorum vota summas *ἀνάγκαι*, & peccata pariunt, Votum obedientiæ, Idololatriam, seu Seruitutem, qua conscientiæ monachorum hominum præceptis subiiciuntur: Votum Paupertatis. Auaritiam, & sollicitudinem de rebus ad hanc vitam necessariis: Votum Continentiæ. scdissimam Scortationem, & Sodomiam in eorum claustris.

Nec obstat quod ex 1. Iohannis 2. versic. 16. affert

affert Bellarminus. Nec enim factum vitæ extinguit votum de obediendo suo Abbati, sed Dei Spiritus, qui nos Christo, non Monacho subiicit, Roman. 8. Philipp. 2. Carnis cupiditatem non extinguit, votum de reiiciendo Coniugio, sed solum Dei donum peculiare de Continentia. Denique libidinem oculorum non extinguit votum paupertatis: sed sola fides, & Animus sua sorte contentus, 1. Timoth. 6. ver. 6. Quare mentitur Bellarminus, quum hæc vota piis vtilia esse scribit, ac suscipienda.

Ad Cap. IIII.

QVod ad varios Monachorum ordines, primum iste à suis dissentit, velut Isidoro, Bergomate, seu Supplemento Chronicorum, Bonifacio VIII. & Baptista Mantuano, qui quatuor præcipuos Monachorum ordines constituunt, quia quatuor flumina oriebantur ex Paradiso, ut est Genes. 2. Iste verò duo solum genera agnoscit: inter quæ se, suosque Hesuitas agnoscere nõ potest, nisi Monasticæ vitæ corruptelam pro vera monastice sumat, quia sunt isti monachi, uti veteres olim qui Kemoboth dicebantur, vagi, auari, omnia acquirentes, seditiosi.

Deinde suam causam prodit ipsemet Bellarminus, quum enim sint certa & Virtutum, & Virtiorum quoque genera: est tamen incerta monachorum turba, tam est infinita, ipso teste, quæ nequomodum, neque numerum capit vllum: sed in dies augeri potest. Quæ res & nota probat hoc totum esse Satanæ omnis incertitudinis, & confusionis parentis inuentum: non autem Dei Spiritus, qui certos terminos, metas, & fines rebus humanis, &

oneribus imposuit: in infinitum autem ea non extendit. Et ne quid illi numero Monachorū deesset, etiam ab his ipsis institutum, & susceptum est vitę genus, quod *Armentorum* diceretur, quia tales Monachi à bestiis, & brutis Animantibus nihil in victu, vestitūque differunt: Alij vocantur fratres *Ignorantes*, quod nihil omnino scire putent esse summum hominis bonum. Euagrius lib. 1. Histor. cap. 21. Quod denique putat isie sic homines excitari ad veram pietatem, fallitur. Ad solā enim superstitionem homines per Monachatum accendantur, qua in suis operibus salutem querant, non in vno Christo.

Ad Cap. iv.

Confirmatio religionis Monasticę ex eo demum tempore peti cępit, quo sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi fuit constitutum propter ingentem istorum hominum, & in dies crescētem turbam, ne quis in Ecclesia novum ordinem absque Romani Pontificis approbatione conderet, cap. fin. Ext. *De religiosis Domibus*: cap. vnico eodem in 6. Atqui ex Dei verbo scripto, nō ex pergameno, & Pape rescripto illud, quod in Ecclesia instituitur, est approbandum, ac confirmandum. In Gręcia omnes Monachi sunt vnus generis, & ordinis, & in monte Atho collecti viuunt. Inter Turcas sunt sex eorum genera, sed quatuor primaria. Hi Suitę quum à Papa Leone x. primū sui ordinis confirmationem consequi, ac impetrare non possent, professi sunt se omnes iuratos in verba Papę, & pro vero, suoque Deo esse se illum habituros. Hac via sunt comprobati, qui ab Ignatio Layola latrone Hispano prius fuerāt instituti.

Ad Cap. v.

Primo huius capituli pars in eo versatur, ut doceat Religiones, quas iste appellat, Monachorum esse antiquissimas. Itaque rem istam ab ipso pene Mundi ortu, id est, à gemino ovo conatur repetere, sed falso, & frustra. Rationes Bellarmini perpendamus.

Prima est, Enos instituit aliquem cultum Dei sibi peculiarem, ergo instituit Monachatum, quia dicitur Gene. 4. v. 26. sub Enos *ceptum est invocari nomen Dei* Respondeo est fallacia duplex, A falsa interpretatione loci Geneseos vna: Altera A non consequente. Locus Geneseos cap. 4. v. 26. est, *cepit tunc blasphemari* (non autem, ut vult iste, *invocari*) *nomen Dei*. Ergo ex illa blasphemia nominis Dei, quæ tunc cepit, malè colligit iste cultum novum institutum Deo. Deinde non dicitur id factum esse ab Enos: sed quum Enos ex Setho nasceretur. Nec enim potuit Enos adhuc infans, & recens natus vel invocare, vel blasphemare nomen Dei.

Secunda ratio Bellarmini, Erant Nazaræi ex legis Veteris instituto, Num. cap. 6. ergo erant tunc Monachi. Respondeo fallacia est A non consequente. Neque enim Nazaræi erant monachi, aut quicquam monachis simile habebant. Nazaræi erant comati, monachi sunt rasi. Nazaræi ex voto vino abstinebant: Monachi ex voto vino non abstinent. Nazareatus votum certo tempore finiebatur, monachatus votum est perpetuum. Nazaræi coniugio non abstinebant, exemplo in Sampsonè Iudic. capite 13. & 14. bona sua non abiiciebant, id est, neque Continentiæ, neque pau-

pertatis votum Deo vouebant, vtrumque vouent Monachi. Ergo multis parasangis, imo toto genere differunt Nazareï veteres, & monachi Christiani dicti. Quare sic argumentari, istaque tam diuersa rerum genera confundere est fallere, & falli ignorantia Elenchi.

Tertia Bellarmini ratio, Elias, Elizæus, & filij Prophetarum fuerunt sub Vetere Testamento: ergo sub Vetere Testamento iam fuerunt quidam monachi. Respondeo, fallacia est A non consequente. Neque enim sine vxoribus vixerūt hi ipsi Elias, & Elizæus, & filij Prophetarum: neque Paupertatis votum susceperunt. Male igitur eos monachis cōfert & iste, & Hieronymus in epist. ad Rusticum & ad Paulinum 13.

Quarta ratio est, Filij Rechab sub Veteri Testamento neque domos ædificarunt, neque agros seminarunt, vitam, more Pastorum, durissimam egerunt: ergo fuerunt isti monachi. Respon̄sio, fallacia est A non consequente. Nam neque coniugio abstinnerunt, neque bona propria abiecerunt, neque monasteria per deserta, aut in vr̄ibus habuerunt, & Vino abstinnerūt: quæ omnia cū Bellarminico monachatu planè pugnāt. Fuerunt autem isti Rechabite posteri Iethronis, qui fuit socer Moïsis, qui Dei populum ex Agypto egressum secuti vitā pastoritiam coluerunt. taque, vt Nomades alij vagi vixerunt, pascua pinguis sequebātur: ac propterea vitam durissimā sub dio degerūt Num. 10. v. 29. & 32. Iudic. 4. v. 11. 1. Reg. 10. v. 18. Ex. 4. v. 18. 15. v. 1.

Quinta ratio Bellarmini, Iohannes Baptista vixit in deserto, ergo fuit monachus. Respondeo, vt supra, fallacia est A non consequente.

te. Nam & ferae bestiae & latrones viuunt in desertis & lustris, & Nabugadnezer, per septem annos, ergo illi fuerunt sicut Monachi. Deinde fuit omnino dissimilis Iohannis Baptistae & Monachorum, quantumuis Eremitarum, vita. Iohannes illic fuit, id est, in desertis ex peculiari Dei praecepto Luc. i. vers. 80. Monachi Eremitae absque ullo Dei iussu in desertis secedunt. Iohannes vinum & siceram non bibebat Luc. i. vers. 15. Monachi omnes, quantumuis abstinentes, vinum, & quidem egregie, bibunt. Iohannes absque ullo voto in desertis ad tempus aliquod solum vixit: Monachi & ex voto id agunt, & in perpetuum. Iohannes bonis paternis renuntiasse non legitur: Monachi iis renuntiant. Ergo ineptissime quidam ex Monachis, aut Monachorum fautoribus, Iohannem Baptistam fingunt Eremitice Monasticae autorem & principem, cuius primus autor fuit, teste Hieronymo in epistola ad Eustochium, Paulus quidam homo superstitiosus & Aegyptius, circa annum Domini ccc.

De tota illa veteris aetatis & Testamenti possessione deiectus Bellarminus, ad Nouum Testamentum recurrit, si quod inde praesidium habeat. Verum ex ipsis diuinis totius Noui Testamenti scriptis, nempe Euangelis, aut Epistolis Apostolicis, ne litterulam quidem pro se, suoque Monachatu proferre iste potuit. Ergo toto ccc. annorum seculo decurso, & praeterito, tandem in quadam, caeque incertissima Athanasij cuiusdam epistola suae Monasticae initia reperit, & ex ea legitimum hoc institutum esse vult, quoniam vitam eam ille, qui-

cunque sit, Athanasius probat, describit, miraculis confirmatam fuisse docet. Addat alia, quantum vollet, iustum & huic Athanasio, & nostro Bellarmino suae sententiae confirmandae fundamentum deest tamen, nempe Dei verbum scriptum: ex quo vno nisi notis probet ac demonstret esse vitam Monasticam Deo gratiam, operam & oleum perdidit, Patres frustra obiecerit, iudicia vulgi pro se praetenderit. Nos enim Christiani ex solo Dei verbo sapere, ex Christi mandato *scrutamini scripturas*. Iohan. 5. v. 39. didicimus, ac volumus. Ad populum phaleras. Patres enim, qui hanc vitam comprobant, ex sui seculi errore fascinati sic sensere: vel non eadem erat in illius temporis Monachis blasphemia & superstitio, quae est in nostris, Bellarminicisque monachis. Eligat utrum malit Bellarminus, Porro quocumque tandem tempore ceperit Monachatus iste, quia citra Dei verbum fuit institutus velut Religionis pars quaedam, est dandus. Quicquid enim in eo rerum genere, quae ad Dei cultum pertinent, fit & recipitur absque fide, peccatum est, inquit Paulus Rom. 14. vers. 23. Ergo quo tempore peccatis illa ecclesiae existere ceperit, & à Satana se in Angelum lucis transformante edita sit, nihil nobis magnopere curandum est. Quocumque enim tempore id nostri natum sit, statim fuit abolendum & extinguendum.

Porro Tertulliani & Cypriani (qui post annum Christi, c. c. vixit) tempore nullae fuerant, ut putat iste, virgines Christianae Monachae & Moniales. Illae enim, de quibus agunt Tertullianus & Cyprianus, fuerunt virgines, quae domi suae se quaeque continent, non autem erant in Monasteriis conclusae: quae sine voto

voto perpetuo, sed quādiu solūm volebant, cœtu hominū abstinebāt, cōiuiua nō frequētabāt, mūdā delicias atpernabantur, vestitæ simplicissimē. Hoc ipsum apparet ex ipsis eorū libris. Dionysius autē, Ateopagita ab hoc dictus, vixit circa annū Domini ccc. nō antea. Nā citat Clemētē Stromateū in li. de Diuinis nominibus, ibidē se excusat, & ignorat vtrum à vero recesserit. Denique à Basilio Magno epistola. 296. ad Maximum Philosophum nō probatur autor iste. Ergo recens est scriptor iste Dionysius: quem falso putat veterem Bellarminus: cōtra quam & Valla, & Erasmus, & quidem rectē sentiunt, imo etiam Nilus in Asceticis.

De Philone Iudæo quod scribit iste, cum Monachos Christianos & vidisse, & laudasse in libro de vita contemplatiua, falsum est. De Essenis loquitur, quemadmodum & liber ipse, & Hieronymus de custodia Virginitatis ostendit, & Plinius Philoni æqualis lib. v. ca. xvii. Naturalis Historiæ, & Iosephus lib. 2. ca. 7. de bello Iudaico li. 18. cap. 2. de Antiquitatib. Iudaicis. Ergo omnes istos falsos testes pro se producit Bellarmi. Nam quod Eusebium lib. 2. Historiæ, Epiphanium hæresi 29. Hieronymum de viris Illustribus, suæ sententiæ testes & suffragatores citat Bellarminus, & Sozomenum quoque lib. 1. cap. 12. Historiæ, nihil promouet. Omnes enim illi falsum vnus illius Eusebij iudicium secuti senserunt non loqui Philonē de Essenis, sed Monachis Christianis. Nam quamlibet noui huius vitæ generis cōmēdādi occasionē quæsiuit & captauit Eusebius, nō rectē tamē perpessa Philonis mēte: sed ad istā cōmēdationē quo iure

quãve iniuria eam Eusebius detorsit: sicut in multis aliis eiusdem Historiæ suæ partibus vanus scriptor apparet Eusebius, uti in illa epistola Agabi regis lib. 1. histor. cap. 13.

Insulsus autem plane est homo iste Bellarminus, qui & Pailonem, & Iosephum de Monachis Christianis loqui putet, quos illi sic laudent, ut neminẽ plus possint. Vterque autem Christianos ne semel quidem nominavit in totis suis libris, tam eos oderant, velut insectos suæ gentis Iudaicæ hostes. Præterea quum illi, de quibus uterque agit, ante utriusque tempora tã celebres esse cepissent, certè iam tempore Christi ceperint existere necesse est. Quo tempore non est, opinor, tam impudens, licet Monachus. Bellarminus, ut Monachos Christianos fuisse affirmare audeat: aut si affirmet, nemo pius tam est hebes, ut illi fidem hæc scribenti habeat.

Sexta ratio Bellarmini, ex voto sua Apostoli omnia reliquerunt, ut Christum sequerentur. Mar. 10. vers. 28. Quidam solùm ex primis Christianis suas possessiones distrahebant, ut egentibus fratribus Christianis subvenirent Act. 4. vers. 34. Ergo & Apostoli ipsi, & illi, qui tam ferventes animo erant, erant Monachi. Respondeo, Multis modis peccat, fallit, & fallitur homo iste. Primum locum Marci perperam interpretatur. Reliquisse omnia sua dicuntur Apostoli affectu, non actu & abiectiõne suarum rerũ quantulacunque illæ fuerunt, ut Christum sequerentur. Nam prætulerunt potius comitari Christum, quocunque iret. quàm domi suæ hæreere privatis ius commodis studere.

Reti-

Retinuerunt tamen eadem illa sua bona, & nauiculas suas, & retia, & domos seu ædes, & vxores, quas antea habebant, quemadmodum apparet ex Iohan. 21. vers. 3. I. Corinth. 9. vers. 5. Idem sensit Iohannes 23. Papa Romanus. Quæ omnia Monachati sunt contraria, nec Monachi faciunt. Deinde ex nullo præcedente solemnî voto concepto id fecerunt Apostoli, sicut faciunt Monachi: locû enim Augustini ex li. 17. ca. 4. de ciuitate Dei falso profert Bellarminus, *Hoc votum, ait Augustinus, potentissimis venerat.* Explicat se idem, nêpe quod Deus seu Christus, qui Apostolos ipse ad se manifestè vocarat, animum illis iisdem dedit in ea uocatione persistêdi: *alioquin, ait Augustinus, ex illis essent potentibus, quorum est infirmatus arcus,* id est, qui uouent, sed votum non seruant, vt Demas, 2. Timoth. 4. vt Iudas Iscariotes Math. 27. Votum igitur appellat Augustinus illum affectum, quæ Deus Apostolis suis dedit: non temerariam, qualem Monachi faciunt, promissionem Deo solenniter factam, rerum sibi impossibilium præstandarum.

Deinde fallitur Bellarminus, qui quod scribit Lucas Actor ca. 4. de iis Christianis, qui bona sua vendebant ad eos refert, qui ex voto id facerent, vt faciunt Monachi: falsum istud est. Imo neque omnia bona vendebant: sed quædam duntaxat, & quantum volebant. In quo differunt toto genere à Monachis, qui omnia abiicere coguntur. Neque illi ea dabant Monasteriis ditibus, vt faciunt Monachi: sed hominibus & egenis. Ambrosius Serm. nono. Denique illud ipsum statim desuit esse in ecclesia, teste Clemente Stromateo. Ergo statim

perit totum genus Monachorum in ecclesia. Et Chrysoſtomus Homilia 25. in epiſtolam ad Hebræos apertè negat vel veſtigium quidem Monachatus extiſſe in eccleſia temporibus Apoſtolorum, Ait autem idem alibi Monasticen à Chriſto inſtitutam communi hominum ſui temporis errore, velut tyrannico edicto, deceptus ac coactus. Sic omnia & Chryſoſtomi & aliorum Patrum dicta de Monachis ſunt & audienda, & interpretanda. At, qui errat, inquit lex, non conſentit, ne magnum, imo ne vllum ſuæ ſententiæ confirmandæ fundamentum in huiuſmodi locis & dictis Patrum errantium & deceptorum ponat iſte Bellarminus.

Negat Bellarminus primam Monachatus, & illius ſolitariae vitæ, & habitus, & victus occaſionè ex perſecutionibus in Chriſtianos ab Imperatoribus Romanis Ethnicis factis & ſuſceptis ortam eſſe. Fallitur, ne dicam mentitur. Nam & Paulus iſte, & Antonius, quos vitæ Monasticæ autores facit iſte ipſe, vixerunt, Antonius ſub Diocletiano ſummo Chriſti hoſte Imperatore Ethnico & Romano, Paulus ſub Decio, & Valeriano, qui ad fugiendas illas perſecutiones ſeſe in deſertis, teſte Hieronymo in vita iſtius Pauli, abdiderant, & ouillas veſtes, ſeu Melotas ad exemplum eorum, de quibus eſt Hebr. 11. verſ. 37. induerāt, ac duriffimè, vtpote in Ægypti locis & Arabiæ, ſiccis & deſertis, viuebant, Sozomenus lib. 3. hiſtor. cap. 14. lib. 6. cap. 28, & 33. Apparet autem ex Eusebij Hiſtoria lib. 8. cap. 7. 8. 9. 10. Ruffini lib. 2. cap. 8. Socrate li. 4. cap. 23. in deſertis Ægypti & Arabiæ profundiffimis exortos eſſe primùm Monachos & Chriſtianos iſtos ſolitariè viuentes, quòd in iis locis tuti

persecutionū tempore latuissent, ac vixissent. Ad horum autē imitationem & in Syria, & in Persia, & in Cappadocia postea extirēre alij, Sozomenus li. 6. Hist. c. 32. 33. Demum in Occidente paulò ante aetate Hieronymi. Ergo quæ fuerit istius instituti & vitæ generis origo, & vt à persecutionibus orta, luce meridiana clarius apparet. Vnde à Damaso in Pontificali dicitur, Telephorus ex Anachoreta factus Papa, quia in deserta secesserat persecutionū tempore. Vixit enim sub Imperatore Adriano persecutore. Quanta verò est ista Bellarmini impudētia, audere id, quod omnes pij vident, negare, nimirum obscuratam fuisse veram de nostra corā D. o per vnus Christi sanguinem iustificatione, Rom. 3. vers. 24. 25. doctrinam, & ab iis, qui huius Monastica vitæ prætextu & sanctitate opinata suam salutem in suis operibus quæsierunt: & ab iis, qui vt homines eam in Monastico vitæ genere quærerēt, suaserunt aut suis scriptis, aut suis exemplis?

Veteres autem seu Antiquos Monachos tam à nostris dissimiles esse ac fuisse, quam est cælum à terra, res ipsa docet, imò clamat. Ergo frustra eos hoc loco inter se cōparat Bellarminus: errat autē in hac collatione grauissimè. Primū quòd veteres illi monachi moribus, institutis, victu vestitu, totoque genere vitæ inter se differēbant, ad tria verò illa continentia: paupertatis, & obedientiæ vota suas, vt nostri, regulas non restringebant. Imo, teste Hieronymo in vita Malci, etsi monebāt eos, qui profiteri monachatū volebāt, vt omnia pauperibus sua darēt: tamē eos nequaquā id facere cogebāt; sed ea, si vellent, singuli etiā monachi retinebāt.

sibi priuatim. Deinde certo certius est fuisse aliam vitam Regulam, etiam quod ad essentiam Monachismi, Monachi Basiliani, Augustiniani, Hieronymiani, & Aegyptij, vt ex Augustino, Hieronymo, in epist. de Custodia virginitatis, & de Institutione Monachi, Basilij (si Basilij potius est, quàm Eustathij) Asceticis demonstratur. Præterea veteres Monachi quæ suscipiebant, absque voto perpetuo et totâ vitâ seruandi suscipiebant. Itaque quum volebant, vitam illam Monasticam relinquebant, neque manere in ea toto vitæ tempore cogebantur. Inde tot Patrum epistolæ, per quas eos, easque, quæ Monachatum postea deseruerant, reuocare conantur: sed redire non cogunt. Ergo veteres Monachi à nostris & Bellarminicis etiam in ipsa suæ religionis essentia & fundamento discrepant, & differunt. Quare frustra & perperam ab illis ad nostros vlla sit consecutio, quemadmodum rectè senserunt, scripseruntque Calvinus & Magdeburgenses.

Ad Cap. vi.

Iam verò summum Monachi & Frat. istius impudentiam audiamus, primum in Lutheri verissimis rationibus non refutandis, sed dūtaxat, quoniam eas conuellere non potest, eleuandis.

Dixit Lutherus mulieres in hoc mundo ad *τὴν* *δοξολογίαν* à Deo conditas esse. Hoc ex Paulo didicerat Lutherus 1. Timoth. 2. vers. 5. Negat Bellarminus id verum esse, quoniam in cælo mulieres non nubent. Responsio, fallacia est & deprauatio manifesta loci Pauli, & sententiæ Lutheri, qui loquitur de fine, propter quem in hoc mundo, non in cælo, sunt, existuntque mulieres.

Ait

Ait Lutherus, Tam naturale esse & concessum homini uxorem, si velit, ducere, quàm comedere. Negat id esse verum Bellarmi. Respondeo, Paulus I. Corinth. 7. Bellarminum refutat vers. 36. 37. Sunt enim hæc omnia ex rerum *αδυσφορίων* numero, quæ prohiberi, nisi à Satana non possunt, uti Paulus I. Timoth. 4. vers. 1. 2. 3. docet.

Ait Lutherus ex Rabinorum sententia vetitum fuisse Iudæis esse cœlibibus, & sine coniugio, si eo possent uti. Sic R. Solomo cap. 9. Geneseos, R. Davia Kimhi in Is. 56. Sic Romani veteres legibus cœlibes ciues multarunt, qui liberos non suscipiant. L. vnica C. De *caducis tollendis*. Hoc verum esse negat Bellarminus. Respondeo, Agat cum Geminiano, & cum Rabbiniis, qui hæc scripserunt de sua gente, non cum Lutero.

Ait Lutherus Paulum potuisse secum circumducere uxorem, ergo & habere, si voluisset. Sunt hæc ipsa verba Pauli I. Corinth. 9. vers. 5. Bellarminus nescio quid de differentia verbi *περιπαύω* & *παύω* obgannit. Respondeo, frustra. Nam illic de uxore, quæ propria est mariti eam circumducantis agit Paulus: non de scorto, & concubina, aut Cy-nædo, quales secum circumducunt Sodomitæ, & Concubitores Monachi.

Ait Lutherus coniugatam mulierem plus in ecclesiam conferre, quàm quæ simpliciter virgo, & innupta manet. Hoc vero verius est. Iste solum, more suo, negat esse verum. Sed plura potest negare Añicus, quàm probare Philosophus: confort enim mulier coniugata liberos in ecclesiam: quos non suscipit ea, quæ virgo manet semper.

Ait Lutherus in primitiua ecclesia Christiana nullum extare huiusmodi publici, & solemnisi voti exemplū. Excipit Bellar. Contrā, B. Mariā vouisse virginitatē perpetuā. Respondeo, Nugæ sunt istæ & ægri somnia, & nullo S. Scripture loco cōfirmātur.

Lutherus in II. III. & IIII. & V. argumēto ostēdit vota monachorum esse contra expressum Dei verbum 1. Corinth. 7. v. 9. 10. quum nullum de iis præceptū extet. Bellarminus contentus fuit negare hæc omnia: sed ex loco Pauli iam citato contrā apparent verissima esse omnia. Certe iudicium M. Lutheri de libris Hieronymi contra Iovinianū, est verissimū. Nā si conuitia Hieronymi, & digressiones plenas ostentationis ex his delezas, reliquum sunt meræ ineptiæ, & nihil soluit Hieronymus.

Philippus Melanchthon, quem postea aggreditur Bellarminus, quum ne Hercules quidem contra duos, Philippus inquā, ait monasteria primū fuisse libera collegia absque voto perpetuo. Contrā Bellar. ex Augustino Pl. 75. & 99. Respondeo, Et si quidā iā vouebāt, si vellēt: tamē nō omnes id faciebāt, neq; vouere cogebātur etiā ij, qui se monachos profitebātur. Hier. in Malco & Hilarione.

Philippus ait, Quæ Monasteria, præsertim in Occidente, primū sunt instituta, fuisse scholas bonarū litterarū, cōque nomine inualuisse & commendata populis fuisse. Bellarminus hoc verū esse negat, quoniā Aegyptij Monachi toti Psalmodia, ieiuniis, terræ colēdæ addicti erāt. Respondeo, de Monasteriis Occidentalibus præsertim loquitur Philippus. & Monasteriorū foundationes à Carolo Magno factę penē vbique, manifestè docēt ea fuisse in hunc finē constituta, vt essent bonarū artium

Scholæ. Etiam in Ægyptiacis monasteriis singulis diebus monachi certis horis ad audiendū aliquid de Dei verbo ex suo Abbate in vnū conueniebāt, teste Hieronymo in lib. De custodia virginitatis, Augustino li. 1. c. 3. 1. de morib. ecclesię & Cassiano ipso, Socrate li. 4. c. 2. Historię. Certè iā monasteria nō sunt, vt ait & verè Bellarmin. bonarum literarum scholæ, sed seditiosorum porcorum hæg, & *Monacho indoctior*, vetus est & iam pridem notum lippis & tonsoribus prouerbium.

Philippus ait, Eos, vt Bernardum, Franciscū, & alios, qui monasticæ vitæ genus amplexi sunt, honestas huius vitæ curas f. gisse, vt in otio liberius viuerent, vt olim Philosophi rerū publicarum curam & administrationem fugiebant, vt omnes animi molestias euitarent Respondet Bellar. Imo illi plurimū se suūmq; corpus vexarūt. Respōdeo, Bis stulti fuerūt, qui sibi ipsis nulla de causa hoc tam graue iugum imposuerunt, absque quo veri Christiani viuere & esse poterant. Præterea manifestè crudeles fuerunt, qui contra Pauli præceptum Ephes. 5. v. 29. se suāque carnē. & naturā vexarunt.

Philippus ait monachatū esse recens inuentum. Bell. antè mille annos ait fuisse receptū, quoniā à Bernardo Clareuallēsi fuit institutū genus quoddā monachorū ex suo nomine. *Nā ante mille annos ait iste, floruit Bernardus col. 1171. L. C. 8. Quarto.* Respondeo, Hoc omnino falsum esse. Cepit enim innotescere, & viuebat post annum Domini m. c. xvi. Bernardus quemadmodū apparet ex eius vita, Tritemio, Chronicis omnibus, ne lōgus sim. Vixit sub Hērico VI. Imperatore Germano, & Cōrado III. Sed recens vocat Philippus quod plus quàm

mille annis (qualis noster Monachatus) post Christum natum existeret in ecclesia Christiana cepit.

Philippus ait Monachatum esse meram in Deum blasphemiam, quia credunt, & docentur homines per hæc opera se vitam æternam mereri apud Deum, hæc opera non ipsis tantum Monachis, sed & aliis, quibus ea Monachi volunt applicare, prodesse ad demerendam salutem. Ergo tollendum est tā blasphemum vitæ genus. Bellarminus etsi §. *Quinto* col. 1171. dicit hanc esse calumniam: tamen §. *Dicimus*, id verum esse fatetur ingenuè, & apertè. Fateatur enim ea opera esse meritoria vitæ æternæ & Monachis, & aliis. Denique professionem Religionis ex pia, ut loquitur, & probabili credulitate exæquat Baptismo. i. sanguini Christi in peccati & omni, & omnino tollenda quæ omnia sunt falsissima. Sed hæc indicasse est confutasse. Hieronymi autem & Bernardi sententiam nihil moramur, qui & ipsi pro se vindicias pronuntiant, quum sint Monachi: & istius erroris autores & fautores fuerunt. Sed neque Thomam in tertia secundæ quæst. ult. Art. 3. qui superiori errori manifesto consentit.

Philippus conqueritur, Quod Monachi præferant suas regulas, instituta, & Concilia Dei verbo, & legi, quam nequaquam tam præclaris titulis ornant, atque sua, quæ vocant, commenta, & Consilia, & vitæ à se inventæ genus. Primum id negare velle videtur Bellarminus iste ex Thomæ *2^a 2^a quæst. 148. Artic. 3.* quia perfectio Christiana formaliter est in observatione præceptorum Dei, inquit: tamen conscientia suæ postea

postea testimonio victus, ac cedens fatetur id à se, suisque scribi, & tribus de causis præferri sua instituta diuinæ legi, esseque præferenda, Primum, Quia sunt illa perfectiora legis diuinæ præceptis, contra quàm est Ps. 19. vbi lex Dei perfectissima vocatur. Secundum, quia perfectius viuunt qui Consilia, quàm qui præcepta seruant, cōtrà Deut. 6. Ergo & Christus ipse Math. 19. vers. 27. & Propheta nos ad legis diuinæ, & quidem solius, custodiam & obseruationem reuocant, non ad ista Monachorum consilia, Os. 6. vers. 6. Mich. 6. vers. 8. Malach. 4. vers. 4. Tertium, Quia perfectior charitas & amor Dei in cōsiliis præcipitur, nempe infinita: in legis autem præceptis charitas duntaxat finita describitur, & continetur. Contrà ex Ps. 19. ex Math. 5. vers. 18. Is. 34. vers. 16. docetur ne iota quidem vnum deesse legi Dei ad plenam perfectamque Dei obedientiam à nobis præstandam.

Philippus ait, Consilia & instituta Monastica legi Dei præferuntur à Monachis, quoniam illi nō putāt legem eam damnare omnes motus, cogitationes, & impetus animi nostri Dei voluntati cōtrarios. Atqui damnat eos. Itaque perfectissima est Respondet Bellar. Hos vitiosos animi nostri impetus non esse peccata. Respondeo, Errat Bellarminus. Nam vult Deus à nobis coli toto corde vt alibi nusquam occupetur animus noster, Math. 19. vers. 19. & concupiscentiam ipsam (quæ est animi motus & impetus obrepens nobis etiam sæpe incogitantibus) damnat apertè lex Dei Exod. 20. v. 17. Rom. 7. vers. 7. Quamobrem huiusmodi motus sunt peccata à lege Dei damnata, vltra quos Con-

filia progredi non possunt. Ergo falso perfectiora, quam Dei lex, esse iunguntur.

Demum Caluini aggreditur iste quoque, quod ne æquissimum quidem istius monastici instituti interpretem ferre potest, tam est hic illi iniquus, & in eum odio plus quam Vatiniano fertur.

Caluinus ait, Dixit Syricius Papa coniugiū esse carnis pollutionem, in quo qui viuunt, Deo placere non possunt, abutens loco Pauli Romanor. 8. v. 8. Bellarminus dicit esse Caluini mendacium. Respondeo, legatur can. *Proposuisi*. Dist. 82. & ipsius epistola prima, & 2. Ex his constabit vera scripsisse Caluini: mentiri autem Bellarminus, qui hoc sic scriptum neget. Non enim concupiscentiam in coitu & actione coniugij interuenientem proprie spectat aut damnat Syricius: sed ipsum vinculum coniugij, quod iste, toto cælo cum suis sociis errans, vocat magnum Sacramentum.

Caluinus laudans studium eorum qui in desertis vivebant, vt mundo renuntiarēt, ait eos hac via sese ad ecclesie gubernacula præparasse. Id quod docet Augustinus epist. 81. ad monachos epist. 48. ad Vincentium Donatist. can. *Quantumlibet* Dist. 47. Bellarminus rapit in conuitium & peiorem partem id quod Caluinus in laudem & præconiū monastices scripsit, dixitve, tam est in Caluini acerbus, & homo præceps Bellarminus. Idem dicitur can. *Monachos* can. *legi Epistolam*. 16. quæst. prima. Cur non igitur eos canonas iste, sicut Caluini flagellat, nisi quia quicquid dixerit Caluinus, vult iste euertere.

Caluinus ait liberas primum fuisse etiam in
mona-

Monasteriis rerum ἀδραφεῶν observationes: non autem fuisse, vti nunc, coactas. Negat hoc verum esse Bellarminus. At nos supra ex Augustino, Hieronymo, Cypriano, id verum esse ostendimus: imo poterat quis deserere & eremum, & vitæ Monasticæ genus, si volebat. Quid igitur tergiversatur Bellarminus.

Calvinus ait, Nouam quandam pietatem longè ab ea, quæ Dei verbo præscribitur, & ad Dei ac proximi charitatem pertinet, diuersam esse à Monachis institutam. Ergo delenda est. Bellarminus, more suo, hoc negat, & nouam istam pietatem putat esse perfectiorem ea, quam Christus ipse præscripsit. Respondeo, Mirus homo est iste, minimè que Christianus, qui aliquem putet Christo ipso, qui est ipsa Dei sapientia, tamen sapientiorē. Hæc sententia iam explosa est, & vnā esse secularium, ac Monachorum vitæ regulam ostendit Paulus 1. Corinth. 1. Vnus enim est omnium Christianorum Christus eiusdem vitæ omnibus exemplar.

Calvinus ait, Monastice nusquam est à Christo in ipsius Euangelio probata. Bellarminus profert locum Augustini ex epistola 89. & Chryostomi Homil. 17. ad populum Antiochenum. Respondeo, Dictum Augustini & Chryostomi non est dictum Domini Christi Iesu, cuius solam auctoritatem quærimus.

Calvinus ait, Nullum est à Christo discrimen constitutum inter consilium & præceptum. Hoc verum esse negat Bellarminus, ex August. epistola 89. Respondeo locus Augustini epistolæ

à Bellarmino citatus non constituit discrimen inter Concilia & præcepta : sed docet ex præceptis Christi alia perfectioris iustitiæ nobis regulam tradere, nostri solum ratione: non autem alia Dei Consilia facit, alia præcepta Dei Augustinus.

Calvinus ait, Non implent Monachi sua de maiori perfectione promissa, velut de non iurando de diligendis suis inimicis. Itaque Patres Monachos sunt execrati, qui id promitterent, neque tamen præstaret. Ergo Monachatus est blasphemia, & hypocrisis. Sicut & illud est falsum, quod Monachatus professionem vocant secundum Baptismum, sicut antea dictum est, & concessit Bellarmin. col. 1172. L. B. Respondet Bellarmin. suo more, inficiando illud ipsum, quod antea fassus est esse verum. Respondeo Bellarmino, frustra eum contra stimulos calcitrare, & veritatem oppugnare, quum res ipsa testetur monachos neque sese mutuo, licet in eodem clauastro & caula habitantes, diligere, nedum suos inimicos: neque Dei, neque proximi charitatem retinere: neque à blasphemis multoque minus à iurando abstinere.

Calvinus ait Monachatus est verissimum schisma in ecclesia, primum quia Monachi priuati, non cum tota ecclesia Sacramentis communicant, suas sibi priuatas Missas habent, propria Tempora, & proprias ecclesias. Deinde quoniam alius dicit, *Ego sum Cepha, ego sum Pauli, ego sum Iesu*: quod genus schismatis damnat Paulus apertè 1. Corinth. 1. vers. 12. Respondet Bellarminus conuictando. Vtrunque enim, quod est verissimum, vocat mendacium. Ait enim primum, veteres monachos habuisse

habuisse priuatas Ecclesias, & priuata altaria, non cum reliqua Ecclesia communia. Respondeo Bellarmino, Hoc falsum esse quod scribit, quæadmodum apparet ex Gangrensis cõcilij c.6. & 20. can. *Si quis per superbiam* Dist. xxx. Primum autem in Chalcedonensi Synodo rogati sunt Episcopi, vt sua oratoria priuata Monachis concederent c. 4. & 24. quæ antea Monachi nulla habebant ex Gangrensis Synodi decretis.

Imo Missæ Priuatæ inde in Ecclesia natæ, quæ omnes erant antea Publicæ tota Ecclesia conueniente. Sed quicquid ex Augustino lib. 1. de Moribus Eccl. c. 13. & 33. & aliis in contrarium affert iste probat etiam hoc ipsum Veteres Monachos fuisse iam tum schismaticos, & à Dei Ecclesia iam pridè secessionem fecisse, quia inter se priuatim: non autem cum tota illius loci, in quo versabantur, Ecclesia communicabant Sacramentis, & conuentus habebant. Id quod Caluini confirmat sententiam.

Negat quoque Bellarminus, etsi Monachi alij dicunt, *Ego sum Dominici Calaguritani*: alij *ego sum Francisci Assisiensis*: alij *ego sum Augustini Afri*, esse tamẽ eos inter se diuisos & schismaticos: quoniam ordinis tantum sui ab alio distinguendi causa id faciunt Monachi, inquit iste. Respondeo, Imo tot Deos diuersos, tot Christos, tot Aduocatos dissimiles habent Monachi, idque iactant, quot sunt istarum sectarum Monasticarum diuersi patroni autores & parentes. Alium enim habent Dominican, alium Franciscani, alium alij. Deinde ipsimet Monachorũ ordines schismata manifesta à sese in suis ipsorum regulis cõtinent, Nã Frãcisca regula

vetat suos quicquā possidere, sed iubet mēdicare: Benedicti regula Mendicitatem istam damnat, & *ἐπιμωσύνην* improbat. i. nihil possidere, Nulli tamen Mōnachi vsquam communiter cum tota ecclesia Christi Sacramentis communicant, quod est verissimum in Ecclesia Dei schisma, & diuortium, telle Paulo 1. Corint. 11.

Calvinus ait, Vetat Paulus Mulierem ante lxx. ætatis annum deligi ad Diaconatum, vel Continentiam vouere 1. Timot. 5. v. 9. Negat hoc verum esse Bellarminus, quia Hieronymus & alij volunt Juniores eligi, Respōdeo, Pessimè verò isti à Pauli præcepto discesserunt, vt suas Nonnas & Monachas ad hoc votum adigerent. Feit enim Dei verbo, & Pauli præcepto standum: non autem inani ista ambitione nouum vitæ genus in Ecclesia instituendū illud violandum. Quod Patres nonnulli temere, pace eorum dictum sit, fecerunt, Nā amicus quidem Plato, magis tamē amica veritas. Iraque res ipsa male cessit, atque ista Mulierum *ἀδύνατος* illis fuit promissio, quam præstare non poterunt. Scatent igitur ista Mulierum Monasteria & scortationibus & stupris scēdissimis.

Ad Cap. VII.

IN speciem quidem magnum quiddam pollicetur Bellarminus: re ipsa verò fumos & verba. Nā quid magnificentius & maius promitti potest, quā consiliū aliquod promere, per quod pius quispiā ad perfectionem peruenire, cāque attingere præsertim in hoc tam corrupto Mundi statu, & tam subbecilla humana natura, possit? Nemo certè est, qui tale Cōsiliū audire recuset. Sed tandē quid euenit?

euenit? *Parturiunt montes, nascetur ridiculus Mus*.
 Totus enim istius pollicitatoris hiatus & scripto-
 ris eo redit, vt nobis muçida quædam & rancida
 Thomæ Aquinatis Monachi portentose supersti-
 tiosi ex secūda secūdæ quæst. 144. Artic. 3. & quæst.
 146. Artic. 2. ad fastidium vsque repotia reponat, &
 ingerat, millies iam à nostris cōfutat, ab ipsismet
 etiam sententiariis controuersa, & reiecta: quem-
 admodum ex eorum de his votis & Consiliis, di-
 sputationibus apparet, vel irrita, vt ex Durādi lib.
 v. Enchiridij c. 3. N. 33. 34. 35. 36. facile colligitur.
 Vult autem vt hæc omnia, velut Dei ipsius elogia
 suscipiamus. Sed in summa quid ista Bellarmini &
 Sententiariorum doctrina continet, vt perfecti
 fiamus, & ad tam altum sanctitatis fastigium
 etiam in hoc mortali corpore versantes & gra-
 dum conscendamus. Nimirum hoc tradit ista do-
 ctrina, Consilia, quæ Monachi vocant, esse sequen-
 da, vt perfecti fiamus, ac implenda: non solum au-
 tem legis diuinæ præcepta omnia. Itaque An sint
 quædam Consilia, quæunt. Deinde quid sint: De-
 mum, vt illa à præceptis differant, & quam latè, In
 quibus omnibus explicandis homo iste totis sex-
 sequentibus longissimis capitibus duntaxat nu-
 gatur, & blatterat tantum, & verba non rem fun-
 dit, & habet. Est tamen à nobis refellendus. Ac
 primum in hoc capite, in quo præsupponit Esse
 quædam in Dei verbo scripto Dei Consilia à
 præceptis Dei distincta, & ipsis præceptis Dei
 perfectiora. Deinde quid sint, deffinire co-
 natur.

Primum hoc falsum est, falsaque præsuppo-

sitio esse quædam Cōsilia Præceptis Dei, & legis ipsius diuinæ perfectiora: Neque hæc probat Belarminus, sed præsupponit. Id quod est vitiosissimū & Petitio Principij, summæque fallacia nominatur, per quam ille sibi aditum ad totam futuram disputationem parat, id est, irrumpit in eam per hanc rimam & fallaciam. Esse autem quædam in Dei verbo scripto Consilia, vt vocat iste, & distinguit à præceptis, doceo esse falsissimum hisce rationibus.

Prima, vox ipsa Consilij, quo sensu Sētentiarij sumunt, nusquam in toto Nouo Testamento reperitur. Nam à Græcis βουλὴ dicitur, quod hic vocant *Consilium*, Act. 5. v. 38. estque non præceptum præcisum, nisi aliud addatur, velut Act. 2. v. 23. 4. v. 28. Ephes. 1. v. 11. sed tantum honesta quædam suasio, & expositio mediij, quod quis melius & cōmodius existimat. At loci ab his citati, ex quibus Cōsilia eliciunt, non habent βουλὴ *Consilium*: sed manifestè γνώμην id est, firmam *sententiam* & præceptum, vt apparet, 1. Corint. 7. ver. 25. & 40. quos maxime locos isti citant pro Consiliis suis stabilendis. Sic vox γνώμην sumitur apud Paul. 2. Corin. 8. v. 10. Itaque quod γνώμην vocauit Paulus, ibidem 1. Corin. 7. v. 17. appellat διαταγὴν id est, præcisum præceptum, quale est Dei præceptum, eodē capite ver. 25. In iis ipsis Consiliis, vt isti volunt, ait Paulus se habere spiritum Dei autorem, ver. 40. Ergo qui hanc sententiam & γνώμην Pauli reiicit spiritum Sanctū aspernatur & reiicit, quare hæc sententia Pauli est non βουλὴ simpliciter, sed διαταγὴν. non est Consilium, sed præceptum.

Secunda ratio est, Quæ Consilia isti vocant,

Christus & Paulus per verba præceptiua & Imperatiua efferunt, proponunt, & pronuntiant. Ergo non sunt alia Consilia, alia præcepta. Exemplum, Mat. 19. v. 21. Christus ait *Vende*, in isto Consilio, quo h: fingunt, quemadmodum v. 17. dixit, *serua* Paulus ait 1. Corint. 7. v. 12. 13. in eo, quod isti vocant Consilium, *Ne dimittito eam* per imperatiua verba.

Tertia ratio, Quæ Sententiarij volunt esse Cõsilia paucis data, Christus ipse ostēdit esse præcepta piis omnibus & singulis à se data & iussa, Nimirum de suo honore rebus omnibus preferendo, siue opibus nostris, siue parentibus, siue coniugibus, vt est Matth. 16. v. 24. Luc. 12. v. 31. 14. v. 26. 27. *Si quis vult meus discipulus esse, abneget seipsum, ode rit Patrem suum, & matrem & uxorem, &c.* Esse vero hæc Consilia perfectiora legis diuinę præceptis falsissimum est, idque his rationibus demonstrō, Primò, Lex hæc diuina dicitur, esse præceptio & norma perfectissima Ps. 19. v. 8. 9. 10. Ps. 119. v. 105. 150. dicitur verissima pedú nostrorú lampas: & qui in ea, illiusque præceptis ambulant, non autem in istis Monachorum Consiliis, dicuntur perfecti, Ps. 12. v. 7. Ps. 18. v. 23. 24. 31. Prou. 6. v. 23. Ergo ex legis diuinę præceptis, non ex Consiliis, pendet nostra coram Deo perfectio.

Secūda ratio, Perfecti dicuntur ij, qui legē seruāt, qui fidē in Christū habēt, Mat. 5. v. 48. Philip. 3. v. 15. Ergo perfectio Christiana posita est in fide, & obseruatione præceptorú legis, nõ autē Cõsiliorú quę ab illis præceptis differunt: aut (absit verbo blasphemia) mētitur nõsque decipit Spiritus Dei, qui

est spiritus veritatis, Ioha. 14. v. 17. Sic David perfectus dicitur Pl. 18. v. 24. 1. Regum 15. v. 5.

Tertia ipsimet Scholastici se refutat, dum Consilia volūt esse perfectiora, quā legis diuinę præcepta Thomas enim Aquinas in secunda secundę quęst. 144. Art. 3. scribit Perfectionem nostrā corā Deo essentialiter positam esse in diuinorum præceptorum obseruatione; instrumentaliter autē in custodia istorum Consiliorum. At essentia est magis aliquid & res ipsa, quā essentię instrumenti: & hæc ipsa Consilia seu instrumenta idcirco perfecta dicuntur, quia sunt media ad essentialē perfectionē seu ad præceptorum obseruationē. Ergo ipsa eorum obseruatiō est perfectior, & præcepta ipsa diuina perfectiora, quā Consilia, per regulam notissimam, *Per quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Quarta ratio nostra, Vetat Deus quicquam addi suę legi, Deuter. 4. v. 2. 5. v. 32. Ergo neque hæc consilia illi supra ipsius legis præcepta addenda sunt.

Quinta ratio, Perfecto nihil addi, & adiici potest. Neque enim perfectum est, cui in suo genere aliquid deest. Atqui lex Dei est perfecta, imo perfectissima. Quāobrem illi neque Consilia, neque alia possunt adiungi aut debent.

Sexta, Deus, qui est perfectus quique nos, ad sui exemplar, perfectos esse vult & iubet Leuitici c. 11. v. 44. Mat. 5. v. 48. 1. Pet. 1. v. 15. & 16. legis suę præcepta non ista Monachorum Cōsilia dedit, sciuitque, & sanciuit ad eam perfectionem consequendā: ergo

ergo nihil diuinæ legis præceptis perfectius tradi potest hominibus.

Septima, Christus ipse, Propheta, Apostoli, Patres nos ad sola legis diuinæ præcepta reuocant, vt Sancti, & quod ulem est, perfecti coram Deo sumus: ergo nihil istis præceptis perfectius tradi potest nobis: ac proinde ista Monachorum Consilia non sunt diuinis præceptis perfectiora, ac sanctiora. Christus Matt. 19. v. 17. *Serua mandata*: Prophetæ; Os. 6 v. 6. Mich. 6. v. 8. Malach. 4. v. 4. Is. 8. *Ad legem, & Prophetas*: Apostoli Rom. 13. v. 8. 9. Phil. 3. v. 15, 16. & disertè Petrus 1. Pct. 1. v. 15. & 16. Augustinus Tractatu 18. in Iohannis Euangelium, *vis curari. Quo sunt collyria?* inquit. *Noli mentiri, noli peierare, noli adulterari, noli fornicari, noli fraudare.* Quæ omnia ex legis præceptis, non ex Monachorum Cõsiliis sumpta sunt, Marc. 10. v. 19. Ergo falsa est Bellarmini sententia, vt dixi.

Octaua ratio, falsa est illa sententia, quæ ex falso fundamento colligitur. At hæc de Consiliis perfectionis falsum fundamentum præsupponit, Nimirum homines in hoc Mundi, peccate statim perfectos coram Deo esse posse. Hoc enim est Anabaptisticum hereticum, & ex Pelagianorum lacunis & erroribus haustum, ab Augustino in lib. De Perfectione Iustitiæ copiosè confutatum. Ergo falsa est illa sententia, esse quædam Consilia perfectionis.

His autem sic explicatis iam quiuis pius facile intelliget, Quomodo quæ hoc capite tradit Bellarminus, sint omnino falsa, & vana ani-

mi egri somnia & commenta. Sed quemadmodum Thomas Maurus Anglus, qui Vtopiam (quæ nunquam est, aut esse potest) id est, Rempublicam imaginariam finxit, in eadem & leges, & Magistratus imaginatus est: qui Chimærâ (quod est inane Homerici animi figmentum) esse credunt illi & membra, & totius corporis isti beluæ conformationem reperiunt: sic Bellarminus ut & ipsius socij, isti animi sui de Perfectionis Consilijs Chimæra & Vtopiæ attribuit, & inuenit subiectum, obiectum, finem, formam eadem vanitate animi, qua illam esse fingit, & præsupponit. Sed refellitur hoc caput ex illa notissima regula, *Non entis nulla sunt partes, & qualitates.* Primum igitur probet iste ex Dei verbo scripto (quod in toto hoc capite totius sequentis disputationis fundamentali nullum citat) esse Consilia, esse à Dei præceptis distincta, tum materiam, finem, formam subiectum eorum nobis recitet: alioquin omnia hæc, quæ hîc præsupponit, negamus, & quia sunt falsæ præsuppositiones, prorsus reiicimus.

Ait, materia Cõslij est & difficilior, & melior, quàm præcepti diuini. Respondeo. Falsum hoc. Nam executio præceptorum non est ex initijs, ut iste putat, naturæ, sed ex sola Dei gratia nos regenerante. Rom. 3. Philipp. 2. vers. 13. Pl. 51. vers. 12. 13. Ergo non est facilior nobis materia præceptorum, quàm Consiliorum, ut iste vult. Sed neque est eadem materia melior: alioquin enim esset aliquid Dei voluntate melius, quæ in legis diuinæ præceptis continetur, non autem in Consilijs, quæ non præcipit Deus nobis, teste hoc ipso.

Ex parte subiecti, Consilia non differunt à Præceptis. Nam vtraque omnibus & singulis piis equè præcipiuntur. Vtitur enim etiam in Consiliis quæ isti vocant, verbo imperâdi Christus, *Ἐνδε omnia.* Math. 19. vers. 19. Luc. 14. vers. 26. 27. Luc. 12. v. 33. Paulus Philipp. 3. vers. 8.

Ex parte formæ, nihil quoque Consilia à præceptis distant. Nam vtraque nos pios æquè obligant, quum à Christo eodem genere loquedi præcipiantur, & à Paulo 1. Corinth. 7. vers. 13. & sint *ἡ ἀρετὴ*, id est, præceptum vers. 17.

Ex parte finis non differunt quoque. Nam & hæc, quæ vocant isti Consilia, non obseruata pœnam habent, velut, si quis Christo bona vel vxorẽ præferat, in officio faciendo sit timidus Luc. 14. v. 26. Apocal. 21. vers. 8. quemadmodum & præcepta neglecta. Nam, vti docuimus, Consilia sunt præcepta quoque.

Ad Cap. VIII.

PVtat Bellarminus eos errare, quanquam Patres vetustissimos, qui Consilia docent esse præcepta. Fallitur, si veram eorum mentem perpendit. Nam Christus, vti docui, iubet omnes & singulos pios sua vendere, vt dêt pauperibus Luc. 12. v. 33. omnia deserere, vt ipsi obsequamur Luc. 14. vers. 26. & Paulus Philipp. 3. vers. 8. Cur igitur damnati sunt, ac pro hæreticis habiti, qui dixerunt neminem seruari posse, qui non in cœlibatu, vel paupertate viueret? sicut docent Epiphanius Hæresi 61. Augustinus epist. 89. & 106. Irenæus lib. 1. c. 30. Respondeo, Quoniam illi dictum & sententiã Christi, quæ *κατὰ τὴν* intelligenda est, purè, *ἀπλῶς*, &

simpliciter sumpserunt. Iubet igitur Christus, vt bonis, Coniugio, Parentibus renuntiemus, non simpliciter: sed quum hæ res sunt nobis impedimēto, quo minus Deo libertimè obsequamur. Alioquin eas negligere, aut iis renuntiare non iubet Christus. Verum Monachi Bellarmjnici, quæ admodum veteres illi Hæretici Apocatactici, & Tatiani dicti, simpliciter & omnino bona, coniuges, cæterum reliquorû hominum relinquenda docent, quasi sit in ipso cœlibatu & paupertate quædam pietas sita: quod est falsissimum, teste Paulo 1. Corinth. 7. ver. 27 28. 35. 36. teste Petro, 2. Epist. 1. ver. 4. 2. ver. 21. Hæc enim externa sunt abiicienda, si cum Dei gloria pugnent: non simpliciter.

Cæterum de Lutheri, Philippi, & Iohãnis Caluini sententia antea diximus, eamque verissimam esse ostendimus, & cõtrariis Bellarmini argumētis supr. cap. vi. respondimus. Romanistarum autẽ seu Sententiariorum dogma de tribus Monachatus votis impium esse iam demonstrauimus. Itaq; crambe bis apposita mors est.

Ad Cap. ix.

Iam verò Bellarminus omnes suas copias conuocat, vt errorem suum de Consiliis, quæ à præceptis diuinæ Legis separat, tueantur. Verum omnes illę sunt infirmæ, imo prorsus nullæ. Nam primum profert locum ex Il. 56. ver. 4. vbi Dominus suam legem, illiusque præcepta, non consilia, nempe præceptum de Sabbato, Exodi cap. 20. v. 8. seruantibus, etiam Eunuchis, & locum in sua Ecclesia, & vitam æternã pollicetur: ergo, inquit iste, Continentiam vouentibus. Sic enim Patres nonnulli

nonnulli eum locum interpretantur. Respondeo, Primum, Quod ad Patrum interpretationem, illa est & tropica, & allegorica, quam acceptare, vel reicere omnino liberum est. Deinde non agit Isaias de Eunuchis ex voto, id est, continentiam perpetuam vouentibus, quod votum & impossibile est, & toto Veteris Testamenti tempore fuit omnino Ecclesiæ, piisque ignotum, etiam in Nazaraeis, teste Sampson, Iudic. cap. 14. Venique est fallacia à falso sensu Sacre Scripturæ affixa. Loquitur enim Isaias de insigni Dei beneficio per Christum futuro, per quod omne genus hominum in suam Ecclesiam collecturus erat, Actor. 10. ver. 34. etiã eos, qui sub Veteri Lege à Muneribus Ecclesiasticis excluderentur, quales Eunuchi, Deuter. 23. v. 1. 2. Congruit hic Isaiæ locus cum eius cap. 66. vers. 20. 21.

Quod autem ex hoc loco Isaiæ colligit Bellarminus continentiam ergo apud Deum meritos iam esse, quia dicitur. vers. 5. *Dabo illis nomen æternum*, ineptus est, vel cæcus. Imò vel ex eo solo loco nequaquam meritoriam eam esse apparet. Dicit enim Dominus *Dabo*. Quod autem datur, gratis, seu ex gratia, non ex merito, vel operibus confertur. Sunt enim ista duo contraria, *ex Gratia*, & *ex merito* aliquid alicui tribuere. Roman. v. decimo, vers. se. to. Ergo non ex merito, sed ex sola Dei gratia nomen illud æternum habent Eunuchi verum Deum ex sue legis præceptis, non ex Consiliis Monasticis colentes.

Porro P. Martyris sententia verissima est. Ostedit enim fore, ut illud opprobrium, quod sub Le-

ge cēsebatur olim, nempe Eunuchum esse, & Pro-
 ye carere, adimatur per Christum Eunuchis piis, &
 in Ecclesia inter primores etiam Ecclesię habeantur,
 qualis ille Eunuchus Reginae Candacis fuit,
 Actor. 8. ver. 34.

Testimonium ex libro Sapientię, cap. 3. ver. 13.
 & 14. nihil ad nos, qui Canonica tantum scripta
 ad fidei dogmata probanda admittimus, inter que
 non est liber Sapientię. Quanquam illic ne 2^o
 quidem de Continentiam vouentibus agitur, sed
 de scortatoribus, & adulteris, quorum filij, condi-
 tió que sterilibus castis postponenda dicitur.

Testimonium ex Matth. 13. vers. 8. de vario ve-
 rorum Euangelij auditorum fructu, nihil pertinet
 ad hanc quætionem: aut Bellarmini sententiam,
 nisi ex allegorica, aut detorta eius loci interpre-
 tatione iuuat. Testimonium ex Matth. 19. ver. 12.
 de triplici genere Eunuchorum, nempe qui vel
 nati, vel inuiti facti, vel sponte Eunuchi euaserunt,
 nihil confert, aut valet ad Continentię perpetuę
 votum confirmandum. Primum, quia non de Eu-
 nuchis perpetuis agit Christus, loquens de tertio
 Eunuchorum genere: sed iis, qui ad tempus tan-
 tum, & quandiu possunt, abstinent à coniugio, vt
 liberius Deo inseruiant. Sic Paulus interpretatur
 1. Corint. 7. ver. 5. & 35. Nam postea, si vrantur, ma-
 trimonium contrahunt. Deinde nõ agitur de iis,
 qui ex voto Deo facto, & promisso continent: sed
 ab sique voto, quum, & quandiu non vruntur, 1.
 Corinth. 7. ver. 17. Temporibus enim Christi, vel
 Apostolorum, nullum talis voti vsquam extat e-
 xemplum. Denique non hoc consiliu solũ est:
 sed

sed præceptum expressum iis, qui possunt capere, *Qui potest capere, inquit Christus, capiat, ver. 12. per verbum Imperandi.*

Quòd ad autoritates Patrum hîc à Bellarmino citatas, nihil vrgēt. Nam sui seculi falcino, & vulgari errore decepti illi sic senserunt, scripseruntq; neque Irenei, neque Clemētis, neque Iustini Martyris vestigiis insistētes, neque Apostolorū Christi suorum prædecessorum doctrinam sequuti, qui neque Monachos, neque Monachatum, neque vota ista vnquam agnouerunt: imò apertè damnarunt. Coloss. 2. ver. 8. 21. 22. 23.

Testimonium ex Matth. 19. ver. 21. *Si vis perfectus esse, vende omnia que habes, &c.* neque Votū, neque Consilium de paupertate stabilit. Non votum. Nam de Voto ne γρὺ quidem illic agitur: ac ne per insomnium quidem. Non consilium. Nam est præceptum Christi: dicit enim Christus *Vende imperans id fieri.* Deinde, vt est Marc. 10. ver. 17. Luc. 18. ver. 22. ait Christus, *Hoc tibi deest.* At iubemur ea supplere, quæ nobis desunt, & eò contendere, eaque quærere, Philipp. 3. ver. 13. 14. Ergo iubet Christus id fieri, non solùm consulit, vt vult Bellarminus. Denique idē valent ista verba Christi, *Si vis perfectus esse* (quæ alij Euangelistæ prætermiserunt) atque hæc, *Si vis in vitam ingredi, teste hoc ipso col. 1184 L. D. §. Ad hæc.* Matth. 19. v. 17. & 21. At verò Christus vt seruemur, reuocet nos ad præcepta Legis diuinæ, non ad ista Monastica præcepta. Ergo ille locus Matthæi continet præceptum, non Consilium. Nam omnibus piis idem præcipit Christus, Luc. 12. v. 33. *Vendite bona vestra, & date eleemosynā.* Prætermitto quòd, teste

hic Bellarmino, illi ipsi qui locum hunc de Cō-
silio interpretantur, inter se planè dissentiunt, ac
discordant, velut Hieronymus, Beda, Augustinus,
Chrysostomus, Bellarminus ipse.

Quod autem iste toto cœlo, totâque terra ab-
errâs, col. 1182. L. B. S. *Neque obstat*, duplicē perfe-
ctionē nostrâ corâ Deo fingit, eâmq; diuersam,
omnino insanus est, & sibi cōtradicit. Nihil enim
perfecto perfectius esse potest, in eodem genere,
præsertim quum iustitiam, & perfectionem nostrâ
partiarum non admittat Deus, teste Iacobo, ca. 2.
Ergo est contradictio manifesta, quâ tamē postea
repetit, col. 1183. L. D.

Caluini & Martyris sententiam frustra hic op-
pugnat, quum apertè doceat Marcus, cap. 10. Chri-
stum voluisse premere vlcas vanæ fiducia, qua a-
dolescens turgebat apud Deum ex suis operibus.
Nihil autem illi præcipit Christus, quod ex vera
charitatis, & Legis diuinæ mente singuli pij præ-
stare non debeamus, vt ex Act. 4. ver. 34. & seq.
apparet, & colligitur. Quod iste ex Augustini E-
pist. 89. q. 4. colligit verba hæc, *Vende omnia, quæ
habes*, non esse præceptû, fallitur. Et Phrasis Chri-
sti eû confutat, & quod est Luc. 12. ver. 33. Denique
quod scribit Paulus, Philip. 3. v. 8. vbi piis omnib.
præcipitur, quod illic Christus isti adolescētī, quâ
do fratrum egestas id postulat, sicut secere pij in pri-
mitiua Ecclesia, Act. 4. Extra necessitatē autē istâ,
nō est præceptû. Sicut qui Patrē, & Matrē omnino
nō habēt, ad eos nō pertinet præceptû, *Honora Pa-
trē & Matrē*. Præcepta enim affirmantia, quemad-
modû in suis scholis ipsimet docēt, nō obligât a-

πρωτος, & sine exceptione. Sic igitur sunt à nobis singuli proximi diligendi, vt, si sic eorum inopia postulet, omnia nostra bona vendamus, quò illis succurramus.

Apostolos verò omnia sua reliquisse, quo pacto sit intelligendum, priùs exposuimus. Nò enim actu, sed voluntate id fecere, id est, nihil quicquam Dei gloriæ, aut suæ vocationi pretulerunt. Paupertatem autem, quam vouent stulte monachi eos vouisse falsissimum est. Quàquam quid ad nos spectat, quid G. de Sancto Amore, quid Osiander, quid Pelagiani de loco Matt. 19. v. 2. senserint, quum veram eius mentem & ex ipsiusmet Christi verbis, & ex Paulo, & legis diuinæ scopo teneamus. Scopus charitatis nobis à lege Dei præscriptæ eò vsq; nos deducit, vt pro fratribus egenis omnia vendamus. Mens Christi hæc fuit, vt hac ratione ipsi adolescenti demonstraret, eum toto cælo decipi, dum se totam Dei legem impleuisse putat. Ostendit enim quæ, quãtaq; charitas lege Dei prescribatur. 1. Corinth. 13. ver. 3. 8. ver. 13. II. 58. ver. 7. Hæc est verissima mens & sententia illius loci.

Testimonium ex Matth. cap. 19. versic. 21. & ex his verbis Christi, *Sequere me*, id est, Homini Abbatem tuum se profitenti obsequere, est extra propositum, ex quo votum obedientiæ monasticæ tamen colligit Bellarminus. Iubet enim Christus, vt se vnum, non alios sequamur, se vnum Doctorem non alios habeamus Matth. cap. vigesimotertio, vers. decimo. serui Dei, non hominum sumus Matth. cap. sexto, versic. vigesimoquarto. 15. ver. 9. 1. Corinth. cap. 7. ver. 24. Vnde igitur, aut qua fronte, modo Bellarminus ex hoc lo-

co votum de se homini cuiusquam voluntati subiiciendi colligere potest? Nam argumētum à Maiori ad minus, contráque (quo ex loco videtur argumentari hic Bellarminus) in rebus eiusdem (quod ad hoc) generis & rationis solum habet locum. At obedire & se submittere Dei, & Hominis voluntati, sunt dissentanea, ac prorsus dissimilia, quorum hoc Christianis prohibetur: illud præcipitur, uti docuimus.

Testimonium ex 1. Cor. 7. v. 1. *Bonum est*, ait iste, *homini mulierem non attingere*, votum Continentiæ non confirmat, sed infirmat, ut rectè sentiunt Lutherus & Caluius. Addit enim statim Paulus, *Verum propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat*. Respondet Bellarminus, primum esse expresse in textu *Bonũ est*. Hoc falsum est: Habet textus καλὸν simpli. iter, nec verbũ addit Paulus, quia de quocunque tempore siue præsentis, siue futuro locum interpreteris, perinde est. Deinde fallitur cum suo Hieronymo Bellarminus. Vox enim *Bonum*, commodum significat duntaxat, de bono autem moris nequaquam intelligitur, ut apparet ex v. 6. 26. 35. *Hoc dico vestro commodo*. Ergo non tradit illic Paulus quid ad salutem, & vitam æternam seu perfectionem nobis conferat: sed quid cõmodum, vel incommodum, pro illius seculi circumstantia, indicet. Ait enim v. 26. *Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem*. Quod ad Ambrosiũ lib. de *Viduis*. & August. lib. de *Virginitate* (Nam Hieronymus verè fuit hæreticus Tatianus, lib. 1. contra Iovinianum, & matrimonij à Deo instituti hostis apertus) Chrysoptomũ, & alios iis posteriores, respondeo eos iã recepto errori cedentes;

& cōsuetudine, (quę, vt ait Augustinus, tyrānus est, & nos cogit inuitos) victos hęc scripsisse, non Dei verbum sequentes, sed corruptentes, & stipulam ac scēnum iam in Ecclesia supra bonum fundamentum (quod fore prędixerat Paulus 1. Corinth. 3.) ædificantes.

Quām impiē verò iste verba Pauli *Unusquisque vt exitet periculum fornicationis, uxorem suam habeat*, 1. Corin. 7. v. 2. ad solos fornicarios, & eos, qui iam uxorem duxerunt, & falso restringit. Imo ad eos pertinent, qui nec fornicarij sunt, nec esse volunt: & qui nondū uxorem duxerunt, alioqui duas uxores, ex Bellarmini sententia haberent, & ita Bigamiam Paulus suaderet, quam ab eo 1. Timo. 3. dānari antea scripsit. Quām insulsē, ineptē, & a *θεολόγῳ*, iste col. 1186. L. C. §. *at utrinque* scribit Adamum habuisse donum continentię in Paradiso. Cur igitur ei dedit uxorem Deus? Cur dixit: *Non est bonum Homini esse soli*, Genes. 2. v. 18. Item quam falso hic idem scribit. Donum Continentię esse in nostra potestate: & tamen idem asserit à Deo petendum esse. Postea, esse omnibus commune, At contra Paulus 1. Corin. 7. v. 17. docet esse Dei Donum peculiare, & rarum, & paucorum.

Solutio Bellarmini col. 1187. L. A. prorsus inepta est, Quū ait Deū loqui de bono speciei, Paulū de bono Individui: Deum de tempore, quo adhuc Mundus vacuus: Paulū, quo Mūdus iā erat plenus. Respondeo, eadē est & Dei, & Pauli, qui per Dei spiritū locutus est, mēs. Commendat vterque hominib. coniugium, Necessarium docet vterque esse iis, qui continentię donum non habent. Neuter

bonū appellat bonū Moris & effectū fidei, qua grati-
 finus Deo: sed cōmodū & vtile & expediēs dūta-
 xat quod est. Itaque Deus apellat vxorem, quā dat
 Adamo, Auxiliū Adami, Genes. 2. v. 18. P aulus ipse
Bonū sup. q̄por. i. cōmodum interpretatur, 1. Corint.
 7. v. 35. & 26. Mirus autem interpres est Bellarmi-
 nus, qui verba hæc Pauli 1. Corint. 7. v. 26. *propter*
instantem necessitatem ait significare propter vitæ
 breuitatem, Quis Monacho isto vnquam vel indo-
 ctior, vel in errore tuēdo pertinacior fuit, qui ipsū
 S. scripturæ textum tam impudenter corrumpat
 & manifestè? In col. 1187. L. D. §. *Illud autem idem*
 hic manifestè est Hæreticus Tatianus cum suo
 Hieronymo, qui nuptias & quod ad spiritualia, &
 quod ad corporalia bona damnat, & reiicit.

Testimonium ex 1. Corint. toto capite ix. vt iste
 citat, ne vmbra quidem Consilij istius Monasti-
 ci & voti habet, aut repræsentat. Nam quod licita
 & honesta stipendia ab iis Ecclesiis Paulus non
 accepit, in quibus tunc prædicabat, neque ex voto
 fecit, neque ex opinione apud Deum merendi, vt
 iste mentitur, quum vbique meritum refellat
 Paulus etiam in ea ipsa priore ad Corinthios Epi-
 stola c. i. v. 30. 2. v. 2. 15. v. 10. De voto verò non ac-
 cipiendi, ne littera quidem scripta vel picta extat.
 Nam votum istud suum violasset Paulus, quum ab
 iisdem Ecclesiis ea, quæ ad se postea mitterebant,
 acceperit, sicut scribit & testatur ipse in epistola
 ad Philippenses cap. 4. v. 15. 16. 17. Denique totum
 hoc opus Pauli spectabat Ecclesiæ ædificationem
 in rebus mediis & adiaphoris (quale est stipēdium
 ab Ecclesia accipere, aut nō accipere: vxorē circū-
 ducere,

ducere aut non, teste ipsomet Paulo eodem c. 9. vs
 4. 5. 6. 7.) non autem erat aliquod opus Consilij à
 Deo vel Christo dati. Imo dixit contra Christus
 ipse, *dignus est operarius sua mercede*, Mat. 10. v. 10.
 Ollendit igitur Paulus, quid fecerit prædicans,
 quatenus ecclesie edificator. em summam spectavit,
 nō quid vouerit, aut quòd aliquod Christi Cō-
 silium secutus sit, vt iste putat. Neque enim quic-
 quā ex voto propterea emissio egit, neque sibi istud
 meritorium coram Dei iudicauit, qui in eadem
 Epi. c. 4. v. 4. sic scribat. *Nullius quidem rei sum mi-
 hi conscius, propterea tamen non sum iustificatus corā
 Deo*: Neque de eo Christi Consiliū, vt in I. Corin.
 7. ver. 40. habuit. Ecquod igitur operis genus hoc
 fuit? Non votiuum. Non supererogationis, Non
 Meritorium, quemadmodum & falso & blasphemē
 scribit Bellarminus: sed Medium ad ædifica-
 tionem Ecclesie illorum temporum, & locorum
 accommodatū. Extra eas autem circunstantias, nō
 sequendum: ex iisdem autem circunstantiis Pasto-
 ribus omnib. vere fidei & Christi gloriam amātib.
 imitandū. Ex quo tamē opere nemo corā Deo, sed
 tantū coram hominibus gloriari potest, exemplo
 Abrahami, vt docet Paul. ipse Rom. 4. v. 2. I. Cori.
 15. ver. 10. Ex quibus apparet verissimā P. Martyris
 sententia: Roberti verò Bellarmini falsissima.
 Neque aliud sentiunt Patres, quàm nos, quos ta-
 men temere pro se citat Bellarminus. Docent
 enim Paulum propter ædificationem Ecclesie
 licitis abstinuissē, sed absque Voto concepto,
 quod tamen iste putat, absque Merendi opinio-
 ne, absque eo, vt aliis regulam vel Consilium,

præterquam ob easdem planè circumstantias, im-
posuerit: aut dederit. Itaque nihil ex hoc Pauli lo-
co, pro se concludit, aut efficit Bellarminus, nisi
planè exēcutiat.

Quod autem ad opera Supererogationis, quæ ex
hoc eodem Pauli loco 1. Corint. 9. falso colligit
Bellarminus bis cæcus in ista collectione, & incu-
ptus est, Primum quoniam ab ipsomet Paulo retu-
tatur hæc eadē Epistola c. 4. v. 4. *N ullius rei sum mi-
hi conscius, propterea nō iustificor coram Deo, à Chri-
sto, Luc. 17. v. 10. Quum feceritis omnia, quæ præcipio
vobis, dicite serui inutiles sumus* A Paulo iterum 1.
Corin. 4. v. 7. *Quid habes, quod non acceperis? Quod
si etiam accepisti, quid gloriaris?* Deinde cæcus est
Bellarminus quoque, qui non intelligat ea, quæ à
nobis ex charitate fiunt in proximorum ædifica-
tionem deberi à nobis ex Dei præcepto, discretè,
non solum, vt iste vult, ex Consilio, Rom. 13. ver.
8. 1. Corint. 8. ver. 13. 9. v. 19. 20. Ergo tale opus no-
strum est opus debitum, nō autem opus supereror-
gationis, quod omnino Deo nullum à nobis
præstari potest.

Quod autem inepta & falsa est Bellarmini com-
mentitia interpretatio huius loci Pauli 1. Corint.
9. v. 18. qui hæc verba *abuti iure* contra mentem,
Pauli sumit, pro *vehementer uti*: & nomē *offendiculi*
v. 12. pro *interruptione*. Imo, vt ex v. 12. apparet, po-
tuit Paulus stipendia honesta iure suo petere &
exigere ab Ecclesiis & v. 10. 11. 13. neque durior aut
vehementior, propterea videri potuit, debuitve
Paulus: sed ne cuiquam oneri esset, aut offendiculi-
lo, eo iure suo abstinuit, vt ipsemet interpretatur

v. 18. i. Thes. 2. v. 6. propterea que aduersus doctrinam suam, id est, Euangelicę hostes gloriaretur. Hęc plana, & vera est illius loci sententia, quam vt iste euertat, quantum potest (tam misero & infelici odio fertur in nos, & Petrum Martyrem) maualt nouas & inauditas verborum & nominum significationes comminisci quàm acquiescere in veritate manifesta.

Testimonium ex Apoca. 14. v. 3. nihil huic prodest. Nam illic fateor, canticum nouum ij soli canere posse dicuntur, qui cum mulieribus non sunt inquinati: Ergo, inquit Bellar. sunt quędam apud Deum opera nostra supererogationis: & est Votū de perpetuo cęlibatu à Deo commendatum. Respōdeo, Deus tibi, Bellarmine meliorem det mentem, vt tuę huius argumentationis ἀσυλλογισίαν videre possis. Est enim fallacia A non consequente. Nam vt hoc etiam tibi benignę largiar, aliqua in re plus etiam in cęlis (de quibus tu locum hęc præcise intelligis: sed perperam) consequi istos Virgines, id tamen ex mera Dęi gratia, non ex vilo opere suo assequuntur, quia nempe nomen Patris in eorum frontibus scriptum est, v. i. ac multo minus ex vilo præcedente voto.

Cap. x.

Qui in primitiua Ecclesia bona sua vendidere A stor 4. vt fratribus egenis subuenirent, id ex Christi præcepto, Luc. 12. v. 33. non autem, sicut iste vult, concilio tantum fecere. Id enim fieri præcipit Christiana seu lege diuina præscripta charitas, Galat. 6. Deuter. 15. v. 4. *Non erit pauper inter vos mendicus.*

Qui vxoribus, Iustini Martyris, in Apolog. 11. & Tertulliani Apologet c. 9. tempore abstinerunt, neque ex voto id fecerunt, neque in perpetuum: sed propter instantem duntaxat necessitatem, & durissimas, quas tunc Ecclesia ab Imperatoribus Romanis Ethnicis patiebatur, afflictiones, quantum illæ extiterūt, quemadmodum iam pridem faciendum monuerat Paulus 1. Corint. 7. v. 26. Nam etsi quidam celibes perpetuo māserunt etiam tunc, absque voto tamen de ea re concepto, & nuncupato Deo celibes perstiterunt. Id quod nihil iuuat Bellarminum, qui ex his & Votum perpetuum, & opera supererogationis falso colligit.

De filiabus Philippi quod scribit iste, refellitur ab eodem Eusebio lib. 3. Hist. c. 30. qui ex Clementis lib. 7. Strommaton tradit eas virgines postea in matrimonium fuisse à Philippo collocatas. Neque tam laudantur à Luca Act. 21. v. 9. quod Virgines, quàm quòd prophetissæ, vt intelligeretur illud tunc impleri, quod sub Euāgelio Christi futurum prædixerant Prophetæ Ezech. 13. v. 17. Ioel. 2. v. 28. Act. 2. v. 17. Sed neque Polycrates iste, quem allegat ex Eusebij li. 3. c. 31. Bellarminus, ait, eas ex Voto, sed, quia sic probarunt, Virgines permanisse. De Philone quod citat iste ex libro eius de vita contemplatiua iam Bella. *αὐτὸς ὄψατο* in eo ostendimus, eūmq; confutauimus, Neque enim de Christianis, sed de Essenis Iudæorum sectariis loquitur Philo, si cut demonstrauimus.

Ad Cap. XI.

Quas ex Patribus autoritates profert Bellarminus, illæ minime nos vrgent, aut lædunt, idque tribus

tribus de causis. Primum non ex Dei verbo, sed ex quadam vulgari noue huius vite Monastice admiratione sic scribunt, & sentiunt, itaque populi iudicio, superstitionisque exoticę exortę nouitate abrepti & perculsi sic Patres isti loquuntur. Deinde à veteribus terminis & doctrina, quã Apostoli, & proximi, fidelissimique eorum successores secuti sunt, Patres isti discesserunt, contra quam est, Prouerb. 22. v. 28. Apostoli enim, & eorum primi successores neque Monachos viderunt, neque probarunt: neque tota sequens ætas plus quam c. c. à Christo nato annis. Terrio, Dum Patres isti quosdam. S. scripturę locos ad noui istius vite generis confirmationem sumunt, eos planè à vero sensu, & mente detorquent, sicut supra demonstrauimus. Itaque super bono fundamento, i. Dei verbo, non aurum, aut argentum; sed scænum, stipulam & lapides, id est, superstitiones ædificant, quod fieri vetat Paulus 1. Corint. 3. v. 12.

Ceterum quod ad Origenem, est iste scriptor omninè pene hæreseon fons & scaturigo: deinde blasphemus qui hic scribat aliquid à nobis Deo plus quàm illi debemus, offerri posse, quem ex toto corde, anima, facultatibus omnibus diligere debemus, Mat. 22. v. 37.

Eusebius in Abelonitarum hereticorum errorem hic prolabitur, qui censebant veram Ecclesiã Dei absque consilio propagari debere. Quos confutat Augustin. cap. 87. De heresibus ad Quod vult Deum.

Athanasius hunc refutat. Nam vocat præceptum Christi, quod iste Consilium esse vult,

lib. de Humanitate verbi.

Basilii lib. de Virginitate, Epiphanius hæresi 48. Chrysoſtomus Homil. 8. de pœnitentia, nuptias manifestè probant, & commendât. Et quod de virginitate scribunt, de iis intelligunt dûtaxat, qui, vt ait Christus, donum continentię à Deo acceperunt, Math. 19. vers. 11. 12. quique eam non vident: sed quandiu hoc Dei donum in se durare sentiant, eam seruant, vt Deo melius inseruiant ac liberius, non vt salutem in suis illis operibus quærant. Eodem spectat dictum Nazianzeni oratione prima in Iulianum, quum ait hanc continentię obseruationem totam positam esse in Electione, & voluntate. Nam qui continet, quandiu vult, & potest, cõtinet. Alioquin hi omnes Patres Gangrensi Concilio damnantur, vbi & continentię iitius, & Monachatus institutio inter Christianos reprobatur.

De Cypriano iam diximus. Fallitur iste, liberæ erât Cypriani tempore hæ obseruationes priuatę, & extra Votum, & Monasterium, & Monachatu, de quibus agit Cyprianus in libro de virginum habitu.

Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius nullum meritum coram Deo in ista vita Monastica constituerunt: quam etiam irrident, Hieronymus in li. de Custodia virginitatis: Augustinus in libro, de opere Monachorum: Bernardus in declamatione. Ergo rectè scripsit Calvinus li. 4. Institution. cap. 13. §. 12. Christum neque consilia, quæ dicunt Sententiarij, dedisse: neque Patres aliter, quàm nos, sensisse, eos nempe qui ad tēpus coniu-

coniugio abstinent propter regnū Dei, id absque voto, & opinione meriti facere debere.

Ad Cap. xii.

Ratio, quā affert Bellarminus ex duplici perfectione rerum in his terris, & civili administratione, quæ maiora præmia melioribus proponit, nihil valet. Nam est fallacia Ab ignorantia Elenchi, dum diuersi status confunduntur, præsens in his terris, & futurus in cælis, quasi sint pares. Falsum igitur est, esse duplicem in cælis hominū piorum felicitatē, vnā per quā sunt: alterā per quā bene sunt. Quicumque enim sunt in cælis, nō modo beati sunt, quia sunt: sed quia bene sunt. Alia verò est hominum conditio in his terris propter peccatum. Itaque hīc aliud est, esse: aliud est, bene esse. Præterea constituere felicitatem vnā obseruatoribus legis diuinæ, eamque minorem. Alteram autem felicitatem Monastica vota seruantibus, eamque maiorem, est Pelagianicum, & Hæreticum. Nam hi, teste Augustino in libris contra Iulianum Pelagianum, aliud esse dicebant Paradisum, aliud, vitam æternam. Deinde hæc sententia à Christo confutatur, qui ait, eos demum saluos fore, & beatos, qui præcepta legis, non autem consilia, seruarint Math. 19. vers. 17. Denique scriptū est in lege, Qui fecerit legis mandata, viuet: non autem, Qui fecerit Monastica Consilia. Leuit. 18. v. 5. Gal. 3. v. 12. Ergo nulla felicitas promissa est vota Monastica, sed sola legis præcepta seruantibus.

Ad Cap. xiii.

Iam ad contraria argumenta nititur respondere Bellarminus. Primum autem est, Nulli addicti

corde, & animo, diuitiis, intrant in Regnum Dei, Matth. 19. ver. 23. ergo quicumque in Dei Regnum ingredi cupiunt, animo, & voluntate abiecerint suas diuitias necesse est, vt Deo seruiant, 1. Tim. 6. ver. 17. ac proinde hoc præceptum est generale piis omnibus. Respondet nihil Bellarminus: sed tantum extra casam fugit, & quærit, quomodo Camelus possit intrare per foramen acus, nimirum si redigatur ad subtilitatem pili aut setæ. Quid hoc ad rem, & obiectum contra Bellarmini sententiam locum? Certè nihil. Non dissoluit nodum iste. Nā quod illic dicitur de Camelo, ex Prouerbiali, vt Caninius docuit, apud Hebræos loquendi genere sumptum est, vt in genere doceatur Deum efficere posse, quæ homines non possunt. Itaque inutilis est ista quæstio, quomodo Camelus per foramen acus intrare possit: in quo se propterea frustra Scholastici, & iste torquent.

Secundo loco, obiicitur Luc. 14. ver. 26. Tertio, Matth. 5. vers. 48. vnde apparet, quæ Monachi, & Sententiarij dicunt esse tātum hominibus paucis data Consilia, esse generalia Christi piis omnibus præscripta mandata. Quid Bellarminus? Nihil. Ait agi de Præparatione Animi, de Perfectione Vtili, & non necessaria. Denique noua rerum, & nominum monstra fingit, nempe Perfectionem aliam vtilem, & non necessariam: aliam necessariam, & non vtilem. Quis vnquam, vel fando hæc audiuit? Respondeo, Quocumque sensu accipiātur ista, sunt Christi præcepta, non Consilia.

P. Martyris argumentum est tale, Dei Lex, quæ postulat

postulat à nobis, vt Deū toto corde, tota Anima, totis viribus diligamus, à nobis hīc impleri non potest, Augustinus lib. 1. ca. 22. de Doctrina Christiana: sed neque hoc præceptum, *Non concupiscet*, August. lib. de Litera, & Spiritu, cap. fina. Bernar. Serm. 50. in Canticum, Thomas in secunda secunda quæst. 44. Artic. 6. & 183. Arti. 3. Ergo nulla opera Supererogationis esse possunt. Bellarminus primum apertum S. Scripturæ locum *Diliges Deū toto corde*, Matth. 22. ver. 37. variâ interpretatione (quoniam ab eo manifestissimè oppugnatur) inuoluit more suo. Sic Sæpia piscis atramentum suū iam iam capienda piscatoribus obiicit, vt elabatur, & visum sui auferat. Deinde peiorem ipse interpretationem, tam est cæcus, & miser, sequitur, vt hæc tot verba, *Corde, Anima, Mente, Viribus*, nihil differre velit. Tertio Sacram Scripturam inter se committere conatur, vel sibi contrariam ostendere, minimeque sibi constare. Quid Turca in Deum, & Euangelium peius comminisci potest? Tandem respondet, *Deum ex toto corde, &c. diligere*, esse duntaxat sincerè, non hypocriticè eum diligere: non quidem ex totis viribus, & omnibus nostri partibus: sed tantum pro viribus, & quantum possumus in hac corrupta nostra natura. Nam esse hoc præceptum affirmans, quod non obligat ad semper. Itaque præuaricatorem Legis non esse, qui neque Deum diligit ex omnibus viribus, neque implet hoc præceptum, *Non Concupiscet*. Neque enim hæc à Deo præcepta, vt hæc implemus, sed vt nostrum tantum officium pro

viribus, quas in hac natura corrupta habemus, faceremus. Hæ sunt Bellarmini horrendæ blasphemix, vt opera suæ Supererogationis, & Monachatus stabiliat. Media enim, non finem in præceptis vult contineri. Respondeo Bellarmino, Primum pugnat illius solutio cum verbis Christi. Nã aliud est dicere, *ex omnibus, seu totis viribus*, & *Pro viribus* tantum. Ait Christus, *ex totis viribus*, non autem *pro viribus*. Deinde blasphemum est scribere Præuaricatorem non esse, qui hæc non implet. Refutatur enim Deuter. 6. ver. 1. Ait enim Moses, *Hæc præcepit Deus, vt facias*. Leuit. 18. *Qui fecerit ea*, Deuter. 27. ver. 26. & Galat. 3. ver. 12. *Execrabilis qui non præstiterit omnia verba huius legis*. Ergo præuaricator & maledictus est, qui illa non implet. Denique falsum est, Præceptum, & legem dari, non vt impleatur: sed tantum vt moueat nos. Hoc enim Iurisconsulti refellunt toto titulo, §. *De Iustitia, & Iure*. Nam quod Augustinus quædam naturæ humanæ infirmitates non vocat peccata, de irremissibili peccato, aut quod pœnitentiam publicam in cœtu Ecclesiæ mereatur, intelligit: non quod non sint *à vicijs*, & peccata huiusmodi infirmitates nostræ.

Iam verò quæ corollaria sex ex sua interpretatione colligit iste, tot sunt verissimæ blasphemix, velut, Quædam esse peccata non mortalia, contra Roman. 6. ver. 23. *Stipendium peccati Mors*. 2. Amorem Parentum non esse referendum in Deum, & ad Dei gloriam, Contra, 1. Corinth. 10. ver. 31. *Quicquid feceritis, facite ad Dei gloriam*. 3. Quædam peccata, velut Venialia, quæ vocat iste, non pugnare

pugnare cum Lege. Cōtrà 1. Iohan. 3. ver. 4. omne peccatum est Legis transgressio. 4. Motus cordis obrepentes etiam adulterij, furti, blasphemie, (qui Concupiscentia dicuntur) non pugnare cum Lege Dei, contrà Exod. 20. ver. 17. Roman. 7. ver. 7. *Concupiscentia est peccatum.* 5. Legem Dei hinc à nobis impleri totam posse, Contra. Roman. 8. ver. 3. & Galat. 2. ver. 21. *Lex in hac carne impleri non potest: alioqui frustra Christus esset mortuus.* 6. Posse Deum ex toto corde magis, & minus diligi. Id quod manifestam contradictionem implicat. Nā si quid ex toto corde amatur, quid illi amori addi potest?

Quod denique vocem *Totum* in hoc præcepto partem significare contendit Bellarminus, bis cæcus est. Primùm quia pugnat hæc interpretatio cū vera significatione vocis *Totus*. Deinde quia Deus vult se coli omnibus iis partibus, quas in homine creavit. Non autem partem tantum cordis Deus creavit: sed totum Cor, & totum corpus, & totam Animam hominis.

Impleri autem posse & sub Vetere, & sub Novo Testamento hoc præceptum, *Dilige Deum ex toto corde tuo, &c.* idque Deum promississe, Deut. 10. ver. 12. 30. ver. 6. Hierem. 24. ver. 7. est falsissimum. Ostendit enim solum Deus à se dari, & esse hanc diligendi Dei voluntatem, nō à nobis: deinde maiora fore Spiritus Dei in homines dona spiritualia sub Evangelio, quàm sub Lege.

Denique nihil à Deo nobis *ad Verbum* præceptum esse, verum est, si quales primùm à Deo conditi sumus, spectemur: non quales iam post peccatum

effecti sumus. Nostra enim culpa iam soluendo esse desimus. Sic intelligenda sunt dicta Patrum, quæ citat iste.

P. Martyris argumentum secundum est ex Matth. 7. ver. 14. Via salutis est angusta: ergo difficile implere Legis præcepta: quod esse tamen facile Sententiarij volunt, ut suæ Supererogationis opera fundent, ac tueantur: quæ ideo nulla sunt, quia falsum fundamentum præsupponunt. Respondet Bellarminus, facile esse implere Legem ei, qui habet charitatem. Respondeo, Imò etiam ei ipsi, etiam impossibile. Nam ait Christus, Matth. 19. ver. 26. impossibile est secundum homines quenuquam seruari, & Roman. 7. ver. 19. Paulus ostendit etiam homines renatos facere malum: ergo Dei Legem non implent, Psal. 143. ver. 2.

III. Martyris argumentum est. Nostra coram Deo opera sunt imperfecta omnia, Psal. 143. vers. 2. Job. 9. ver. 2. 15. 21. If. 64. vers. 6. Nam hinc viventes in multis labimur omnes, Iac. 3. & seruius Legi peccati, quantumuis etiam renati, Rom. 7. ver. 22. & 23. Ergo nulla est Supererogatio. Respondet Bellarminus, falsum esse Antecedens, Nos non posse implere Legem Dei: neque verum esse, Deum nobis impossibilia præcepisse. Alioquin esset quouis tyranno crudelior. Respondeo Bellarmino, Imò non spectat Deus, quum præcepit Legem, quid præstare possimus iam, quia nostra culpa non soluendo facti sumus: sed quia ipsi debeamus. Difficultas autem solutionis non liberat debitorem. Ergo falsum est Bellarmini consequens, & verum est nostrum Antecedens.

Nec

Nec iniquus est aut crudelis creditor, qui à suo debitore debitum exigit suum. Nam solutiones locorum à nobis citatorum, quas affert iste, sunt prorsus *ἀποροδίου*, ineptæ, & cum verbis ipsis pugnantes. Id quod pij lectores omnes facile deprehendent.

III. Martyris argumentum ex Luc. 17. versi. 10. *Quam feceritis omnia qua precepta sunt vobis, dicitur servi inutiles sumus.* Ergo nulla possunt esse supererogationis opera. Imo etiam Durandus ex his verbis lib. 4. Sentent. Dist. xv. quæst. 1. N. 7. & Scotus quæst. 1. §. *De secundo* tollunt Meritum de Cōdigno. Respondet Bellarminus non de omnibus præceptis impletis hoc à Christo dici: sed solum de iis, quæ tunc dedit. Respondeo falsum hoc esse. Nam Christi verba sunt generalia. Ait enim *πάντα* & omnia: & totam disputationem ab hypothese ad thesin reuocat Christus: atque illic ostendit Nos sola fide, non autem vllis operibus nostris Deo gratos esse.

V. Argumentum, Iubet Christus, qui est verax, vt singuli pij dicant quotidie *Dimitte nobis peccata nostra.* Matt. 6. ver. 12. ergo peccata sunt in singulis piis. Respondet iste Propter peccata Venialia hoc dici. Respondeo isti, Nulla esse huiusmodi peccata Venialia, Roman. cap. 6. versi. 23. sed omnia esse mortalia.

VI. Matth. 19. v. 26. *Impossibile est secundum homines seruari: ergo nulla homines Supererogationis opera præstare possunt.* Respondet Bel. Opera supererogationis facere possibile est apud Deum, vt & seruari. Respondeo Bellar. Si quod minus est

præstare non possumus etiam Deo agente in nobis: multo minus illud possumus, quod ex istorum sententia est maius (qualia sunt supererogationis opera) etiam Dei spiritu nos regente.

VII. In omnibus hominibus inest aliqua negligentia, ergo sunt homines omnes maledicti Hier. 48. versi. 10. Respondet iste, Negligentia tantum grauis & lata coram Deo damnatur, non quæuis. Respondeo isti, Imo ne iota quidē vnum legis Dei est omittendum, teste Christo, Mat. 5. v. 18. Il. 34. v. 16. ac proinde nulla sunt Supererogationis opera.

VIII. Argumentum, Non potest esse maior charitas, quàm quæ nobis omnibus præcipitur, Nempe vt animam pro fratribus ponamus. Joh. 13. v. 4. 15. ver. 13. 1. Iohan 3. v. 16. Ergo nulla sunt supererogationis opera. Respondet iste. Quando id facimus, quum non est necessarium, est opus Supererogationis. Respondeo, Quum animas proiecimus pro fratribus, neq; est necessariū, est opus impiū, & meræ temeritatis: non autē Christianæ charitatis, quæ nihil agit perperā 1. Cor. 13. v. 4. & temere.

IX. Vetat Deus quicquam addi suis præceptis Deuter. 4. v. 4. ergo malè Supererogationis opera adduntur. Respondet Bellarminus, Nihil addendum præceptis quod ea corrumpat. Respondeo, At confilia corrumpunt præcepta. Nam maiore perfectionē pollicētur, quàm sit in præceptis: Ergo ea imminuūt, ac corrūpunt ne sanctissima iudicētur.

X. Tam sumus Deo obligati, vt quātum illi debemus, præstare non possimus, ps. 16. ergo nulla sunt esse nostræ Supererogationis opera. Respondet Bell. etsi non possumus reddere Deo quantum

illi debemus, si spectentur ipsius in nos beneficia: tamen possumus præstare plura, quàm quæ à nobis exigit Deus in lege sua. Respondeo, Hoc falsum est. Exigit enim lex, ut Deum toto corde diligamus: proximum, sicut nos ipsos. Id quod nemo mortalis & merus homo præstiterit, præstitit-ve Pf. 143. vers. 2. Pf. 19. vers. 13.

XI. Argumētum, præcipit Paulus Philipp. 4. v. 8. ut quæcunque iusta sunt, sancta, honesta faciamus: ergo nulla sunt nostræ supererogationis opera, & præter ea, quæ Deo debemus præstare. Respondet Bellar. ineptissimè. Dicit enim hæc Pauli verba, *Hæc facite*, esse negatiua, quæ manifestè sunt affirmantia. Itaque hoc loco caligat Bellarminus, imo cæcus est.

XII. Lex requirit à nobis, ut totis viribus Deo seruiamus: ergo nulla sunt supererogatoria opera, quia si ea facere possumus, illa ipsa Deo debemus. Respondet impudentissimè Bellarminus, mentiri enim, suo more, manult, quàm nihil contra veritatem obiicere. Ergo nulla fronte negat totas vires nostras requiri in lege Dei: sed solum, ut quod præceptum est, impleamus. Respondeo, At illud ipsum, quod nobis præcipitur, ex legis mente impleri non potest, nisi ex totis viribus nostris impleatur, teste Christo Marc. 12. vers. 30. Ergo nihil Deo supererogamus.

XIII. Superbum est, id sentire, & iactare te plus, quàm illi debeas, Deo præstare posse. Negat Bellarmi. id esse superbum & arrogans, idque ut confirmet, profert rhetoricationes nonnullorum Patrum, qui hyperbolicis & immanibus locutio-

nibus Virginitatem laudarunt. Respondeo. Non est nobis Christianis, Bellarmine, curandum, quid nonnulli Patres ex priuata quadam animi sui deuotione: non ex vera & in Dei verbo fundata pietate dixerint, aut scripserint: sed quid S. Scriptura doceat: quæ negat illud ipsum, quod isti Patres affirmant, vt est Rom. 11. vers. 35. *Quis prior dedit Domino?* Imo in vniuersum quis vnquam illi aliquid dedit? Iob. 41. vers. 2. Ps. 16. v. 2. Denique tibi sunt distinguendæ, mi homo, rhetoricationes Patrum à serijs eorum sententijs, quas hic vel per imperitiam, vel per malitiam periculosissimè coniungis.

XIII. Martyris argumentum est, Impium est non plus amare Deum, quàm ames, si possis: ergo nulla sunt nostra erga Deum supererogationis opera. Respondet Bellarminus ex distinctione falsa, quoniam illius altera pars esse non potest, qualem constituit iste, nec omnino quidem. Ait igitur, Si ex contemptu, aut negligentia Deus non plus diligitur, quum possis, est peccatum. Sin autem id à te, & sine contemptu, & negligentia fiat, non est peccatum. Respondeo, ista solutio, & distinctio nihil valet, nec potest altera illius pars vnquam vera esse, ac locum habere. Nam sine contemptu & negligentia tua fieri non potest, vt quum id facere debeas, & possis, Deum plus non diligas, quàm diligis. Quamobrem tota ista distinctio est inane Bellarmini effugium, & latebra vana, & inutilis, quum id ponat verum esse, quod nunquam esse, vel fingi animo potest. Cumulat verò errorem errori, dum ait, Legem Dei posse sic à nobis impleri,

pleri, ut tamen plura prestemus. Quomodo enim, quum, ex legis illius mente, sit Deus à nobis toto corde, tota Anima, totis viribus diligendus, vel hoc implere possimus: aut etiam plura efficere? Sunt igitur meræ non modo iuge, sed & blasphemiar, ista supererogationis opera: ac proinde falsum totum Monachatus Bellarminici fundamentum nunc apparet.

Ad Cap. XIII.

Iam verò novum disputationum de hoc eodem Monachatus argumēto pelagus ingreditur Bellarminus, quasi aures nostras obtundendo vi impetraturus sit à nobis, aut importunitate extorturus, quod obtinere ratione non potest. Sed fallitur. Nam & in sequenti disputatione plura penè peccat, quàm in superiore: & quantumvis sui Monachatus fundamentum quærat, nullum inueniet. Suprà collocavit nostræ supererogationis opera pro legitima Monachatus sui ac firma basi: iam mutatâ sententiâ, & ex eo Monachatus præsidio à nostris depulsus, aliud quærit, & statuit, nèpe Votâ, ubi se firmiter consistere putat posse. Frustra. Nam ex Dei verbo inde quoque depelletur: ac proinde totus iste tandem Monachatus corruet & evertetur.

Porro longissima, & à gemino ovo repetita est hæc de voto disputatio, quam tot homines, tot libri, tot scriptores & veteres, & recētes luculēter tractarūt, ut his Bellarmini scriptis omnino non fuerit opus. Nā veteres tantū sui Sēcētarij, Thomæ

Aquinatis in secunda secundæ quæst. 88. nœnias recitat, & recinit. Tota verò hæc disputatio vno hoc solo capite definiri potuit, eoque breuissimo (gaudent enim breuitate moderni) vtrum perpetua continentia ac paupertas voueri Deo possit, ac debeat.

Quod autem de voto Theologus iste dicturus à Grammatica voti significatione orditur, onerandi lectores gratiâ id facit, & ingenij ostentandi, vt omnes intelligerent Bellarminici ingenij magnū esse acumen, atque eum in senili ætate (licet Monachum) tamen iam habere quædam linguæ tum Græcæ, tum Hebraicæ initia. Quanquam nec vnde vox Hebræa *Neder* deducta sit explicat: nec vnde vox Græca *ἐὐχὴ*. Melius Thomas in opere citato, quæst. 88. Artic. 1. votum à voluntate dictū docet, non à precibus. Non enim votum à precibus, vt hic putat, dictum est, aut deriuatur: sed à seria, conceptaque animo rei alicuius agendæ voluntate, Lombard. lib. 4. Dist. 38.

In definitione verò, eaque noua voti eudenda, bis peccat. Primum quoniam à receptis, *κρίσις*, & communibus suæ scholæ sententiis iste recedit, Lombardo, Thoma, Durādo, Scoto, Viginerio & aliis. Deinde quia falsam eudit definitionem: idque variis modis. Primum in genere definitionis suæ sumēdo. Nec enim votum est promissio, qualem iste vult: sed pollicitatio. Promissio huic est vltro, citroque inter Deum & nos contracta obligatio. Itaque Bellarminus appellat votum contractam inter Deum & homines, col. 1203. L. B. 8. *Potest*. Cont. à, est mera pollicitatio. Nec enim
Deus

Deus quicquam nobis in votis pollicetur: sed nos solum illi, præsertim quum iste velit votum fieri de consilio duntaxat à Deo dato: nec suo isti consilio Deus promissionem ullam alligauerit, vti eã præceptis suis adiunxit Exod. 20. vers. 5. 6. 12. Eph. 6. vers. 2.

Deinde peccat Bellarminus in differentia definitionis voti assignanda. Nec enim est promissio boni excellentioris votum, quale iste explicat, id est, solius (vt cap. 19. explicat) consilij: sed etiam, & in genere de iis omnibus, quæ sunt Dei, id est, siue de præcepto, siue de rebus mediis, siue de consilio, Thomas in secunda secundæ quæst. 88. Arti. 1. Lombardus lib. 4. Dist. 38. ca. 1. Ergo tota hæc definitio voti est vitiosissima. Quid quod can. *In malis* xxiii. quæst. iiii. Isidorus scribit etiam mala voueri posse, vt à Iephte, Iudic. cap. xiii.

Tertio peccat, quòd votum Deo sine verbis, & sola animi conceptione fieri posse negat. Refutatur autem Bellarm. ex Dei verbo 1. Samuel ca. primo ver. 13. & 28. vbi votum Annæ solo animo Deo conceptum fuisse traditur. Deinde apud Deum cordis nostri scrutatorem perinde est siue quis lingua etiam, siue solo corde aliquid nuncupauerit.

Denique quod negat iste de rebus mediis, & indifferentibus vota pia Deo concipi posse, cum tota sua schola toto cælo fallitur, & errat. Refellitur enim à Paulo, qui votum conceperat de alenda coma ad tempus, quam Cenchreis postea totòdit Act. 18. vers. 18. & de abstinendo in perpetuum à carnibus, si proximi ædificatio poposcisset 1. Corinth. 8. vers. 13. Idem & nobiscum sentit August.

Serm. 2. de Tempore. Que res ex *ἀδυστάτοις* numero sunt, & iste se refutat cap. 18. col. 1210. & 1211.

Postremo confutat hanc suam definitionem Bellarminus ipse. Nā & Sanctis quoque vota nuncupari posse scribit, quin tamen votum definit esse promissionem Deo factam. Ergo aut Sancti sunt Dij, aut est falsa definitio ista, quæ non convertitur cum suo definito. Sed & Prælati quoque scribit Thomas in secunda secundæ quæst. 88. Art. 5. Ad Cap. x v. & x v i.

QUod ex Lutheri & Caluini libris affert Bellarminus, cum iugulat, nos inuat. Ostendit enim summam esse inter nostros in doctrina concordiam, quos tamen iste dissidentes fingit.

Caput x v i. Cōtinet manifestissimum errorem Bellarmini, imo potius summam blasphemiam, dū ira & odio in veram Caluini & Lutheri doctrinam præceptus & abreptus scribit, *Quoduis hominum votū esse Dei cultum.* Hoc dogma est falsum, erroneum, hæreticum, & piarum aurium, ut ipsi loquuntur offensuum. Primum, quia Dei cultus non est quicquid homines fingunt, volunt, aut offerunt: sed id solum, quod Deus sibi fieri, & offerri disertè iussit Deut. 12. v. 8. Il. 29. v. 13. Math. 15. v. 9. Coloss. 2. v. 23.

Deinde, quia Deus ipse quædam sibi voueri, & offerri disertè vetuit, velut eas, quæ sunt claudæ cæcæ, & mutilæ pecudes Leuit. 22. vers. 22. 23. Pretium meretricis, aut canis Deuter. 23. vers. 18. Ergo si hæc Deo vouentur, quantacunque bona intentione, Deus non colitur.

Tertiò Ipsimet scholastici, & cum iis Canonistæ agnoscunt esse quædam vota mala, quæ etsi de facto

facto vouentur, de iure tamen non valent, velut votum Iephthe ex Hieronymi sententia. *Nam in vouendo fuit stultus Iephthe: in reddendo impius*, Thomas in secunda secundæ quæst. 88. Artic. 2. ad secundum can. *In malis* xxiii. quæst. ii. Ergo si concipiuntur eiusmodi vota, per ea, quia sunt impia, Deus non colitur: neque illa sunt Dei cultus.

Nec obstat, quod excipiet iste, se de legitimis & concessis rebus, & votis loqui, non de illegitimis. Respondeo enim, ea vota tunc Dei cultum esse, non quia vota sunt (id quod vult Bellarminus), sed quia sunt res à Deo sibi offerri præceptæ, velut votum Nazareatus olim. *Leuit. 27. & Numer. 6. Deuter. 12.*

Verum Bellarmini argumenta perpendamus, quibus suam errorem tueri conatur. Primum est ex *Isaiæ cap. xv. vers. 21.* vota vouebunt Aegyptijs, ergo quæuis vota sunt Dei cultus. Respondeo ex *Deuter. 12. vers. 6. & 8.* Ait Dominus, non vouebis quicquid tibi in mentem venerit, sed quod Dominus iusserit duntaxat, exemplum *Deuter. 23. vers. 8.*

Secundum, omne votum est promissio Deo facta: atqui omnis promissio Deo facta est ipsius cultus. Respondeo, falsum est Bellarmini assumptum, *omnis promissio Deo facta est eius cultus*, teste *Mose Deuter. 12. vers. 8. Iob. cap. 22. vers. 22. Recipe ex ore Dei legem*, Christo *Math. 15. v. 9.* Est item fallacia à dicto secundum, quid ad dictum simpliciter.

Tertium, Omne iuramentum est cultus Dei: ergo & votum. Respondeo, Est duplex fallacia, vna à dicto secundum quid. Nec enim omnia iuramēta

sunt Dei cultus, quum quædam apertè damnet
 Christus ipse, Math. 5. vers. 34. damnet Dei Pro-
 pheta Amosus cap. 8. vers. 14. *per reatum seu vitulos
 Samarie: damnent leges, Nouella Authent. Vt ne
 luxurientur contra naturam homines: damnent cano-
 nes can. Considera, & can. Si quis per capillum crea-
 toris xxii. quæst. 1.* Altera fallacia est A non conse-
 quente. Nec enim tam disertè Deus præscripsit
 sibi vota fieri. quàm iubet per se, suumque nomen
 iurari Deuter. 10. vers. 20. 11. 45. vers. 23. Deuter. 23.
 vers. 22.

Quartum, & Quintum argumentum Bellarmi-
 ni nihil valèt. Ait enim, Deus falsis vouere etiam
 licita est peccatum: item non reddens vota licita
 Deo, peccat. Ergo quoduis votum est Dei cultus.
 Respondeo, Est fallacia A non consequente: & A
 dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Vota
 licita, sed non omnia, non reddere Deo, est pecca-
 tum. Ergo quod de licitis duntaxat dicitur. Bellar-
 minus extendit ad omnia vota. Vbiq; in hoc ca-
 pite sic peccat.

Sextum, Quæuis actio propter Deum facta, &
 suscepta, est Dei cultus: ergo & votum quoduis est
 Dei cultus. Respondeo, Hoc assumptum est bla-
 sphemum, & à Mose confutatum Deuter. 12. v. 8 à
 Christo Math. 15. vers. 9. à Paulo Coloss. 2. vers. 13.
 Ergo frustra Patres hîc nobis allegantur, & obii-
 ciuntur.

Septimum & Octauum argumentum sunt ni-
 hili. Nam falsum est ideo votum esse Deo gratû,
 quia fit de re non præcepta: & vouere Deo, non
 esse præceptum Dei. Respondeo, Votum Deo
 gratum

gratum est idcirco, quoniam ab iis (qui sic ipsius spiritu impellerentur) hoc fieri præcepit, & de illis rebus, & eo modo, quas, & quo ipse suo verbo præscripsit ac mandavit: non autem aliter, Deut. 12. vers. 6. 7. 8. 23. vers. 18. Numer. 6. Ergo probatur eatenus duntaxat à Deo votum, quatenus & de re ab eo præcepta nuncupatur: - & hanc nuncupationem, si fiat scienter & prudenter, sibi gratam fore verbo suo declaravit. Id quod nouum huius argumentum quoque confutat.

Nonum igitur argumentum est, patrum vota nonnulla sunt, fueruntque Deo grata, velut Iacobi Genes. 28. Davidis Ps. 132. Ergo quoduis votum est Dei cultus. Respondeo, Eodem Paralogismo peccat, & falli nos Bellarminus, quo supra nimirum à dicto secūdum quid, sic, quædam vota probat Deus, ergo omnia. Quis Bellarminum impostorem esse non fatebitur, & ineptum scriptorem? Nam indignus est auxilio Neptuni, qui bis ad eundem scopulum naufragium facit.

Ad nostra verò argumenta nihil Bellarminus respondet, ex Coloss. 2. vers. 23. Roman. 14. vers. 23. *Omnis cultus à Deo non præceptus, est illi ingratus.* Ait solùm agi à Paulo de rebus inanibus, & planè Iudaicis, vt lotionibus, quas Deus neque probat, neque commendat. Ergo per te, Bellarmine, & ex hac tua responsione apparet ea demum Deo grata esse, & in Dei cultu ponenda, quæ Deus ipse & probat, & nobis commendat. Hoc proba de Monachatus tui voto, & viceris, & te, sicut nunc facis, non refutaueris. Alioqui te manifestè refellis, & teipsum euertis, nisi probes Monachatum nobis à

Deo fuisse commendatum.

Ad Cap. xvii.

TOto hoc capite vir iste, scilicet bonus, Bellarminus Petrum Martyrem orthodoxum, (si quis alius) scriptorem suggillat, & calūniatur, malignè & ex *vanonbria* (quemadmodū de Herodoto scribit Plutarchus) verā Martyris sententiā interpretans. Scripsit P. Martyr aduersus Smithæum, huic Bellarmino per simile, superstitiones Pontificias, & Monachatum tuentem, ac Monachorum vota: vota sub Euangelio dīferre à votis sub lege in multis: sed imprimis, quod sub Lege veteri frequentia fuerunt: sub Euangelio, rara. Quod sub lege fuerant pars ceremoniarum sub Euangelio non sunt pars rerū à Christo præceptorum. Quod sub lege omnino, vt erant à Deo præscripta, erant seruanda, & eādē formā quam lex definiebat: sub Euangelio nullam formam disertè præscriptam vel in modo, vel in tempore, vel in victu habent. Ergo liberissima iam res est votum sub Euangelio. Hæc & vere, & commodè, & ex comparatione à P. Martyre scripta & tradita, Bellarminus peruersè interpolat, & detorquet, quasi dixerit Martyr, nulla sub Euangelio pia vota esse posse. Id quod & falsum est, & commentitium. Legatur locus communis de voto ex P. Martyris scriptis collectus, facile totum hoc Bellarmini caput refutabitur, & esse calūnia deprehendetur.

Ad Cap. xviii.

FRustra se & alios fatigat Bellarminus in argumentis, quæ P. Martyris esse fingit, dissoluentis. Est enim hæc mæra in Martyre Bellarmini calūnia,

calumnia, qui in suis commentariis in Genes. ca. 28. Judic. 13. in 2. Reg. 10. & ubique alibi docet Christianis hominibus ius esse vouere, quæ cum Dei voluntate consentiunt. Sed ut iste Bellarminus Hercules quidam fictitius & stramineus videatur, fingit monstra quædam fufuracea, contra quæ pugnet, & quæ debellet, ut Magnus quoque Pontificia, Papalisque doctrinæ patronus & inuictus appareat. Verum & suo, & nostro otio miserè sic sciens prudensque abutitur. Itaque hoc totum caput prætermitto, in quo neque nobis vlla cū scholasticis controuersia est: neque vlla pro P. Martyre defensio est suscipienda, & necessaria: utpote qui aliter, quàm hic tradit, & sensit, & scripsit. Sed tantum Monastica vota oppugnauit Petrus Martyr contra Smithæum, qui ea defendit: atque ex sententiariorū disciplina contendit gratiora esse Deo ea vitæ genera, in quibus homines Christiani se certæ cuidam vitæ regulæ ab hominibus institutæ, & præscriptæ, voto concepto, obligant: quàm si absque voto ex regulâ à Christo piis omnibus tradita (quæque communis est) vitam suam instituât. Id quod etiam sequenti capite conatur, sed frustra efficere Bellarminus.

Ad Cap. XIX.

CONTINET totum hoc Bellarmini caput dūtaxat *λογομαχίαν*, id est, de solis vocabulis cōtrouersiam, quam Theologis cane peius & angue odisse præcipit Paulus 1. Timoth. 6. vers. 4. Est enim res manis, & moderatis omnibus ingeniis odiosa, sicut apparet ex Actis cap. 18. vers. 15. Pro hac tamen *λογομαχία*, tanquam pro focis & aris hic decertat, Bellarminus, nempe, vtrum ea promissio, quæ

fit à nobis Deo, in Baptismo vel etiam extra, & post Baptisum de Sanctè, piéque viuendo, & mundo, carni, & Diabolo renuntiando, fit votum, an solùm promissio simplex minor voto, id est, minùs nos apud Deum obligans, quàm votum, præsertim Monasticum. Finis & scopus huius quæstionis est hic, vt homines præferant vota Monastica Baptismo: & sanctior, veriùsque vitæ sanctæ institutio in Monachatu esse credatur, quàm in Christi præceptis: denique vt Monastica vita facilius & compendiosius ad vitam æternam via censeatur, quàm via à Christo præcepta, licet sit ipsa Dei sapientia Christus. Ergo vera, meraque in Deum, & eius Christam Dominum nostrum blasphemia, est finis & scopus huius quæstionis & controuersia.

Eiusdem verò definitio & decisio, quam iste sequitur, & fingit, est & falsa, & itidem blasphemata. Vult enim eam nostram, quæ sit Deo etiam in publico Baptismo, promissionè, minùs nos obstringere, quàm suum, id est, Monasticum votum. Ergo eam & votum esse negat: & ea, quæ in Baptismo promittimus, Deo voueri posse etiam iterum à nobis pernegat quoque. Quæ falsa est sententia vtraque.

Primum, Quæcunque sunt pia, & sancta, & honesta, Deo voueri ac promitti à nobis possunt, imo debent, teste Paulo Philipp. 4. vers. 8. At ea quæ significantur & promittuntur in Baptismo sunt sanctissima: ergo vouenda. Augustinus in Ps. 75. idem sentit & Serm. 7. de tempore.

Secundo, Quæcunque sunt Dei, promitti Deo possunt,

possunt, & ea promissio propriè votum dicitur, ex P. Lombardi definitione lib. 4. Sentent. Dist. 38. c. 1. quam definitionem verissimam esse tradit Thomas in eum locum Artic. 1. in Responsione. Ergo falsa est Bellarmini sententia, qui hoc negat.

Tertio Thomas ipse in secunda secundæ quæst. 88. Artic. 2. (quem hic pro se allegat Bellarminus) scribit in responsione, hanc promissionem rerum ad salutem necessariarum, & in Baptismo comprehensarum factam Deo, esse propriè votum, etsi nō propriissimè, & strictissima voti significatione. Idē tradit Durandus ibid. quæst. 1. N. 6. Idem Dominicus Afortus lib. 7. quæst. 1. Artic. 3. de *Iustitia & Alphonfus à Castro* lib. 1. cap. 10. de lege Pœnali.

Quartò, Magis obligat nos quæ maiore auctoritate iubente fit à nobis promissio, velut Rege iubente: quàm quæ fit minore potestate (velut iudice tantum pedaneo) præcipiente, quia violata ea promissione maior auctoritas offenditur. At quæ in Baptismo promittuntur, ea, Christo iubente, promittuntur: quæ verò in Monasticis votis vouentur, solis hominibus auctoribus, promittuntur Deo. Ergo vota Monastica minus obligant, quàm promissio in Baptismo, Christo autore, facta.

Sed contrarias Bellarmini rationes audiamus. Primum illius & secundum argumentum eodem spectant. Promissio in Baptismo necessaria est, ait, non spontanea: ergo non est votum, quod est spontanea testificatio. Fit præterea in Baptismo promissio à pueris, qui nullum adhuc velle habent. Responsio, Quæ fit ab adultis in Baptismo promissio, ea proculdubio spontanea est, & testificatio quæ

fit Deo, & de his, quæ sunt Dei: ergo est votum ex lib. 4. Sentent. Dist. 38. & Thoma Artic. 1. Quæ sit pro infantibus à patribus & susceptoribus, dum baptizantur, tum demum rata est, quum illi pueri ad annos discretionis pervenerint: quo tempore iam illi spontaneæ suæ voluntatis testimonium manifestum reddunt, Bernard. epist. 1. ad Robertum: & sic quoque illa promissio votû est, & Deo fit ista promissio, & de his, quæ sunt Dei. Itaq; hæc promissio posterior retrahitur ad illud, quo primum illi baptizati fuerunt, tempus: & sic est spontanea promissio.

Tertium & quartum Bellarmini argumentum sunt larvæ. Non est, ait, hæc promissio implicitè votum, nec explicitè: alioqui peccata hominum omnium Baptizatorum essent duplicia, nempe rati-
 ne Baptismi, & voti. Respondeo, Et implicitè, & explicitè promissio facta Deo, in Baptismo est votum ex definitione Petri Lombardi, quam probat Thomas. Est explicitè. Nam manifestè baptizati in annis discretionis testificantur spontaneè Deo, se renuntiare Diabolo, mûdo, carni: qui infantes baptizantur, postea id declarât. Quæ declaratio seu ratihabitio ad prius tempus retrahitur, quo primû illi baptizati sunt, vti dixi, est votum implicitè eadem promissio. Nam Christiana religio est annexum votum renuntiandi Diabolo, & omnibus operibus eius, iuxta illud Jac. 4. v. 7. *Resistite Diabolo.* Ergo fallitur Bellarminus, qui id negat. Neque nouo voto Christianis opus est, vt se de iis obligent Deo, quæ in suo Baptismo promiserunt, nisi ad recordationem & firmiorem perse-

perseuerantiam sibi imponendam. Obiectiones autem, quas iste contra suam sententiam affert, neque soluit, vt omnes vident: neque sunt precipuas, quibus vrgetur. Verum precipuas pretermisit, has leues, victoriæ causa, commemorauit. Precipuas autem initio huius capituli protulimus, quibus nõ respondet Bellarminus, neque etiam veriè potest.

Ad Cap. x x.

Paupertatem perpetuam à pio, Christianoque viro voueri Deo piè posse contendit toto hoc capite Bellarminus. Eius rationes perpendamus. In quibus omnibus illud in genere obseruandum est, nullum S. Scripturæ locum pro sua sententia manifestum proferre Bellarminum: sed vel dubiũ dũtaxat, ipsomet interprete: vel allegoricum: quæ duo argumentorum genera nihil probant. Ergo precipuum huius voti de bonis suis abiiciendis & perpetua Paupertate suscipienda fundamentum, nempe Dei verbum, deficit, quemadmodum apparet.

Primum autem argumentum est ex Math. 5. vers. 3. Dicit Christus. *Beati pauperes spiritu*: Ergo perpetua paupertas est Deo vouenda, & bona sua à piis viris sunt Monasterio, aut suis cognatis, etiam sæpe locupletissimis, relinquenda. Respondeo. Ex ipso primum Bellarmino, incertum & dubiũ esse hoc fundamẽtũ, quum sit huius loci, teste ipsomet isto, quintuplex interpretatio. Ergo est petitio principij. Sumit. n. suã solã interpretatiõẽ pro vera, cõtra Chrysostomi, Augustini, Bernardi sententiã, quã ipsomet citat. Deinde voces *πρωξέ*, &

πνεύματι pugnans cum hac Bellarmini, seu Nicolai de Lyra (vnde totam transcripsit) explicatione. Nam πτωχός mendicum egentissimum significat, qualis fuit Lazarus ille, de quo est Luc. 16. vers. 20. qui etiam πτωχός ibidem appellatur, fuitque postea in Sinu Abrahamæ, seu in regno cælorum vers. 13. Vox πνεύμα non magis votum hoc loco, aut in tota S. Scriptura declarat, quam *rhedam*, aut *lecticam*: sed animi affectum Deo, Deique voluntati summum. Ergo qui miseriam & inopiam summam à Deo sibi impositam, non autem voto & gratis susceptam, patienter ferunt, illi dicuntur à Christo Beati, & in futuro seculo ditandi. Nec alia mens est Luc. 6. vers. 20. vbi hoc Christi dictum explicat, de voto autem ne litteram quidem pictam habet. Tertio pugnat hæc expositio cum Christi mente, qui quam summam felicitatem putat mundus esse in hac vita (nempe αὐταρχεῖαν, & rerum omnium terrenarum affluentiam) refutat, & vanam felicitatem esse docet. Id quod interpretatus est Paulus 1. Timoth. 6. vers. 17. Allusit enim Christus ad has libri Proverborum sententias cap. 9. vers. 1. & 8. v. 6. & 11. vbi paupertas cum patientia & mentis integritate præfertur diuitiis & opibus. Quare ex hoc Matthæi loco pro voto Paupertatis argumentantis est duplex fallacia, vna A falsa illius loci expositione: altera A petitione dubij pro vero, id est, Principij.

Secundum Bellarmini argumentum est ex Math. 19. vers. 21. *Vende omnia que habes, & da pauperibus*, ait Christus: ergo perpetua & Monastica paupertas Deo voueri debet. Hoc nihil valet. Nam & supra

præ à nobis confutatum est, & ne 7^o quidem de Voto agit Christus. Deinde qui hæc sua bona ex Voto Monastico abiiciunt, non dant ea pauperibus, sed Monasteriis, aut Agnatis ditissimis. Ergo non sequuntur mentem Christi, qui istam paupertatem vouent.

Tertium argumentum ex Act. cap. 4. & Quartum ex c. 5. sunt nihili, & fallaciæ A petitione Principij. Sumit enim hæc, quæ illic commemorantur, ex voto præcedente facta fuisse. Id quod & falsum est, & ex ipsis textus verbis plane refutatur. Quamobrem recte locum eum interpretatur P. Martyr, non de Voto præcedente istam venditionem, sed de mendacio, & sacrilegio postquam Deo pretium istud se totum afferre ecclesiæ testatus esset hypocrita iste, sicut est in textu ipso cap. 5. versi. 3. *cur impleuit Satanas cor tuum, ut mentireris in Spiritum Sanctum, & interuerteres ex pretio istius prædij?* Quærat igitur alia suæ sententiæ fundamenta, & erroris præsidia, quam istos Scripturæ locos, Bellarminus.

Nam quod ad Patrum testimonia hæc citata nihil vrgent, aut probant. Primum quod nihil de Voto vendendi agri præmiserat Ananias, imo nullum Votum præcesserat. Ait enim Petrus (qui Deo Vota persoluenda esse optime norat ex Leuit. 22. Deuter. 12.) Ananias, *Nonne, si seruasses, manebat tibi: & venditum erat in tua potestate?* Ergo non antea vouerat Deo illud prædium Ananias. Deinde vox *Vouendi* in testimoniis Patrum citatis sumitur tropicè & figuratè, pro destinasse apud populum illic collectum, si

Ananiae verba spectarentur, hoc totū pretiū Dei pauperibus alendis: non autem significat, Deo reipsa, & ex animo vouisse Ananiam. Denique nihil habent commune Vota Monastica de Paupertate cū illis exēplis primitiuae Ecclesiae, in quibus qui bona sua vendebant, pios & fideles ex eorum pretio alebant. At Monachi paupertatem suscipiētes, (si qui prius erāt diuites: Nam contra multos prius pauperrimi fuit per Monachātū ditissimi, & rebus omnibus abundantes) Monachi, inquam, isti non pauperibus, sed ditibus Monasteriis sua erogant, contra Veteris Ecclesiae exempla.

Quintum argumentum sumptum ex traditione Patrum nihil valet. Dei enim cultus, & Vota Deo grata, ac legitima non ex hominum placitis & doctrina: sed ex solo Dei verbo scripto aestimari debent, quemadmodum supra luculentissime demonstratum est: nec ea repetam, ne actum agam.

Iohannis autem Brentij Sorites, aut trilemma verum est. Nam si qui vouet, pauper est, nihil vouet, dum paupertatem vouet. Sin est diues, & ideo vouet, vt in cōmune cōferens sua, tutius viuat, & securius, nō vouet paupertatē, sed cōparat sibi maiore abūdantiā & copiā victus. Sin vouet, vt Vitā aeternā mereatur est in Christū ipsū blasphemus. Quid Bellar. ad hęc? Respondet merita Christi & nostra rectē inter se concordare, falsum hoc. Nam si mereimur, frustra Christus est mortuus, teste Paulo, Galat. 2. v. 21. nec Dei gratia seruamur, cui repugnant nostra merita & opera Rom. 11. v. 6. Item ait Bellarminus, pauper est, qui nihil habet proprium, falsum & hoc quoque. Nam idcirco bona
in com-

in cōmune cōferuntur, vt nemo sit Pauper, quē ad-
modū docet Plato in libris de Repub. qui Bonorū
cōmunionem, ad tollendam paupertatem inter
ciues induxit. Deinde pauper est cui multa & ne-
cessaria defunt: non autem qui nihil habet pro-
prium, si nihil illi defit & deest: quod tamen, sed
falso, putat Bellarminus, Horatius, *Pauper enim
non est, cui rerum suppetit usus.*

Ceterum aliis nostrorum contra Votum istud
perpetuæ Paupertatis obiectionibus, pene infini-
tis, non respondet Bellarminus, præsertim autem
contra Monasticam Mendicitatem, quæ apud Io-
hannem Vviclefuum extant Dialogorum lib. 4.
c. 29. è quibus hæ sunt pauca, *Non erit mendicus in-
ter vos*, Deuter. 45. 4. Paupertatem à se demoueri
precantur pij homines, Prouerb. 30. v. 8. *Qui non
laborat, ait Paulus. non māducet.* 2. Thes. 2. v. 10. Job.
29. optat sibi diuitias, non paupertatem. Hoc vitæ
genus contrarium est dicto Dei c. 3. Genesis, *in su-
dore vultus tui edes panem tuum*: item pugnant cum
lege nature, quæ iubet honestè fouere corpus, non
affligere, Ephes. 5. vers. 29. Denique Monachi
mendici eripiūt veris Dei pauperibus suam elee-
mosynam: nec iis ipsis vllam conferunt, quod est
crudele & inhumanum.

Ad Cap. XXI.

Obedientiæ Monasticæ Votum hoc capite cō-
firmare conatur Bellarminus, per quod ho-
mines Christiani sese sui Præpositi id est alterius
velut Domini arbitrio plane, tanquam mancipia
subiiciunt. Ergo isti *Abbatēs & Præpositi vocan-
tur Domini* ab Hieronymo in Epistola ad Rusticū,

eiufmodi fuffiffionis in rebus religiofis.

Votum Deo probari contendit ille. Verum in
in vniuerfum doceo, eam omnem per quam nos
Chriftiani ferui hominum in religiofis finis fub-
iectionem effe Dei verbo damnatã. Nam pretio
fanguinis Chrifti redempti Deo fumus, vt manea-
mus in his rebus illius vnius ferui, non hominum.
Sic Paulus 1. Corint. 7. ver. 23. Nihilominus tamen
Bellarmini rationes audiamus.

Prima eft ex Hier. 35. filij Ionadab paruerunt in
rebus indifferentibus fuo Patri. Ergo obedientiã
Monafticã votum deparentã in omnibus etiam
religiofis fuo Abbati eft Deo gratum. R. Eft fal-
lacia A dicto fecundum quid. Quod enim in re-
bus medijs (in quibus folis Rechabitã ifti parenti
fuo paruerunt) concedi pot eft, transfert Bellarmi-
nus ad quamuis obedientiam. Id quod eft vitiofif-
fimum. Deinde eft fallacia Ab Ignoracione Elẽ-
lenchi. Nam non eft par ratio rerum à Deo præ-
fcriptarum, & religiofarum, in quibus non eft vl-
la in nos extra hoc Dei præfcriptum voluntas &
potestas hominum: & rerum mediarum, in quibus
eft aliquod ius & imperium hominum: Ifta omnia
hic confundit tamen Bellarminus: dum fuum er-
rorem tuetur, & P. Martyris veram folutionem
euertere conatur. Potuerunt enim filij Ionadab in
rebus medijs pie parere fujs Maioribus, & parenti
fuo Coloff. 3. v. 20. in alijs pie non potuerunt.

Secunda ratio Bel. non eft, ipfo teste, firma. Nec
enim eam ipfe ex Nouo Testamẽto ducit, ne ine-
pta ipfius argumentatio, ficut eft, appareat: fed du-
ci poffe tantum feribit. Ait igitur, iubet Chriftus,
vt nos

ut nos ipsos abnegemus, & seramus crucem nostram Mat. 16. v. 24. At perfecta sui abnegatio est in obedientia istius Monastica (per quam Monachus sese penitus alterius arbitratui subiicit) voto: Ergo hoc votum Deo placet. Respondeo. Falsam esse assumptionem. Nam qui se sic alteri subiicit, est prorsus illius hominis, non autem amplius Dei, seruus, 2. Pet. 2. v. 19. Roman. 6. v. 16. At nostri abnegatio non debet nos adimere, & eripere Deo, ut hominum mancipia simus. Ergo hac obedientia nequaquam est illa nostri abnegatio, quam desiderat à nobis Christus, neque propterea Deo probatur, aut placet. Præterea hæc obedientia iam esset Dei præceptum, non uti volunt, Cõsiliium, sic sibi repugnant.

Tertia ratio, in quouis hominum cœtu vnus aliquis præesse debet: ergo obedientia præfecto illi ex Voto promittenda quoque est: Respondeo, Præpositis iustis & legitimis est obsequendum, Hebr. 13. v. 8. non in omnibus rebus, ut iste vult, & Monachi sentiunt & faciunt, & vult Hieronymus in Epistola ad Rusticum: sed in iis duntaxat, quæ neque cum Dei verbo pugnant; neque ipsorum potestatis fines egrediuntur, Actor. 4. v. 19. At obedientia Monastica Monachum in omnibus subiicit alterius arbitrio, quæ cum sui ordinis regula non pugnant, neque quidquam Monachus in præcepto sibi facto discutere debet, teste hoc ipso 9. *Quarta* col. 120 L. D.

Quarta ratio ex Patrum iam isto Monachatus errore fascinatorum, & tantum tamen nonnullo-

rum scriptis & autoritate ducta est, qui eiusmodi obedientiam & obedientiæ Votum probant. Respondeo, Non quid Patres scripserint, sed quid scripsere debuerint, nobis spectandum est. Neque Vota Deo sunt grata, ex hominum scitis & placitis: sed ex solo Dei ipsius verbo definiendum est. At ista obedientia Monastica facit Christianos homines brutos, pecudes, saxeos, qui ne diiudicare quidem debeant, aut possint, quid illis præcipiatur à suis prælectis & Præpositis, Vtrum honestum, an turpe sit, peccatum, an Deo obedientia, vt ex Hierony. Epistola ad Rusticum, Cassiano lib. 4. Collationum cap. 33. Gregorio Homil. 20. in Ezechielem contendit Bellarminus. Ergo seipsum hic iugulat, dum eiusmodi obedientiam probat, quæ pios eripit Deo, Homini autem subiicit, & seruos addicit: Idem probatur tota causa 18. quest. 2. Monachi enim serui suorum abbatum & sunt, & dicuntur.

Quinta ratio sumitur ex Miraculis à Monachis obsequentibus æditis, quemadmodum Sulpitius lib. 1. de Sancto Martino, Cassianus lib. 4. cap. 23. Gregorius lib. 2. Dialogor. c. 7. referunt. Respondeo, Hęc miracula & inepta, & supposita planè esse, & qui ea scripserunt, ex auditu tantum habuerunt, non ex visu, teste ipsomet Sulpitio. Deinde hoc præcipere, quod Abbates isti præceperunt, erat Deum impie tētare, quod vetat fieri Christus, Mat. 4. v. 6. nempe se in furnum ardentem frustra conuicere, emortuam Virgam viuificare velle, & similia alia operari. Ergo non Dei, sed Satanae miracula fuerunt. Denique nihil miracula probant, nisi præcesse-

præcesserit Dei verbo consentiens doctrina.

Lutherus contra istam obedientiam, & illius Votum obiecit, Iubet Dei vox, vt omnibus honesta & sancta præcipientibus obediamus, Quid igitur isto Voto peculiari opus est, Philip. 2. v. 12. Nihil respondet Bellarm. negat tantum id à Paulo præcipi. Verum res ipsa per se patet, ac manifesta est.

Lutherus obiicit. Præpositus ipse Monasterij ab ista obedientia liber est, cur non & alij? Respondet iste, Imo manet etiã Præpositus illi voto obligatus ex Thoma in secūda secūde quæst. 87. Art. 11. & quæst. 186. Respondeo, sit inter eos pugna de ea re & contentio. Nec enim id ipse, qui quãuis olim fuit Papista, nunquam tamen Monachus fuit, aut esse concupiscit, id scio, aut curo.

P. Martyr illud Pauli 1. Corint. 7. v. 23. *Nolite fieri serui hominum* obiicit. Respondet Bell. id dici à Paulo de seruis. Respondeo, id falsū esse: agit enim illic Paulus de iis Christianis, qui se, vt Monachi, hominum institutis in rebus religiosis & traditionibus, & arbitratui subiiciunt, quos negat B. Paulus esse iam Dei seruos, quia serui hominum euaserunt, & effecti sunt: Quid igitur, si id fiat Voto quoque interposito, vt iste vult.

Ad Cap. XXI.

VOTŪ continentie Monasticæ, vt vocat, i. impurissimæ scortationis Monachorum, & sæpe etiã spurcissimæ inter eos Sodomie fundamētū in huius libri postrema parte cōfirmaturus Bellar. & ipse Monachus, non vno copiarum suarū genere,

aduersus nos se pugnaturum esse comminatur, & ostentat: sed omnes suas copias & suas, & auxiliares educturū profitetur. Sed nihil nos tanto exercitus numero terret, nihil nos tam numerosa acies turbat, quam & facile gladio Dei verbi in eam stricō, sicut fieri iubet Paulus Ephes. 6. vers. 17. debellabimus, Deo bene iuuante: & totam in fugam conuertemus: imo verò eā in nostra castra & partes aduersus ipsummet Bellarminū pertrahemus, non vi, sed ratione manifestissima persuasam. Id quod res ipsa postea declarabit. Triumphabit igitur in hac quoque pugna, quemadmodum in superioribus, de Satana, & de mendacio veritas seu Christus.

Cæterum illud obseruet pius lector, locos S. Scripturæ, quos pro suo errore tuendo profert homo iste, omnes à vera eorum mente esse detortos, & ex coniectura, tamen falsissima, duntaxat, nō ex ipsis eorum verbis totam probationem Bellarmini duci, in eaque fundari. Res ipsa pateat, vel ex primo S. Scripturæ loco ab hoc prolato. Est autem ex Luc. 1. vers. 34. sic dixit B. virgo Maria Angelo *virum non cognosco*: Ergo votum perpetuæ continentię virgo Maria vouerat Deo. Hanc sui argumenti ἀκολούθησιν, & consecutionem quia nullam esse, non modo infirmam, videt Bellarminus, primum circumscribit & intorquet verba ipsa B. Mariæ, quæ fuit puella & virgo simplicissima, quam tamen non planè, non candidè, non perspicuè, sed tortuose, vafre, obscure Angelo respondisse fingit Quum enim verbo vno & perspicuè dicere illa potuerit, votum virginitatis voui Deo: vult iste
B.Ma-

B. Mariam virginem candidissimam & simplicissimam ambages verborum quæsiuisse, & protulisse. Deinde ad patres nonnullos, non ad ipsa textus verba confugit Bellar. qui senserunt B. virginem votum continentia Deo emisisse, & vouisse. Deum nostris interpretationibus respondere, id est, eas verissimas euertere conatur. Hæc est summa totius huius longissimi capituli & prolissimi, sed vanissimi, ac fallissimi, cui respondeo & verè, & breuiter, ne cuiusquam abutar, vt iste facit, otio.

Ad verba B. Mariæ illa nullum omnino votum declarant & habent: aut habere possunt. Sed quum denuntiasset Angelus Mariæ fore, vt ipsa iam iam, & ipso momento conciperet, quo loquebatur cum ea, interrogat B. Virgo, quomodo id fieri possit, quum virum nondum cognouisset erat quidè Iosepho iam sponsa, sed ei nondum nupta. Ergo rectè Maria virgo vidit hoc sibi indicari ab Angelo, fore, vt quum primum, & ante suum coniugium consummatum conciperet filium, imo in ipso hoc temporis articulo, antequam cum Iosepho sponso conueniret Math. 1. vers. 18. Respondet igitur illa, *Quomodo fiet istud, non quia votum virginittatis voui, (neque enim hoc dicit) sed quia sponsum, virum meum, aut alium non cognoui adhuc.* Ergo nullum virginittatis votum continent, habent, aut pingunt hæc B. Mariæ verba contra Bellarminum.

Quod ad nonnullos istos Patres, qui Virginem votum concepisse senserunt, primum sibi aduersantur ipsi. Nam alij cōtrà, B. Virginem à Iosepho marito post æditum Christum fuisse cognitā scribunt, quia Isaias duntaxat ait, *Ecce virgo concipiet,*

& *Virgo pariet*: de reliquo autem vitæ eius tēpore nihil scribit Isaias. Deinde si hoc virginitatis perpetuæ votum Maria Deo vouisset, cur postea nupsit Iosepho? de cuius continentia futura minimè certa fuisse scribitur eadē Maria. Nam sese in magnum violandi voti sui periculum Maria prudēs, & sciens coniecisset. Hæc non coherent, & Mariæ leuitatis Patres hac sua interpretatione procul dubio accusant, quicquid postea Bellarminus somniet hoc Mariæ fuisse reuelatum. Denique teste Augustino De Sancta Virginitate, cap. 4. Mores Iudæorum votum istud perpetuæ Virginitatis nō ferebant. Itaque tolerari non potest ista de Voto perpetuæ virginitatis interpretatio: quicquid Thomas in tertia parte, Quæst. 28. Artic. 4. dicat.

Quòd ad Caluini interpretationem, illa commodissima est: sed, suo more, Calvinū calūniatur Bellarminus, quasi dicat B. Mariam malignè dubitasse de Angeli promissione. Imò ea ipsa dixit Calvinus, quæ hîc habet Bellarminus, nimirū eam tantūm quæsiuisse, non, vt Zachariam patrem Iohannis, dubitasse: & quam probat explicationem, vt iustam, istius loci Bellarminus, totam eam ex Caluini cōmentariis descripsit. Conferant pij Lectores, ni molestum est, vtriusque scripta inter se.

Quòd denique fingit Bellarminus, & præsupponit reuelatum fuisse B. virgini, fore, vt postquam coniugium consummasset, nunquam Iosephus ipsius maritus eam attingeret, hoc Bellarmini, vt alia multa, commentū est, & somniū, Rabinorum Thalmudistarū more, qui quæ sese ex pedicis, & obiectionibus sibi propositis non possunt expedi-
 re,

re, malūt somnia sua affirmare, quàm veritati Dei assentiri, aut muti videri. Atqui Bellarmine, in Theologicis nihil præsupponédum est, aut fingédum: sed ipsis S. Scripturæ verbis prorsus inhæredū, & acquiescendū. Proba igitur nobis ex Dei verbo tuū illud de ista reuelatione perpetuæ Iosephi cōtinentiæ futuræ somnium, & viceris. D. Calvinus Patrū sententiā, quòd neque post partū deserit esse virgo B. Maria, amplexus, vti & D. Beza, docent coniectura, eaque probabili, hanc Patrū sententiā niti, etiā ex ipsius Mariæ verbis. Itaque illa sic explicant, vt non tantum de tēpore præsentis, quemadmodū sonant, accipiant: sed etiā de futuro, quasi dicat Maria, *Neque nunc virū cognoui, neque postea cognoscam, aut cognitura sum.* Hæc Caluini, & Beza concors sententia Bellarminū offendit. Itaque indignatur, & stomachatur, quòd citra votū à B. Maria id factū esse scripserūt doctissimi illi interpretes Calvinus, & Beza. Vult ille vt ex voto sic Mariā respondisse, disertè dicatur. R. Imperiosus homo est Bellarm. qui omnes in sua verba iurare velit, & iubeat, nihilque cuiquā aliud, quàm quod ipse velit, sentire concedat. Probet iste Calvinū, & Bezā aliquid ab analogia fidei alienum scripsisse, si potest, priusquam eos reprehendat.

P. Martyrē flagellat iste quoque, quia nos omnes suis erroribus subscribere iubet. Fallitur. Rectè sensit, & scripsit Martyr, dum & votum perpetuæ virginitatis cum matrimoni, que secuta est, cōsummatione pugnare ait, & ex aliis similibus S. Scripturæ locutionibus Votum illud confutat. Nec enim de vlllo suo Voto facto, vel faciendos

loquitur Maria: sed quam ratione tam veloci & maturata conceptio in se fieri possit, quarit ex Angelo, quum modum illius duntaxat ordinariū & humanum fore cogitaret, teste quoque Bellarmino, col. 1226.L.B. Itaque respondet Angelus *Spiritus sanctus superueniet in te, & inuibrabit te* modum istius conceptionis planè diuinum, & extraordinarium fore indicans, & affirmans. Deniq; fallitur quoque Bellarminus, qui conceptum iam iam futurum, aut potius præsentem ab Angelo promitti Mariæ negat. Imò iam iam instās, & præsens ab Angelo promittebatur: atque Angeli verba sic ipsa quoque Maria, & rectè & ex illius mēte intellexit. Et hæc de hoc capite dicta sunt.

Ad Cap. x x i i i.

SECUNDUS S. Scripturæ locus, quem pro se, suōq; errore de Voto perpetuæ Continentiæ citat Bellarminus, est Matthæi cap. 19. ver. 12. Sunt quidam qui se propter Dei Regnum castrarunt: ergo Deo gratum est perpetuæ virginitatis Votū. Respondeo, fallacia est A non Consequente. Nam neque Christus loquitur de iis, qui ex Voto id fecerunt, quod conceperint: aut qui perpetuò se continentēs fore cogitant: sed qui continent & sine Voto, & quandiu illis cōtinere licebit ex Dei dono, quod non est semper perpetuum. Præstat enim ducere vxorem, quam vri 1. Cor. 7. ver. 9. Quod ad Patrum testimonia, respondeo ex quattuor ab hoc citatis, duo solū illi fauere, nempe Epiphani) & Hieronymi, reliqua duo nobis fauent, nostræq; interpretationi, quum nullum ex his Christi verbis Votum colligunt. Deinde nō quid Patres scri-

psierint, spectandum est: sed quid ex Dei verbo confirmauerint.

Petrus autem Martyr optime docet ex eo Matthæi loco nullum perpetuæ virginitatis Votû coligi posse, vel debere, quoniam huic interpretationi & verba, & mens Christi repugnant. Verba, que ne picturam quidem vel obscurissimam istius Voti continēt, sed liberam eorum, qui se pro Dei regno castrant, voluntatem esse docent, quandiu id tacere velint: multo que minùs de se propterea otiosè intra monasterij claustra concludendis eadē Christi verba agunt, vt vult iste. Mens Christi repugnat, qui duntaxat omnia Dei gloriæ postponenda docet, etiam coniugium ipsum, quum est opus Luc. 14. v. 26. de quo illic agit Christus, cuius vel omissionē, vel dilationē, vel postpositionē propter Dei gloriā vocat Christus castrationē sui: & qui tales sunt, metaphoricè Eunuchos. Alioqui in phrenesin Origenis inciderent homines, qui sese propterea adu castrasse scribitur. Euseb. lib. 6. historiz, cap. 8. Nam & Bellar. fatetur col. 1228. L. C. Apostolos nō interrogasse de Voto, Christus autem ad interrogata respondit: & quam perfectionē illic à Christo tradi scribit iste, ea omnium Christianorum officium est, & Christi præceptum, qui capere possunt. Nempe vt sese sic pro Dei Regno castrant: non autem est dūtaxat Consilium, vt hic sentit. Addit enim Christus, Matth. 19. ver. 12. per verbum Imperādi. *Qui potest capere, capiat.* Cur igitur generale illud Christi præceptū mutatur in Cōsilium, & ad paucos pios, & ad Votum restringitur? Quòd ad Parabolam de Villico ex Luc. 16.

verf. 8. rectè eam explicat idem vir doctiffimus P. Martyr, & ex mente Hieronymi, qui docet ex Parabolis nihil, præter præcipuum illarum scopum, efficiendum, & colligendum esse; alioquin ex ea parabola essent laudandi serui fures, contra quam docet Paulus, Tit. 2. v. 10. & qui res Dominorum suorum interuertunt. Itaque Augustinus lib. 2. ca. 34. Euangelicarum Quæstion. negat omnia in ea parabola esse imitanda, & Hieronymus in Epistola ad Algafiam, quæst. 6. totum huc locum propterea allegoricè interpretatur. Denique Bellarminus ipse huc seruum furem agnoscit *Seruum iniquum à Christo vocari*, col. 1227. L. A. Quid igitur contra & Christum, & Patres, & seipsum obganit Bellarminus, vt verà P. Martyris sententiã euertat? Augustini autem autoritati ex lib. de Virginitate, ca. 23. oppono Pauli, & quidem melioris Christi sententiæ interpretis verba, 1. Corint. 7. verf. 26. *Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem: vbi de ista à coniugio abstinence agitur, vt apud Matthæum, cap. 19. ver. 12. Ergo nihil habet Bellarminus in toto illo Matthæi loco, vnde suum errorem confirmet, quæ tamen præcipua est rupes, & fundamētum totius istius de perpetua Virginitate voti Monastici.*

Ad Cap. xxiiii.

Tertius, quem pro suo errore tuendo citat, S. Scripturæ locus est ex 1. Timoth. cap. 5. ver. 12. vbi Viduæ Iuniores ad Ministerium Ecclesiasticū procuradorum pauperum Christi causa ascitæ, & receptæ, si nubant, & illud Ministerium à se promissum, & operam deserant, à Paulo damnantur: ergo votū de perpetua Cōtinentia, & olim in Eo-

defia fuit, & à Paulo probatur. R. Húc Syllogismú
 prorsus esse *ἀπορρίκτων*, & ineptú, & elumbē. Est
 enim fallacia Ab æquiuocatione, & falsa vocatione,
priorem fidem irritam fecerunt, interpretatione. Nec
 enim illa de Voto, aut promissione de non nubē-
 do loquuntur, vt iste hoc loco scribit: sed de pro-
 missione operam suam, & Ministerium pauperi-
 bus præbendi, iisque succurrendi, ab istis iuniori-
 bus fœminis exhibita, intelliguntur. Ergo priorē
 fidem de Ministerio suo, & opera Christi paupe-
 ribus præstanda deserunt istæ iuniores viduæ, dū
 nubunt. Maritis enim suis adhærere coguntur, &
 Christi pauperum curam, & Ministerium à se pro-
 missum deserere compelluntur. Adhærere enim
 debet vxor suo Marito, rebus omnibus relictis,
 Genes. 2. ver. 24. Matth. 19. ver. 5. 1. Corinth. 7. ver.
 3. & 34. Nemo autē duobus Dominis seruire po-
 test. Matth. 6. ver. 24. Quare de voto non nubendi
 concepto, & Deo nuncupato ne *κατ' ὄρα* quidem
 & per insomnium agit illic Paulus. Imò si votum
 de continendo in perpetuū ab istis viduis iuniori-
 bus emissum fuisset, & illud Paulus probasset, vt
 legitimū, & obligatoriū, vetuisset omnino Paulus
 eas viduas iuniores nubere, quia vota iusta Deo
 reddēda esse nouerat Paulus. Cōtrā verò permit-
 tit Paulus, vt eæ iuniores viduæ nubant, nec earū
 secundū hoc cōiugiū damnat, aut irritat (quod &
 temerè, & falsò, & cōtra húc Pauli locū, & concilia
 quædā, & Patres, & Pōtificates, & ca. *De Viduis, Vi-
 duas*, & can. *Diaconissam*. 27. quæst. 1. statuerunt) sed
 ratū esse vult. Temeritatē tātū relictī ab istis fœ-
 minis Dei pauperibus promissi muneris accusat
 Paulus. Ergo omnino perperā ad Votū perpetuæ

continentiæ transfertur & applicatur ille Pauli locus.

Patrum testimonia nos non vrgent, quia Pauli verba extra ipsius mentem & scopum planè & manifestè detorquent. Sed neque ex consequentia Votum istud perpetuè Continentiæ (quasi illud Paulus probarit, aut tunc fuerit) ex eo Pauli loco colligi potest. Pugnat enim ista collectio & consequentia cum aliis scriptis Pauli I. Corinthi 7. ver. 7. vbi vnumquemque pium tantum, & tantum diu continere vult, quantum & quandiu potest ex Dei dono. At Votum perpetuè continentiæ hanc Christianam libertatem oppugnat & evertit.

Vox *fides* apud Paulum promissionem nudam Ecclesiæ factam de succurrendo pauperibus significat, omnem autem eiusmodi fidem Votum esse & complecti, falsum est, vel ipso Bellarmino teste, qui supra negat promissionem à nobis Deo ipsi, in Baptismo factam esse Votum, vti ex cap. XIX. apparet.

M. Lutheri. sententiam quum nihil ab analogia fidei alienum habeat, imo verbis Pauli non repugnet, sequatur, qui volet: neque de ea nobis disputandum est. Plures enim possunt de eodem S. scripturæ loco tolerari interpretationes & sententiæ, quemadmodum ubique varias refert Bellarminus ipsemet. Idem de Iohannis Caluini, & Petri Martyris sententia in hunc locum sentiendum est. Nec verò vlli docti interpretes verba Pauli de perpetuè continentia Voto sumpserunt: quod tamen Bell. facit, contra mentem Pauli: In summa prima *fides*

fides istarum Iuniorum viduarum est promissio Ecclesie facta non quidem de nunquam postea nubendo: sed de opera & Ministerio tuo Dei pauperibus prebendo, qua per secundas nuptias violatur.

Porro & recte & vere Petrus Martyr appellat hunc locum ambiguum, qui varias interpretationes, easque omnes tamen cum fidei analogia consentientes, admittere potest: non autem eam, quam illi *ca. vi. duas* 27. quest. 1. & hic Bellarminus affingit de perpetue Continentie voto, quod nefando quidem viti quam audiuerat Paulus, nedum ut illud probarit, aut commemorarit. Quare Martyris dictum nihil vel Nearianis nostri temporis fauet, vel aliis hereticis, qui locos S. scripturae exponentes a fidei analogia ipsi discedunt: quod ij non faciunt, qui hunc Pauli locum varie ex fidei analogia interpretantur, ex P. Martyris mente & sententia, quam peruertit Bellarminus.

Denique de significatione vocis Graecae *νεμια* quod differtat hoc loco Bellarminus, frustra in eo se fatigat. Nam & M. Bucer, & P. Martyris sententia vera est, quum in hoc Pauli loco pro damnatione, quae fit *ab omnibus* de viduis istis Iunioribus iterum nubentibus vocem *νεμια* accipiunt.

Ad Cap. xxv.

Quod ad Concilia quaedam, quae nobis hic opponit Bellarminus, duo quaedam obseruet pius lector. Primum illa post natum iam de Monachatus voto legitimo errorem extitisse, quum pura Apostolorum doctrina iam retineri desisset: & Sanctissimi Gangrensis Concilij autoritas (qua totum hoc vitae genus damnatur) in Ecclesia valere

desisset quoque. Ancyranum enim Conciliū quod primum hoc Continentiæ perpetuæ votum probasse *videtur*, demum post annum Domini cccviii. conuenit corrupta iam vera Ecclesię doctrina.

Secundo loco notet pius lector hæc, quę profert iste, Cōcilia nullū S. scripturę locū pro sui decreti fundamento citare. Nā qui locus ex 1. Ti. 5. v. 12. in Concilio Carthaginēsi 4. c. 104. allegatur profusus obtorto collo in eā sententiā adducitur aut potius pertrahitur. Deniq; hoc quoq; pius lector animaduertat, istam voti de perpetua continentia violationem primum pro nullo, vel pro leuissimo peccato habitā, & idcirco pœna leuissima fuisse punitam, velut Ancyrani Concilij c. 19. vbi tantū inter Bigamos qui hoc votū deseruerant, censentur: & Concilij Chalcedonensis c. 15. vbi etsi excōmunicantur pro forma, quia illa promissio Deo grata & facta cēsebatur, cuius contēptus nō erat impunitus relinquendus: tamē Episcopi cū iis statim dispensare, & eos absoluerē iubentur, can. *Si quæ Virgo*, 27. quęst. 1. Verū crescente postea hominum superstitione, & voti istius violatio tetrior, & grauius peccatū habita est, & pœna maiore punita, absque tamen Dei verbo. Et hæc quidem in genere ad ista Concilia respondeo siue in Vniuersali.

In particulari verò, Ad Concilij Ancyrani cap. 19. ibi pœna leuissima denuntiatur, ergo leuissimum peccatum censebatur tunc istius Voti transgressio. Ad Concilium Chalcedonense cap. 15. eodem modo respondeo, iuberi Episcopos statim absoluerē eiusmodi excommunicatos, neque ista coniu

coniugia dissolui iubetur. Ad Concilium Carthaginense 3. c. 33. illud tantum agitur de custodia earum Virginum quæ in Monasteriis vivere volunt, quãdiu volunt: non ut inuitæ & illic diutius, quam velint retineantur, Ad Concilium Carthaginense 4. cap. 104. verbo Dei manifeste abutitur, ista Synodus, uti supra docuimus. Ad Concilium Toletanum 4. cap. 55. superioris quarti Concilij Carthaginensis errorem (quod præcesserat) secutum est & Turonensis II. quod conuenit circa annum Domini DLX. Toletanum IV. circa annum DCXXXI. Ad Turonense concilium II. c. XI. fuit illud deprauiatio Concilij Chalcedonensis generalis. Mouit enim terminos à Chalcedonensi positos & dissoluit coniugium Monachorum, quod Chalcedonense ratum esse iubebat: Concilium Moguntinum, & sub Syluestro Romanum sui temporis errores sequuntur: Neque vllius momenti sunt, aut Dei verbo scripto nituntur.

Ad Cap. xxvi.

Pontificum Romanorum decreta nullã huius erroris cõfirmationẽ afferunt, aut habent. Sũt. n. dũtaxat priuata Episcop. Rom. iudicia, velut si quis Lutetiæ Episcoporum, aut Lõdini cõstitutiones obtrudat pro generalib. totius Ecclesiæ decretis. Id quod falsum ac supposititiũ est: neque recipiendũ. Quod ad leges Cõstantini. qui pœnas à Romanis legib. in celibes & steriles coniuges positas semel abrogauit, idcirco factũ est, quod quã esset orbis Romanus Christianus effectus, nec vxorem ducere quis cogendus videbatur, nec puniendus si liberis, eaque Dei benedictione priuaretur, nulla sua

culpa, in coniugio legitimo à se contracto. Itaque hæc testimonia sunt nullius pro Monastici de perpetua Continētia Voti confirmatione momenti, & *ἀπρά* prorsus seu inepta argumenta.

Ad Cap. xxv i i.

Patrum testimonia, quæ pro se hoc capite profert Bellarminus, sunt duplicis generis, Vnum est eorum, quorum ab ipso Bellarmino sententia fuit deprauata, velut Ignatij, vtriusque Clementis Cypriani Tertulliani, quorum nemo de perpetuæ Virginitatis Voto mentionem facit: sed tantum docent, suo iam seculo extitisse fœminas Christianas, quæ propter ingruentes illis tēporibus Ecclesiæ afflictiones, & insaniam luxus (qui in toto Mūdo tunc Ethnico regnabat) detestata, sponte, sed nullo perpetuæ Continentiæ voto emisso, se velabant, castæ esse & viuere cupiebant, verum domi vnaquæque suæ, non in vlllo Monasterio & loco simul collectæ, aut conclusæ: nec in perpetuum se Virgines fore promittebant, sed tantum duntaxat & tandiu quandiu dono illo continentæ à Deo donarentur. Manebat enim hæc in animo illis infixa Pauli sententia duplex, 1. Corint. 7. v. 7. *mellius est, uxorem ducere vel nubere, quam vri: & v. 28. Si nupsit virgo non peccat.*

Nam quod de quadâ Iphigenia à B. Mathæo ad vocendam Deo perpetuam Virginitatem persuasa & perducta: item de Tecla quapiã à B. Paulo, vt Monacha fieret pertracta & adducta scribit ex Abdia Bell. totum illud est commentitiũ & vanũ, quemadmodum & autor ipse Abdias homo vanus omnino,

omnino, ineptus, & mendax est, sicut ex perpetuo eius scripto apparet. Quod ipsum quoque Vir doctissimus Iohannes Luellus Salisburiensis Episcopus in disputatione de Sacra Domini Cena contra Hardingum de isto Abdia iam pridē perspicuè & verè, & luculenter demonstravit.

Alterum scriptorum, quibus hic Bellarminus vitur genus, est eorum, qui perpetuæ Virginitatis vel continentiæ votum, iā & norant, & probabāt: verū priuata quidā animi deuotione potius, quā ex publico totius ecclesiæ iudicio, aut vilo S. scripturæ testimonio, & loco: scripsit. n. paulatim hic error in Christianorum hominū animos, & primū priuatim apud nonnullos duntaxat receptus erat: non erat autem publica Ecclesiæ vox, vel doctrine Primū Synodo Ancyrana (quæ fuit tantū *Provincialis*) & demū post annū D. DCLXXX. in Concilio Cōstantinopolitano in Trullo seu generali sexto, probata ac recepta, quæ admodū aparet, ex illius v. Concilij capite 2.) primum igitur in illa Synodo Provinciali Ancyrana, cuius autoritas dubia erat, probatum est hoc Perpetuæ Continentiæ votum, non quidem ab omnibus Ecclesiis etiam Græcis, vel Orientalibus, sed tantum à Phrygiis, circa annum Domini cccviii. quo tempore Ancyrana Synodus illa conuenit. Verū huic decreto sese in Phrygia etiam ipsa opposuit Gangrensis Synodus circa annum Domini cccxxxiii. id est xxv. annis postea, quæ totum hoc Monasticum vite genus damnauit, & scismaticum partim, partim impium esse declarauit. Sed quum Monachi Ægyptij, ex magna totius Gentis Ægyptiæ superstitione

ne, nihilominus in pretio essent, extitit Eustathius quidam in Cappadocia, Sebastia Episcopus, qui in Cappadocia & Armenia hoc vitę genus renouauit. Et hæc quidem in Aegypto & Oriente solum fiebat, & probabantur: in Occidente autem aut Occidentalibus Ecclesiis, multo, longoque postea seculo Monachatus existere cepit, circa æratę Hieronymi, & annum Domini CCC LXXXVI.

Iam verò hoc errore (quòd votum Monachatus & perpetuę Continentię erat legitimum, & Deo gratum) semel recepto, fuerunt eo fascinati omnes, & Greges, & Pastores ipsi Christiani, & passim in eius vitę laudem multa Patres scribere, ad cõmendationem eiusdem S. scripturę locos detorquere, & omnia facere, quòd eiusmodi vitę genus sanctum & piūque censeretur: partim quod luxum, qui etiã tunc inter Christianos ipsos vigeat odissent, sicut ex Chrysostomi, & Basilij Homiliis apparet: partim quod tam nouum vitę institutum (placet enim fere rerum nouitas omnium) mirabantur, necdum scortationes, sodomia, seditiones, cædes inter istos Monachos erant, aut eorum clamoribus exorta, & excitata fuerant. Hęc igitur & origo, & progressio est istius Voti & Monachatus, & perpetuę Continentię: hæc sunt causę, propter quas Patres nonnulli hoc Votum suo suffragio comprobauerunt, non ad Dei verbum, quod pro sua sententia nullum proferunt, attendentes, sed duntaxat vulgari, & iam recepto errori temere adherentes. Est enim cõsuetudo, vt ait Augustinus, tyrannus, quæ nos etiam inuitos in suam sententiam

tiam rapit, Quare non omnes huic etiam errori sunt assensu: Imo & hos ipsos, quos pro se citat hic Bellarminus, postea apparebit hoc votum & vitæ genus improbasse, omninoque damnasse, capite 33. & 34.

Ego respondeo, quod antea P. Martyr, citatque hoc loco ipsemet Bellarminus, Patrum sententiam in rebus religiosis definiendis, id est, quæ Deo gratæ sint, & quæ ingratae eatenus esse sequendam, quatenus cum Dei verbo scripto cõsentit. Fides enim nostra, cultusve Dei non hominum placitis, sed solius Dei decretis inniti prorsus debet. Probetur igitur primum ex Dei verbo, Eiusmodi votum Deo gratum esse, & ab eo præcipi: tum postea Patres idem sentientes admittemus: alioqui minime, quicquid longas propterea paginas contexit Bellarminus. Nec enim dubitamus, quin hæc illi scripserint: sed quàm benè, & verè, quærimus. Et quod Patres nonnulli quædam & pauca ex S. scriptura pro voto isto testimonia proferre videntur, ea, uti docuimus, corrumpunt: atque id, quod fore Paulus I. Corinth. 3. scripserat committunt, Nimirum ut super Dei verbum, scænum, & paleas, & stipulam ædificent: non autem aurum, argentum, aut lapides pretiosos, uti oportuit. Est igitur tota hæc Bellarmini probatio fallaciâ duplex, Una A Petitione Principij. Vult enim iste verum esse, & concedi, id quod minime verum est. Altera A non causâ, quoniam Patrum autoritas in negotio de fide, & cultu Dei, absque Dei verbo, prorsus nullius est pon-

deris aut momenti. Quare sic nos ad totum hoc Bellarmini caput cum Retro Martyre respondeamus. Omnes enim Bellarmini responsiones ad Martyris argumenta luculentissime à nobis fuerunt supra confutatae.

Ad Cap. xxviii.

IAm verò ne sine ratione insanire videatur Bellar. ratione etiam, ut ipse loquitur, utitur, ut suum errorem confirmet. Ea duplex est, una à laude continentiae: Altera ab utilitate istius voti. Vtramque rationem inanem esse ostendamus.

Laus continentiae, quam iste praedicat, est eiusmodi, virginitas est melior coniugio ex 1. Corinth. 7. vers. 38. Ergo virginitas Deo vouenda est, & quidem perpetua. Respondeo, totum hoc argumentum (id est, Materia, & forma eius) est falsum. Materia, quoniam non simpliciter, & ἀπλῶς inter Christianos praefert Paulus virginitatem coniugio: sed tantum propter instantem illius temporis necessitatem, teste ipsomet Paulo, eodem capite v. 28. Ergo est paralogismus A dicto secundum quid ad dictum simpliciter. In forma & collectione peccat hoc idem argumentum fallacia A non consequente, teste eodem Paulo vers. 35. qui, quod de praeferenda tunc virginitate scripsit, docet se non ea mente, ut cuiquam pio laqueum iniiceret, votumque seruandae vel ad tempus vel in perpetuum virginitatis praeciperet, hocve iugum imponeret: sed duntaxat ut quid tunc commodius illis existimaret, exponeret, ut, prout quisque donum à Deo sortitus erat, sic virgo maneret, aut nubere, uxoremve duceret 1. Corinth. 7. vers. 17. Quamobrem
à Pau-

à Paulo, quem pro se allegat, Bellarminus refutatur.

Laus altera voti istius continentiae perpetuae, est, quod eiusmodi vita & *perfecta*, & *Angelica*, à quibusdam Patribus vocatur, quos hic omnes citat iste, ut tot testibus productis, in hac sua causa, si potest, vincat. Respondeo, Est fallacia hoc argumentum ab æquiuocatione, & figura dictionis. Sunt enim hæ voces Patrum duntaxat rhetoricationes eorum: non vera de isto genere vitæ, & seria testimonia. Quum enim de eo ipso seriò loquuntur iidem, nostram perfectionem in vno Christi beneficio, non in operibus istis quærendam esse docent: & vitam nostram Angelis similem non in his terris, sed solum in cælis futuram docent ex Math. 22. v. 30. Ergo quid hyperbolicè, & quid verè à Patribus dicatur, neque videt, neque distinguit, errore suo fasciatus Bellarminus. Præterea hæ Patrum laudes, non votum continentiae, sed continentiam ipsam (si ex Dei dono seruari à quopiam potest) commendant. Est enim egregium, si possis ex Dei dono, ut te melius totum Deo consacres, vxore abstinere 1. Corinth. 7. vers. 8. 9. propterea tamen de ea perpetuo retinenda votum vltimum Deo nequaquam concipiendum est, quum hoc minimè sit in nostra potestate situm Levitic. 22. Sic ieiunij laudes sunt extantque passim apud Patres immensæ, & hyperbolicæ, de Ieiunij tamè perpetui voto concipiendo ne littera quidem picta apud eosdem extat. Ergo votum à re laudata etià ex mente Patrum discernendum est: neque si rem quampiam laudant, propterea votum quoque de

ca probant, aut emitti volunt.

Neque verò porci propterea sumus, Bellarmine, quòd tuum de perpetua Virginitate, id est, scortatione, votum impium improbamus. Neque haereson tuarum plaustra sunt margaritæ, sed sceddissima monstra, quæ quum reiicimus & conculcamus, margaritas non abiicimus, sed spurcissimis erroribus sanctam Dei Ecclesiã repurgamus. Verùm tu Monache, impudens conuitiator, audesne sacrosanctos viros P. Martyrem, M. Lutherum, Iohannem Caluinum Ecclesiæ lumina Porcos appellare, quorum vel partes, quæ honestè nominari non possunt, sunt tuo isto porcino ore tamen honestiores? Sed nolo stulto respondere secundum suam stultitiam, quemadmodum Sapiens vetat, Proverb. 26. ver. 4. Sed nec conuitiari est meum. Verùm qui sic, vt tu, viuit: aliter quàm tu, loqui non potest.

Porò quòd & iste, & Hieronymus scribunt, Eliam, Elisæum, & filios Prophetarum, id est, discipulos, fuisse, & mansisse Virgines seu cœlibes, meræ sunt diuinationes. Quis enim hoc illis reuelauit? Sunt autem hæ meræ fabulæ. Primùm, quia teste etiam Augustino, tunc Iudæorum mores istud perpetuæ Continentiæ votum non finiebant, non ferebant, quum posteritas inter summas Dei benedictiones numeraretur, Ps. 127. ver. 3. 4. Deinde quia Moses, Isaias, & Oseas, summi Prophetæ, fuerunt coniuges, non cœlibes. Nam quòd vxorum, quas illi duxerunt, in S. Scriptura nulla facta est mentio, non euincit Eliam, & Elisæum non fuisse coniugatos. Nec enim eadē Scriptura

ptura meminit galeri, & calceorū, quos illi gestant: ergo neq; galerū, neq; calceos induerint illi ex eadem consecutione. Id quod est ineptissimū.

Quod de Hieremia quoque scribit iste ex Hier. 16. v. 2. eum cœlibem fuisse, vanum est. Fuit enim ista Dei prohibitio Hieremiæ facta typus solum futuræ Iudæorum calamitatis, non præceptum. ne uxorem unquam duceret Hieremias: nec omnino vetat in loco citato Deus, ne Hieremias uxorem unquam ducat: sed tantum ne ex eo loco, propter instantem, ut ait Paulus, calamitatem. Sed & exemplo isto Hieremiæ refutatur Bellarminus. Docet enim eatenus Deo gratam esse Continentiam, & illius votum, quatenus disertè, & præcisè à Deo præcipitur. De Apostolis quod affirmat Bellarminus, est itidem mera somnatio, ut suum errorem tueatur. Quis enim ignorat eos fuisse cōiuges, nō cœlibes? Matth. 8. ver. 14. 1. Corint. 9. ver. 5. Addit Bellar. melius est aliquid ex Voto facere, quàm absque voto. Nam illud Deo gratius est. R. Hic vetus est istorum Monachorum, & Sententiariorum error, ut ex Thoma in secunda secundæ apparet, quest. 88. Artic. 6. Hoc enim est falsissimū. Nā Deo eo gratius est quoduis nostrum obsequium, quo liberius, seu magis voluntarium est. Sunt autē magis spontanea ea, quæ absque voto, vllāve peculiari obstrictione, & coactione fiunt, & donantur, quàm quæ ex voto, id est, ex aliqua, quæ à nobis, etiā inuitis exigi potest, obligatione. Verūm isti naturę ipsius iudicium etiam pervertunt, ut sua monstra, suamque Helenam Monasticam nobis. si possunt, obtrudant, & commendent, quasi pecudes simus, aut pecora campi, qui, eequod

maius & gratius sit Dei obsequium, & quod minus ignoremus: quasi ne naturalis quidem iudicij, (quod isti extinguunt) guttam, Dei beneficio retineamus. Ergo ad populum istas phaleras & rationes deferat iste, non ad nos, & viros naturali perspicacitate præditos. Quin autem vera sit nostra sententia, dubitari nõ potest. Nam Deus ipse, qui gratissimum sibi obsequium nobis præcipit, nusquam tamen nos sibi quicquam vouere iuber, aut præscripsit, quemadmodum apparet Deuter. 23. v. 22. Neque in toto nouo Testamento vllius Voti à Christo nobis Christianis præcepti facta vsquam mentio est. Ergo gratius est Deo, vt illi absque Voto potius, quam ex Voto, quicquam offeramus, ac præstemus, contra Sententiariorum.

Verum rationes Bellarmini in contrarium audiamus. Nam Bellarminus in eo statuit magnum suæ causæ firmamentum, & magnam ipsius Voti utilitatem, quemadmodum ipse vocat, nepe, Quod sit illud Deo gratius, quod fit ex voto. Ex his autem rationibus Bellarmini, Prima est ex Ps. 76. ver. 12. *Vouete*, ait S. Scriptura, & *reddite Deo vota vestra*. Ergo quod ex Voto fit, & præstat, Deo gratius est, quam illud, quod absque Voto eidem offertur. Respondeo, est fallacia duplex, Vna à falsa loci interpretatione. Nec enim iubet Deus, vt voueamus nisi ea, quæ ipsi ex Verbo ipsius grata sunt, qualis, & cuiusmodi nequaquam est hæc Votiuæ, & perpetua Virginitas, quemadmodum ex Iephthes Voto, & facto ab omnibus damnato apparet, Iudic. xi. ver. 38. Ergo de hoc voto perperam intelligitur ille Psalmi septuagesimi sexti locus.

Altera

Altera fallacia est A non Consequente. Nec enim sequitur, ut si Deus sibi quædam voueri velit, ea gratiora habeat ex voto præbita sibi, quàm absque voto. Sed tantum monet locus, ut quæ Deo volumus, præstemus. De minus autè, aut magis grato Deo opere nostro, nihil prorsus agit, & definit illic Dei Spiritus, cuius solius mens spectanda est.

Imò verò ex his Pauli verbis, Ad Philemonem, ver. 14. & 2. Corinth. 4. vers. septimo. *Non ex tristitia quisquam aliquid, non ex necessitate agit. Nam hilarem datorem diligit Deus*, aliud manifestè colligitur. Nam quum in voto iam factò insit quædam præstandi necessitas, certè quod ex voto præbetur, id non tam ex voluntate, neque tam hilari animo dari videtur, quàm quod absque voto fit villo. Itaque Augustinus Epist. 45. *Votum necessitatem* appellat. Et Prosper Aquitan. libro secundo, de Vita Contemplatiua, capite vltimo, ab inuitis exigi ait, quod ex voto exigitur.

Secunda Bellarmini ratio eiusmodi est, Quod ex voto fit, ex maiori virtute præstatur, nimirum Religione, & Pietate: ergo Deo gratius est. Respondeo, Quicquid & absque voto, & ex voto fit Dei, ex ipsius verbo, colendi gratia, id totum ex eadem Animi, & virtute, & pietate in Deum fit: ergo neutrum aliud alio magis Deo gratum est: sed vtrunque æquè, ac pariter, utpote ex eadem virtute profectum.

Tertia Bellarmini ratio est, Fit ex maiore charitate illud, quod fit ex voto. Respondeo, Falsum esse assumptum. Nam contrà, fit maiori ex charitate id, ad quod præstandum minus, parerioribusque

vinculis obstringimur: quoniam id totum prorsus sponte, vltroque offerimus, damus, & efficimus, & ex nulla coactione; nulloque pacto id extortum videtur: docet Paulus 2. Corinth. 9. ver. 5. & 7. docet Moyses, Exod. 25. ver. 2. *Accipite prout cuiusque libera voluntas, inquit Dominus, obtulerit. Accipietis ab eo homine, cuius animus sponte* (ergo non voto, & præcedenti obligatione) *mouerit eum.* Idem Paulus ver. 14. in Epistola ad Philemonem:

Idem respondeo ad quartam Bellarmini rationem, seu voti utilitatem, quam obtendit, eam omnino ex superioribus Sacrae Scripturae testimoniis falsam, ac præsuppositam esse, & apparere: atque adeo cum ipsis rationis veræ, solidæ, & rectè iudicantis principiis, & notitiis naturalibus pugnare, quia magis voluntarium opus nostrum est illud, ad quod nullis, vel paucioribus vinculis, & obligationibus præcedentibus præstandum obstringimur, & cogimur. Itaque nullo Sacrae Scripturae loco suam hanc rationem, & utilitatem confirmat Bellarminus: & Augustin. Epist. 45. *Votum Necessitatem appellat.*

Quinta ratio seu voti, sicut iste vult, utilitas est, Quod post votum à nobis conceptum munimur aduersus omnes tentationes, ne à proposito sancto nostro recedamus: sed vt in eo perstemus. Respondeo, Primùm id intelligendum esse de voto, cuius præstatio posita sit in nostra potestate, non extra nos, quale est votum de perpetua Continentia: ergo hæc ratio nihil pertinet ad propositum. Deinde nõ ex voto ipso, sed ex Dei Spiritu manat ista perseverantia nostra in bono, quum res ipsa, & experientia

experiētia clamet etiā vota possibilis quotidie ab istis sperni, & negligi. Quare hæc Voti interpositio nihil eos per se magis munit: sed tantum potestea peiores, & inuerecundiores efficit, ac impudentiores monachos, magis impios, & ad quoduis scelus audendum impudentes, & audaces, iuxta illud Pij secundi Papæ Romani.

*Non audei Stygius Pluto tentare, quod audent.
Infamis Monachus, plenæque fraudis annus.*

Ad Cap. XXIX.

Nostrorum argumentis responderē iam conatur Bellarminus, sed adeo prolixè, ut non tam aliquid perspicuè dicere velle videatur, quàm rem multiloquio totam inuoluere. Sed in multiloquio vanitas & mendacium inest, ut ait Salomō Prou. 10. v. 19. & hic sic euenit.

Primum, seu Vnum nostrorum argumentū est, Deo gratiora opera nostra, ac laudabiliora etiam inter pios, sunt ea, quæ magis libera, ac spontanea voluntate fiunt, Exod. 35. v. 21. 1. Cor. 7. v. 35. 2. Cor. 9. v. 7. 8. ad Philemon. ver. 14. At quæ fiunt ex voto illa tanquam ex necessitate, non autē ex libera voluntate fiunt, Hieronymus contra Iovinianum, & Prosper lib. 2. c. vlt. de Vita Contemplatiua. Quare quæ ex Voto à nobis præstatur, sunt & minus Deo grata, & inter pios laudabilia minus. In responsione sua Bellarminus nodum in scirpo quærit, remque totam obscurat, non soluit obiectionem. Ergo ait triplicem esse & libertatem, & necessitatem. Hanc vel ex promisso nostro, vñ-

de necessitas debiti dicitur: vel ex facultate non libera alterutrum, bonum, vel malum eligendi, quam vult esse contra liberum arbitrium: vel ex coactione absoluta, aut κατὰ τι. Respondeo ego falsum esse secundum huius diuisionis membrum. Nempe in quo ponitur in nobis Liberum Arbitrium & Meritum. Deinde fit quadruplex, vel quintuplex Necessitas, quid ad rem, & ad Rhombum, vt probet Paulum falso scripsisse ea, quæ ex necessitate quænis fiunt, minùs esse Deo grata Bellarminus, vt hoc loco contendit.

Secundo respondet, Id quod fit ex Voto, fieri à nobis libentius. Respondeo falsum esse illud quoque. Fit enim ex quadam præstandi etiam necessitate: ergo minus libenter, & voluntariè fit, & efficitur, seu offertur. Nec obstat locus ex lib. 1. Chronicor. cap. 29. vers. 9. Illa enim populi lætitia non ex Voto, sed ex cordis spontaneo, quo tunc ille populus tangebatur, motu promanabat, sicut verba ipsa textus probant: quæ Spontaneitas & libera voluntas iam in Voto nulla est, teste hoc ipso col. 1245. L. A. §. Tertio.

Tertio respondet ex Thomæ tripliciter impleri posse Votum, libenter, inuite, & coactè. Respondeo, Ergo seipsum ex Thomæ refutat iste, qui antea scripsit libentius præstari ea, quæ ex voto debentur. Contra Thomæ docet illa ipsa à pluribus inuite & coactè reddi. Quare Votum illam Animi libentiam minimè gignit, quam fingit Bellarmin. sed potius illam, quam dixi, necessitatè, quæ ià liberæ Voluntati repugnat. Id quod demonstrare nos oportuit. Itaque in solutionibus ad
locos

locos à nobis citatos ex S. Scriptura diuinat Bellarminus qui contendit expressè illic de voto agi: & sese ex illo laqueo, quem iniici vetat cuiquam Paulus, eximere miser non potest, ex tot suis illis distinctiõnibus inepris.

Sed & in ipsa voce Græca *βρόχος* (quæ propriè *laqueum* quo quis strangulatur, significat,) explicanda ineptit, dum ad grammaticam & etymologiam Hebræam *Mogafsch* iste recurrit. Nec enim inde deriuatur vox Græca *βρόχος*. Sed nec in 1. Corinth. 7. vers. 35. est vox *παις*, quemadmodum hic putat, qui ne locum quidem Pauli confusus temerè suæ memoriæ aspexit: sed est *βρόχος*. Differunt autem apud Græcos propriæ harum vocum *παις* & *βρόχος* significationes, quemadmodum apparet ex Paulo 1. Corinth. 7. vers. 35. & 1. Timoth. 6. vers. 9. ex Iulio Polluce li. 5. Onomastici ca. 4. Vide Thesaurum Græcum Henrici Stephani. Quare quum solutionem ex peruersa vocis *βρόχος* interpretatione comminiscitur Bellarminus ad locum Pauli 1. Corinth. 7. vers. 35. Ea nulla est: & vox illa *laqueus* apud Paulum votum, vt rectè senserunt & P. Martyr, & D. Th. Beza, perpetuæ virginitatis excludit, ne animæ nostræ apud Deum strangulentur, quum homines nos ad eiusmodi vota obligant, incitant, & impellunt absque manifesto & perpetuo continentia dono: quod non homines, sed solus Deus nobis præstare potest: quo dono in nobis cessante, cessat quoque & desinit nos obligare continentia votum. Nam remedium aduersus incontinentiam à Deo ipso paratum, vel ipsismet Scholasticis testibus, est matrimonium, Lombardus lib. 4. Sent.

Dist. 26. & 31. vbi Scholastici. In summa non se excusat Bellarminus, quicquid æstuet & laboret, & quantumque necessitatem fingat, quin illud verum sit, post votum conceptum inesse præstandi necessitatem, & minus iam esse voluntariam eam voluntarium hominum præstationem.

Hieronymi verba, quibus premitur, depravat profus, dum ea tantum ad opera imperata à Deo restringit: inoibidem, id est, contra Iovinianum disertè de voto virginittatis. (quod iam tum Presbyter ille Romanus Iovinianus ex Dei verbo improbabat) agit Hieronymus. Testis sit ipsemet liber de illius locus. Sed & seipsum hic refutat, & Hieronymum. Nam apertè scribit col. 1244. L. D. §. fin. melius (ac proinde Deo gratius) esse opus à Deo imperatū, quàm votum, & opus nō imperatum. Id quod sententiam totius huius loci & argumenti refellit: & postea tamen ac statim col. 1245. L. A. §. *Tertio Maior, ait, promptitudo requiritur in opere nō imperato, quàm in imperato*: quæ cum Hieronymo consentiunt, & ipsa elidunt Bellarminum. Nam voti præstatio est imperata:

Et res autem rationes, quibus effectum vult laudabiliora esse opera nō præcepta, quàm à Deo præcepta, sunt omnino blasphemæ, impiæ, ac proinde falsa. Prima est, Quod præcepta res à Deo sunt minus nobiles & exquisitæ, Respondeo, cōtrà ipsemet supra scribit opera à Deo imperata esse meliora, quàm non imperata: ergo & nobiliora. Deinde refutatur ex Ps. 19. & Ps. 111. v. 2. 3. vbi omnia præcepta, verba, & opera Dei dicuntur exquisita. Secūda ratio Bellarmini est, Qui facit opera non mādātā à Deo, facit

facit & illa, que sunt ab eo imperata. Respondeo, factum, Primum, quia nemo facit opera illa à Deo precepta, alioquin esset perfecte iustus. Id quod de nemine verè dici potest Pl. 14. 143. v. 2. 1. Iohan. 1. v. 9. Præterea, quum homines istis consiliis sunt addicti, mandata Dei negligunt, teste Christo ipso, Math. 15. v. 3. Tertia istius ratio est, promptitudo maior requiritur in præstando opere non mandato. Respondeo, Imo nulla requiritur, quia Deus odit illa opera omnia à se non mandata.

Ad Cap. xxx.

Secunda nostrorū ratio est ducta ex S. Scriptura locis, ubi iis, qui continere non possunt, quoniā vruntur, matrimoniū præcipitur, velut Math. 19. v. 11. *Nō omnes capiunt hoc verbum* de continentia seruanda, 1. Cor. 7. v. 9. 1. Timoth. 5. v. 14. Hebr. 13. vers. 14. Respondet Bellarminus, Primum variè, suo more: imo etiam sibi ipsi repugnanter. Nam primum negat locos istos præcipere incontinentibus coniugium. Deinde concedit præcipere, sed non iis, qui votum continentiaē susceperunt. Denique ait remedium duntaxat, & portum incontinentibus ostendi, in quem tamen se recipere neque debeant, neque teneantur. Respondeo, Primum secum cōsentiatur Bellarminus, vt eum intelligamus. Nam secum pugnat. Deinde verba ipsa Pauli satis ostendunt, disertè præcipi incontinentibus, vt uxorem ducant. Ait enim Paulus per verbum Imperandi, *Quod si se non continent, γαμήτωσαν, id est, matrimonium contrahant.* Vnde Augustinus lib. de Virginitate cap. 74. ait oportere eos, qui non continent, coniugari. Quum ait August. oportet,

legem illis impositam esse ostendit. Sed & quod additur statim, & ibidem: *Melius est matrimonium contrahere, quam vri*, voces ipsæ demonstrant hoc ipsum remedium præcipi incontinentibus non solum ut rem per se, & moraliter bonam: sed etiam ut præferendam. Bonum enim illic de bono moris intelligitur: & voces *melius est*, non opponuntur malo, quemadmodum voluit Hieronymus contra Iovinianum: sed comparisonem continent, ut hoc remedium à Deo institutum præferatur cuius alij remedio, teste August. lib. 9. de Genesi ad literam ca. 7. 8. 9. Lombardus lib. 4. Sentent. Dist. 29. cap. 4. & Dist. 26. cap. 2. Vnde Durandus in Dist. 25. quæst. 2. apertè docet matrimonium etiam nunc cadere sub præceptum, præsertim incontinentibus, contra quàm in tertia secundæ quæst. 41. Art. 2. in additionibus scriptum extat. Et eodè capite septimo 1. Corinth. vers. 2. & 3. eodem genere scribendi utens Paulus *nubar, & uxorem ducat* manifesta præcepta. Ergo habet Bellarminus ad suam responsionem inanem iustum & verum nostrum responsum, esse præceptum.

Quod verò Bellarminus in Iohannis Calvini verissima & facillima sententia de variis vitionis nostræ à libidine generibus inuoluenda, & circumscribenda veteratorem se monstrat, & malus est, & ineptus. Malus, qui veteratorie agit. Ineptus, qui Calvini hominis in scribendo facundissimi, & iudiciosissimi scripta & suggillet, & corrigere velit, quasi non satis suam sententiam perspicuè explicarit Calvinus, quo doctore nemo fuit disertior.

Tandem post varias, & vagas digressiones in
viam,

viam, & ad ea, quæ hîc tractat, sese recipit Bellarminus, aitque Paulum non omnibus, qui vruntur, præcipere coniugium: sed iis duntaxat, qui fornicari omnino apud se decreuerint, non iis etiam, qui istius libidinis grauibus & diuturnis iaculis vulnerentur. Respondeo Bellarminum à seipso confutari, Primum quia ait ex Paulo eos omnes viri, & coniuges fieri oportere, qui non continent. Ergo etiã qui nõdũ decreuerũt omnino fornicari, à Paulo iubẽtur coniuges fieri, quia nõ continent, quom ista libidinis iacula diu fenserint. Sed & coniugium contrahere pij à Paulo iubentur, qui continere non possunt, ne fornicari velint, cogitent, aut apud se constitutum habeant. Itaque inepta est tota ista Bellarmini subtilitas & cauillatio. Nec enim incontinentia solum est voluntas firma fornicandi animo formata, & concepta, vel iam actu ipso, & opere impleta, quod vult & vrget iste: sed est quiuus libidinis carnalis æstus & stimulus nos pungens, & malas concupiscentias in nobis excitans, teste Christo Math. 5. vers. 28.

Porro præter casam fugit iste, dum ad locum de iis, qui vruntur ista vitiosa libidine, explicandũ *ἀποδοξίον* Gr. plane, & illud etiam dubium dictum Pauli ex 2. Corinth. 12. vers. 7. profert, perperam. & falso. Perperam, quoniam est petitio principij, obscurum per obscurius probare velle. Falso quoque. Nam Angelus Satanae in Paulo nunquam fuit istius libidinis æstus, quom in 1. Corinth. 7. vers. 7. profiteatur se ad illum vsque diem donum continentiae habuisse, quo iam vexatus fuerat ab isto Satanae Angelo, Quamobrem illa de prurigine con-

iugij (quam Paulus senserit) interpretatio planè & Pauli ipsius de se testimonio repugnat & falsa est, quicquid eâ temerè Sedulius, Anselmus, Thomas sequantur. Quæ verò testimonia ex Hieronymo, Augustino, Clemente, & aliis profert iste, ut doceat *vri* apud Paulû non significare *tentari*, sed in scelus fornicationis iam lapsum esse, aut labi, non magis ad rē faciunt, aut id probât, quàm si ex Virgilij *Aeneidos* li. 4. versus hos, *Ardet amans Dido*, &c. citaret: sed ingenij tantû ostentandi gratiâ illa descripsit. Quæ quû hoc loco nullius sint momenti, ac ne lōga quidē manu nostrâ quæstionē attingât, nos ea omittimus. Imo Augustini testimoniû lib. de Virginitate c. 74. (qui sola s cōcupiscentias etiâ ad istâ vstionē refert) hunc iugulat, & refutat. Denique nihil aliud ostēdunt Patres, quàm *vri* apud Paulû nō de prima statim tētatione, neque de quæstis leui: sed de graui & diuturna cōsultatione accipi debere. Id quod & in commentariis dixit Calvinus, & nos eum secuti fatemur. Verûm isti quantum sit illa grauis tētatio, qua sui Monachi post votû suû vexâtur, & licet animo & omnino etiâ fornicari decreuerint: tamē iis non concedunt propterea, ut vxores ducât. Id quod tamen ex ista Bellar. sentētia illis cōcedi oportet, & ex Pauli præcepto, & mente. Cæterû solutionē istâ Bellarmini qua præceptû in his Pauli verbis cōtineri negat, iâ copiosè cōfutauimus nec, ut iste, actû agere volumus, ne lectoribus odiosi, nō tantû molesti simus.

Verûm à maiori ad minus argutatur Bellarminus, si verba Pauli, vbi maximè coniugiû imperare videtur, velut 1. Tim. 5. v. 42. non imperant: multo
 minus

minus hæc, qui se non continent, matrimonium contra-
 bant, 1. Cor. 7. v. 9. At verò illa non iubent: ergo ne-
 que hæc. Assumptionem probat duobus argumentis,
 primo, quia sibi Paulus repugnaret, si quocumque con-
 iugem esse iuberet, ait enim 1. Cor. 7. v. 7. *Volo omnes*
esse continentes. Secundo, Quia Patres Pauli locum 1.
 Tim. 5. v. 12. negant nuptias præcipere. Respondeo,
 Falsa est utriusque istius argumenti collectio & cõ-
 secutio. Ac quidam primi, Quia non sibi contradicet
 Paulus iubens in illo loco Juniores viduas nubere.
 Iubet enim eas, si sunt incontinentes uti & 1. Cor.
 7. v. 9. nubere: non autem si donum continentie ha-
 beant. Ergo quacumque de interviendo Dei paupere-
 ribus promissionem ille fecerint, si continere non pos-
 sint, vult Paulus eas nubere. Quæ facultas & liber-
 tas erat, estque omnibus Monachis, etiã post votum
 de continentia, concedenda. Quod autem idem Paulus
 vult omnes esse continentes, intelligit, si possint,
 & si donum istud à Deo acceperint. Addit enim,
Sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius
quidem ita, alius autem ita. Ergo secum non pugnat
 Paulus, qui utrobique vult incontinentes contra-
 here coniugium: at continentes esse continentes, quã-
 diu habent hoc Dei donum, quod non est perpetuum.

Cæterum excipit Bellarm. si hæc verba Pauli 1.
 Timoth. 5. vers. 12. nuptias iubent: ergo & hæc quo-
 que verba, *filios procreare, matrem familiam esse, &c.*
 præceptum continent. Quod si steriles erunt ille iunio-
 res viduæ nuptæ in Apostolicam legem peccabunt. Re-
 spondeo, Deus tibi, Bellarmine, meliorem det men-
 tem, & acumen ingenij lucidius. Videris enim non hunc mo-
 dum, sed pene in omnibus istis opusculis tuis à Deo

in reprobum sensum traditus, quia veritatem oppugnare instituisti. Ergo Paulus non imponit legem istam coniugibus, vt nisi liberos ex suo coniugio susceperint, sint à Deo puniendi: sed quum Matrimonium iunioribus viduis imperaret, & finem matrimonij, & bona ex eo promanantia declarat, vt etiam ex tuo Lombardo discas li. 4. Dist. 26. ne in alium finem coniugium contrahant illæ. Et hoc quidem esto nostrum ad primum Bellarmini argumentum responsum.

Secundum continet tres Patrum autoritates, quæ nostram sententiam confirmant, Bellarmini subruunt. Nam Augustinus, quem hic laudat iste, manifestè hæc Pauli verba legem appellat, & remedium à Deo præscriptum, quod nemo nõ pius sequi tenetur. Ergo Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus volunt non omnibus viduis iunioribus indiscriminatim, & ἀπλῶς præceptum hoc tradi: sed iis tantum, quæ continere non possunt, sicut nos diximus, licèt promiserint se suum obsequium Dei pauperibus perpetuò præstituras, & exhibituras. Hæc enim promissio habebat habetque tacitam conditionem istam, si possint, id est, nisi, propterea quòd vrerentur, ad matrimonium secundum conuolare cogerentur. Id quòd idem fuit, estque Monachis post votum continentiaæ eodem modo, & iure concedendum.

Tertia Bellarmini solutio ad locum Pauli, si continere non possunt, coniugium contrahant 1. Cor. 7. vers. 9. est planè falsa, scelerata, & impia. Ait enim hoc Pauli præceptum non pertinere ad Monachos post continentiaæ votum, non quoduis & simplex:

simplex: sed solenne emissum, quoniam omnino, siue vrantur Monachi isti, siue non vrantur, illud suū votum seruare tenētur. His autem, qui tamen vrantur, fornicari concedit homo iste spurcus: nō autem vxorem ducere, quia, inquit, qui verum matrimonium post tale votum contrahit, magis coram Deo peccat, quàm is, qui simpliciter post votum fornicatur. Sic porcus iste in Hesuitarum ara saburratus disertè scribit col. 1250. L. D. §. *Nam quæ vritur*. Quo quid sceleratius, scædus, & magis impium dici potest, imo etiam cogitari? Nempe iustum matrimonium scædus censere, quàm spurcam fornicationem? Hanc illi præferre? & sanctū illud Incontinentiæ remedium à Deo ipso institutum, nempe coniugium damnare, ac reiicere, vt fornicari fas sit, & concedatur. Respondeo igitur Absurdum, quod ex ista tertia Bellarmini solutione, necessariò sequitur, satis eam confutare. Nam ex absurdis absurda sequuntur. Deinde dico vbi quis vritur, apparet tunc votum de perpetua continentia factum esse ab eo, qui hoc vouit, de re sibi impossibili: ergo minimè illud est obligatorium Numer. cap. 30.

Verùm excipit Bellarminus, Si coniux à coniuge propter morbum exigere debitum non potest, continens esse debet, non autem ad alteras, priorē coniuge viuente, nuptias cōuolare, & si vritur, quia coniugi fidem dedit: cur non igitur ille, qui Deo fidem continentia perpetuæ dedit, continere debet, licèt vratur, quum plus sit Deo, quàm homini fidem suam obstrinxisse? Respōdeo, Quia nullum præter continentiam, remedium ex Dei

præcepto reliquum est ei, qui coniux est, & à con-
iuge debitum exigere non potest, licet vratur. At
cœlibi, qui vratur, Deus ipse Matrimonium pro
remedio dedit, quod qui spernit, & ex Bellarmini
consilio, fornicatur, à Deo ipso manifestè damna-
tur Hebr. 13. vers. 4. *Scortatores, & adulteros condem-
nabit Deus*, item Iacobi epist. cap. 4. vers. 4. Ergo
quum illi remedio alio destituantur, continere,
etsi vruntur, debet: hi verò, quum paratum à Deo
remedium habeant, nempe, illud sequi, & amplecti
debent, non autem scortari, vt iste suadet.

Quod ad patrum testimonia hinc à Bellarmino
citata non vrgent. Patres enim illi iam istius erro-
ris de legitimo perpetuæ continentiæ voto, nebula,
& fascino excæcati sic sensere. Sed amicus Plato,
magis tamen amica veritas, & præceptum Dei, cui
obniti velle est contra stimulos calcitrare. Itaque
audiantur patres, vbi consentanea Dei verbo scri-
bunt: si contra sentiant, quemadmodum in hoc ar-
gumento, Dei verbum præferatur.

Ad Cap. xxxi.

Tertia nostrorum obiectio est hæc, nemo id
Deo vouere potest, aut debet, quod non ha-
bet in potestate Numeror. 30. At perpetua conti-
nentia minimè est in nobis sita: sed ex Dei dono,
eoque mero pendet: quod etiam non est semper
perpetuum Math. 19. vers. 11. & vers. 12. 1. Corinth.
7 vers. 7. & 17. sed imprimis vers. 37. (Quem autem
iste locum profert ex Sap. 8. vers. 21. neque sic ha-
bet, neque à nobis quoque affertur.) Ergo perpe-
tua continentia voueri non potest, neque etiam
debet.

debet. Quid ad hoc tam firmum argumentum Bellarminus?

Respondet, suo more, non facile, non rotunde, non breuiter: sed longis verborum ambagibus, rem à gemino repetens ouo, & variis prius donorum Dei distinctionibus adhibitis, vt hoc suo atramento obiecto nobis ista sapia elabatur, & effugiat. Quia tu igitur, Bellarmine, dic vno verbo quid velis. Vis continentiam perpetuam in summa sic esse Dei donum, vt sit tamen in nostra potestate, & electione. Respondeo Bellarmino, hoc axioma & assumptum esse falsum. Itaque hæc responsio est fallacia A Petitione Principij, & fallæ causæ pro vera. Nam hæc perpetua continentia aut tota est in nostra potestate, aut ex parte. Non tota. Nam nullo pacto esset Dei donum, si tota & omnino à nobis penderet. Non ex parte. Nam si talis esset, non esset extraordinarium Dei donum, quale est 1. Corinth. 7. vers. 7. & 17. & Math. 19. v. 11. *Non omnes capiunt, ait Christus, hunc sermonem: sed quibus datum est, oīs δὲ ὅτις, ait Scriptura.* Quo verbo vtitur, quum extraordinaria Dei dona erga homines declarantur, vt apparet 1. Cor. 12. vers. 7. 8. Dona enim Dei extraordinaria neque sunt vlllo pacto in nostra potestate, neque nostro labore, industria, aut opera comparantur. Ergo falsum est. Continentiam perpetuam esse in nostra potestate, vel voluntate, siue ex parte, siue ex toto.

Præterea alterum *κρησφύγεον*, & *ὄφθον φάρμακον* comminiscitur, & quærit Bellarminus, nimirum

omnibus dari auxilium Dei sufficiens & ad fidem
& ad continentiam habendam, si velint, id est quo
possunt eam habere: sed non dari omnibus auxi-
lium Dei efficiens, quo actu & fidem, & continen-
tiam habeant. Respondeo, Etsi hæc distinctio in-
ter *sufficienter* & *efficienter* in aliis rebus vsus &
locum habere potest: in hoc tamen argumento
nullum habet, quia non sic, uti fides, in Christum,
simpliciter est Dei donum continentia, sed est om-
nino extraordinarium donum. Deinde & fides
in Christum, & continentia à nobis nullo pacto
est, sed omnino est Dei donum Ephes. 2. vers. 8.
Iohan. 6. vers. 29. Augustin. in lib. De Gratia & li-
bero arbitrio cap. 7. de Ecclesiast. Dogmat. ca. 42.
Ergo & quod ad sufficientiam, & quod ad efficien-
tiam utrunque est Dei donum, fides, & continen-
tia: atque etiam continentia rarius donum Dei,
& in paucioribus, quàm fides. Itaque mere à Deo
pendet, plures enim credunt in Christum quàm
continent. Quamobrem vana & inutilis est hæc
Bellarmini noua distinctio. Sed & falsa est. Facit
enim contra Pauli dictum 2. Thessal. 3. vers. 12. Fi-
dem esse omnium: contra Christi quoque senten-
tiam Iohan. 6. vers. 44. Quem errorem postea re-
petit. col. 1254. L. A. tam est blasphemus, vel hebes.

Cæterum argumenta, quibus iste conatur effi-
cere, continentiam, eamque perpetuam, esse in no-
stra potestate, sunt in speciem multa: re ipsa vnicū,
illudque falsum, nempe fallacia. A figura dictio-
nis. sic, quæ locutiones & S. Scripturæ phrasés tri-
buunt nobis aliquid boni, aut nos ad bona opera
cohortantur, docent ea bona opera esse in nostra
potestate:

potestate: ergo & continētia est in nobis sita, quia nos ad eam Christus & Paulus exhortantur. Respondeo, falli Bellarminum. Eiusmodi enim locutiones omnes ostendunt tantum quid Deo debeamus: non quid efficere possimus. Quare sunt nostri debiti duntaxat interpellationes: nō autem nostræ voluntatis virium, aut facultatum indicationes, & commemorationes. Et sic ad primum, secundum, & tertium Bellarmini argumentum responsum esto.

Ad quartum autem, & quintum (quæ sic habēt, laudat S. Scriptura continentes, & præmia iis statuit: ergo ostendit continere positum esse in nostra potestate.) Respondeo, Quum Deus coronat continentiam, & alia bona opera nostra, sua dona coronat non nostra merita, aut propriè opera, ut ait Augusti. Serm. 49. de Tempore. Sed donis illis suis erga nos Deus hæc præmia proponit gratuita, ut nos ad ea à se petenda magis magisque incitet, accendat, & inflammet.

Quod verò iste col. 1254. L. A. B. scribit pios vouere, vel promittere fidem Deo in suo Baptismo, quum adulti baptizantur, (nam uti antea docuimus, paruulorum alia est ratio) verum est. Nā animi sui votum & affectum in eo declarant: non autem, quid possint, aut quòd hoc à se possint, iactant, & prædicant. Sed testantur duntaxat coram, & ostendunt quid à Deo petant, videlicet & in eum credere, & in fide perseverare.

Sexto istius argumēto (nihil enim in totis hisce capitibus, quàm vana & molestæ repetitiones continentur) iam respondimus: quum diximus cō-

iuges fornicari, aut incedari non debere, si diffini
procul à coniugibus vrantur: sed Deū ardētissime
precari debere, quia nullū aliud iis superest, quàm
oratio, aduersus eam tentationem remedium. Ve-
rùm crambe repetita mors est.

M. Buceri, Ioh. Caluini, & P. Martyris summus
inter se, vel hoc teste, in tuenda sana doctrina con-
sensus apparet, dum vnanimiter scribunt. Hoc do-
num continentiaē perpetuaē absque cōditione ista
à Deo non petendū, nempe si sic Dei gloriaē expe-
diat: alioqui si simpliciter illud petimus, quoniam
absque fide, & Dei promissione petimus, neque à
Deo exaudiemur, neque Deo grati sumus, quia
peccamus. Nam quicquid fit sine fide, est pecca-
tum Rom. 14. vers. 23. Quid Bellarminus?

Hoc solidissimū & firmissimū ex Dei verbo
scripto sumptum argumentum, quod soluere non
potest, appellat ridiculus homo Bellarminus ratiū
culā: ad quā tamen vel solūm eludendam, non re-
fellendā, omnium, quos potuit, Patrum sententias
& cohortes & machinas adhibet, quanuis inutiles
ipsi, nobiscum autē consentientes & vtilis. Dein
de respondet, sufficit generalis promissio hæc, *Pe-
tite & accipietis* Matth. 7. vers. 7. cui innititur, & in
qua, ait, fundatur petitio peculiaris de perpetua
continentia. Respōdeo, Illa generalis Christi pro-
missio non legitimat, vt ita loquar, aut ratas facit
coram Deo petitiones omnes nostras, & vota o-
mnia: sed ea duntaxat, quæ secundum Dei expres-
sam, & patefactam voluntatem à nobis petuntur:
non autē alia. Hanc enim generalem Christi or-
rationē, aut potius indefinitā sic explicat Iohānes,
qui

qui Christi arcana nouerat, & in S. Cœna pectori eius caput inclinarat, sicut apparet in prima Iohannis epist. cap. 5. v. 14. *Hæc est, ait, fiducia, quam apud Deum habemus, si quid petierimus secundum voluntatē eius, nos audire.* Alioqui preces nostræ, & vota nostra nobis in peccatū, & exitiū cedunt, & cōuertuntur Ps. 109 v. 7. Probet igitur Bellarminus esse secundū Dei voluntatē, vt pij perpetuā virginitatē uoueat. At hoc negat, manifestē enim col. 1255. L. C. scribit hoc non esse præceptum Christi, sed duntaxat consilium, si quis sequi illud velit.

Cateruam Patrum, quā producit Bellarminus, vt probet celibatū esse in nostra potestate, totā illi eripimus, in nostra verò castra, velut supplementum, traducimus. Patres enim illi omnes hoc solum docent & contendunt, non ab inuitis, sed à uolentibus promittendam hanc continentia custodiam. Volentes autem appellant non quosuis, qui etiam eam pollicentur: sed solos eos, qui Dei Spiritus instinctu & impulsu commoti & serid affecti sentiunt sese & à Deo impelli, vt hoc agant & petant: & ipsis testante eodem Spiritu Dei, sperant hoc Dei donum fore sibi perpetuum. Sed vt hæ sententiæ leniunt, mitigant ac cohibent temeritatē eorum, qui statim, neque sese prius excussis, Virginitatē perpetuā uouent: sic nullū ex Dei uerbo locum aut fundamentum ponūt, vnde isti uouentes sint certi hoc Dei donum fore sibi perpetuū. Itaque istæ sunt Patrum diuinationes, non ueræ rationes, quas sequi periculosum est, quemadmodum Monachorum scortationes quouis tempore probant, ac probarunt, & Sodomiaæ foedissimæ.

Respondere conatur iste ad locos sibi obiectos
 Primum ait ad Sap. 8. vers. 21. illic agi de continen-
 tia coniugali. Respōdeo ne librum quidem ipsum
 aspexit, quum hæc chartis illineret Bellarminus,
 vel non habuit oculos, vt ipse loquitur, & D. Eras-
 mo exprobrat. Illic enim non plus de continen-
 tia coniugij, aut in coniugio agitur, quàm de effedis
 Britannicis, aut carrucis Germanicis. Sed quam
 vocem *contimens* iste ex errore veteris versionis
 vertit, illa est *compos* reddenda. Ostenditur enim
 solos sapientiæ diuinæ fieri compotes eos, qui hoc
 donum à Deo habent. Sed, vt i monui, locū hunc
 ex Sapientia non profulimus, tum quia liber est
 Apocryphus, tum quia locus ille profus est ad hoc
 argumentum exoticus, & extraneus.

Ad locum Math. 19. vers. 11. Negat verbum *capax*
capere significare *capacem & capabilem esse*, quod ad
 naturam & voluntatem, sed tantum quod ad effe-
 ctum & præstationem. Ergo omnes ait sunt capa-
 ces quod ad voluntatem istius Christi dicti, *non*
expedit nubere, aut uxorem ducere. Respondeo, Ne-
 que à nobis, neque à Christo, natura humana dici-
 tur per sese incapax huius doni Dei esse, (nam nõ-
 nullis datum est) sed contendimus eos solos esse
 illius capaces & quod ad velle, & quod ad præsta-
 re, quibus id Deus peculiari dono & gratia contu-
 lit, & confert, vt sint continentes, 1. Corinth. 7. v.
 7. & 9. Ergo vera est nostra interpretatio, Bellar-
 mini falsa, qui singulos, si velint, fieri posse conti-
 nentes affirmat, sacrilegus in Deum, illique eri-
 piens, dum vult in homines esse munificus, quod
 Dei donum est, & libero arbitrio tribuens.

Ad Matthæi c. 19. v. 12. *Qui potest capere capiat* hugatur tantum & rem inuoluit, dum tenebras & fumum claræ Christi sententiæ offundit, Primum ex varia & incerta, vt vult iste, interpretatione huius loci: deinde ex vana & inutili distinctione hoc loco inter *Remotam & proximam* potentiam. Est enim hæc plana & vera mens Christi, eos, quibus hoc donum Deus dederit Continentiæ, vt cōiuges fieri non habeant necesse, debere sese Deo vouere totos, & eo Dei dono vti, quamuis fortassis aliæ cogitationes illis obrepâr, velut de opibus futuris hoc pacto minoribus, nulla sua prole sic relinquenda, de assumendis affinibus, & aliis huiusmodi rebus ac tentationibus.

Ad locum 1. Corinth. 7. v. 7. & 37. nihil respōdet Bell. quia nihil potest. Tātū variis interpretationibus suo more perspicuum S. scripturæ testimoniū inuoluit & obscurat, ne quam inde certam doctrinam hauriamus, tam est malignus.

Similitudo P. Martyris fuit aptissima. Nā sicut qui propter morbū agrotat, excusatur à promisso Pauperibus obsequio: sic qui coniugij appetitū & iaculis peritur & vulneratur, à Voto promissæ continentiæ liberatur. Nā vt morbus, sic ille coniugij vehemens & diuturnus pruritus est iustū impedimentū: nō est vtrūque in nostra potestate vincere: nō est & votū de obsequio pauperibus præstādo, & votū de Coniugio vitādo necessariū ad salutē. Sed vt peccat qui agrotans nō quærit Medicum, & sui morbi remediū: sic peccat qui cōtinere nō valens nō quærit remediū sibi à Deo summo Animorū Medico paratum & constitutum, nempe Matri-

monium, Habet igitur iam Bellarminus ad omnia & singula argumenta sua responsum, ne se neglectum à nobis, & cōtemptum aut obiter tractatum conqueratur.

Ad Cap. xxxii.

Iam verò nostri ex variis istius celibatus incommodis, quæ sentit genus humanum, eum repudiant ac merito reiiciunt, nisi si cui Deus peculiariter (quod rarum est) donum Continentiæ largitus fuerit, eximiæque, præter cæteros pios, sibi inserviret, regnum suum amplificaret, non autem ut delitescens in claustro ad delitiandum & cantilandandum, (quæ duo solum faciunt Monachi) miser & tenebrius concluderetur.

Primum incommodum & ἀκόμων istius Monasterii celibatus est. Quod illa sapientissima Distinctio sexus in genere humano à Deo facta, præceptum de crescendo & sibi simile gignendo traditum hominibus à Deo, Genes. 1. & 2. vel tollitur omnino, vel inefficax & inutile evadit, ac redditur. Respondet Bellarminus, satis esse, quod homines nonnulli alios generent. Respondeo, etsi nullum præceptum singulis hominibus de contrahendo coniugio traditum est à Deo: tamen nulla quoque lex seu laqueus hominum conscientiis est iniiciendus, ut coniugio abstineant, 1. Corinth. 7. v. 35. Quem laqueum Monachi tamen, & eorum dogma innectit.

Secundum incommodum, si sic statuatur apud se omnes perituum est brevis genus humanum. Respondet iste ex Hieronymo nequaquam hoc metuen-

metuendum esse. Pauci enim & rari omnino hoc vitæ genus semper sunt amplexuri. Respondeo. At ipse contrâ. Nam ex ipsius sententiâ, si hoc periculum iuste timeatur & prævideatur, tunc concedendum est Monachis, & Monialibus, ut contrahant coniugium, & votum suum deserant. Deinde cur in re, quam Deus nobis liberam esse voluit, legem & necessitatem nobis homines ex suis traditionibus imponunt? Mat. 15. v. 9. Colos. 2. v. 23.

Tertium incommodum est, Christianorû paucitas, propter tot Monachorû collegia, adeo ut vix iam Turcis resistamus. Respōdet. Fuerūt examina Monachorum sub Carolo Magno varia, & tamē Christiani numerosiores erāt, quā infideles, iisque resistebant. Respondeo, Imo & Valens Imperator & Republicæ bene moratæ genus istud otiosorum, & lucifugarum hominum semper cohibuerunt, retraxerunt aut sustulerunt. Sunt enim isti Monachi faci inertes, qui in otio, vmbra, hortis delitescunt & delitiantes Apum & honestarum familiarum opes, & labores consumūt, *γὰρ εἰς ἀποδοῦναι de quibus recte illud vsurpatur, Cretes semper mendaces, ventri dediti, fera bestia & mala, Tit. 1. v. 12.* pretextu pietatis domos & mulierculas deorantes & exedentes, Mat. 23. v. 42. Tim. 3. v. 6. 2. Pe. 2. v. 30. *propterea Fratres & mendicantes & manducantes dicti.*

Quartum incōmodum, Multi sunt morbi non alio, quàm coniugij vsu, medicabiles, Nemo verò in se sæuus esse debet, Ephes. 5. ver. 29. Respondet Bellarminus variè, sicut solet, quum se expedire non potest. Primū negat tales morbos incidere

posse. Id quod falsum est. Nam & morbus *Regius* qui & Flauissa dicitur, & infiniti pene alij ex feminis retentione gignuntur periculosissimi, & solo vsu coniugij sanabiles. Deinde respondet, etsi tales morbi oriantur, non esse tamen Votum Continentiæ violandum ex Bonauëtura in lib. 4. Dist. 38. quæst. vlt. Arti. 2. Respondeo, quum non sit tunc legitimum illud Votum, & possibile, est rescindendum. Nam Sabbatum propter hominem non homo propter Sabbatum conditus est. Marc. 2. v. 27. ita & Votum, & Continentia. Denique quum quis vritur coniugari debet 1. Corint. 7.

Quintum incommodum est, Celibatus istius Votum repugnat honestæ & naturali propensione de gignenda prole à Deo homini etiam adhuc puro insitæ: Quamobrem hoc Votum & naturæ, & legi Dei repugnat, estque contrarium. Respondet sic Bellarminus, vt plane se, suosque hoc argumento premi, & obteri demonstraret. Nam & varias solutiones affert aliorum, quas tamè ipse improbat (vt omnibus illis doctior censeatur) & in luto hæret ipsemet. Agnoscit enim nefas esse, vti seipsum occidere, Thoma teste in secunda secundæ quæst. 64. Artic. 5. sic propensionem illam honestam de liberis & prole procreanda in seipso extinguere. Tandem postquam se diu, & multum in vtramque versauit partem, ait, Celibatus Votum esse contra naturalem inclinationem quod ad res à nobis naturaliter appetitas: non autem esse cõtra naturalem inclinationem, quatenus homo celestia potius, quàm terrena expetere debet, & hæc illis præfert. R. frustra est tota hæc distinctio, & est effugium. Nam quum

quum & qui vxorem ducunt, non peccent: & qui non ducunt, itidem non peccent, 1. Corin. 7. v. 28. temere Votū hoc celibatus fuit institutū. Primū tanquā diuini cultus pars, quū illud nō exigat Dominus, sed tantū propter instantē necessitatē hoc illi prætulerit Paulus 1. Corin. 7. v. 25. & 26. Deinde iis, qui continere non possunt, neque, hoc Dei donum habeat, ex 1. Corin. 7. v. 7. Mat. 19. v. 11. in pie legem Voti illius seruandi dico imponi, & laqueum istum eorum conscientijs, contra Pauli præceptum, iniici 1. Corin. 7. v. 35. quum honestus sit ille coniugij legitimi appetitus Hebr. 13. v. 4.

Sexta ratio nostra. Virginitas non est Virtus: sed res iudifferens, 1. Corin. v. 36. 37. ergo Votum de ea præcise seruanda non est necessarium, neque Deo gratum, vt pote non præceptum.

Respondet Bel. Virginitatē, vt est sola à cōiugio abstinētia, non esse Virtutē: vt fit ad maiorem libidinis refrēnationē ex Voto emisso, esse Virtutē. Respondeo votū ipsum perpetuę Virginitatis cōceptum nequaquam hominis Vouentis libidinem coercet: aut refranat: sed solum Dei donum. Quod quum non sit in nostra potestate, voueri neque debet, neque potest, Numer. 30. Ergo ne sic quidē Virginitas perpetua voueri potest à nobis: nec ad eam transerendum est illud, quod est Spiritus Sancti opus proprium: neque Virtus dici propterea potest.

Quod ad Erasmi in colloquio *Proci & puella* sententiam, ea docet fructum etiam distinctionis istius sexus in humano genere esse hunc, vt fœmina suam, quum potest fœtum & ipsa pariat, &

ædat, quando ad ætatē & nobiles annos peruenit,
 atque eum esse vberimum, ad quem Deus scemi-
 nas procreauit, fructum. Nempe cum Paulo i. Ti-
 mōt. cap. 2. v. 15. Sed festiuē Erasmus hæc, vt reli-
 qua omnia in Colloquiis suis. (eratque ille festiuo
 & læto vir ingenio) scripsit. Displicet isti Monacho
 bardo Bellarmino & batavæ auris homini. Deli-
 derij Erasmi eloquentia, lepos, & festiuitas seu fer-
 monis suauitas. Itaque eum Canem, & Porcum
 contumeliose vocat. At verò vbi Canes & Por-
 ci isti, nisi in putidis Hæsitaram claustris, in qui-
 bus omnia ipsam Sodomiam redolent. Imo quis
 nescit ex Abelonitarū hæreticorum, quos in libro
 de Hæresibus dāmnat Augustinus, lacunis ortam
 esse tantam istam Virginitatis & Continentiæ
 laudem & commendationem? Nihil autem, nisi
 conuitia & nugas respondet Bellarminus. Itaque
 prætermittendus est.

Ad Cap. xxxiii.

Conciliorum fidem, quæ nos pro ipsa veritate
 proferimus, eleuat non refutat Bellarm. hoc
 toto capite, si potest ille quidem: sed non potest.

Ancyranum Concilium c. 19. neque excommu-
 nicat eos, qui post Votum emissum, coniugium cō-
 traxerunt: nec eorum matrimonium soluit. Re-
 spondet Bell. quia nullum est: Deinde quia multa
 facienda damnantur, quæ facta tolerantur, ex re-
 gulis iuris Ciuilis & Canonici.

Respondeo, imo coniugium verum & legiti-
 mum ab his, sicut à Bigamis (quibus à Concilio
 cōparantur) contrahi ex verbis Concilij apparet.
 Nam disertè dicitur Professionem & Votum ab
 his con-

his contemni, sicut & in can. *Quotquot* 27. quæst. 1. & minime debuit tolerare Conciliū piū, quod directè aduersus Dei præceptum fieret. Non sunt enim (quicquid regula illa iuris allegata statuat) vnquam à piis faciēda, aut tolerāda mala, vt bona eueniant, ait Paulus Rom. 3. v. 8. Ergo quū tolleratur (licet temeritatem & leuitatem damnet) non censet, aut putat Conciliū Coniugium illud cōtra Dei præceptam contrahi: vt neque Paulus in viduis iunioribus censuit, 1. Tim. 5. ver. 12. ex quo fit, vt qui contra scribunt, & sentiunt, qualis hic, sint merito damnandi.

Secundum Conciliū est Gangrense, c. 9. & c. 10. vbi damnantur, qui idcirco Continentiæ Votum probant, quia nuptias & Coniugium damnant, quod & Syricius Papa docuit, & ex Syricio isti omnes: Item damnat idem Conciliū eos, qui se quia Virgines sunt, preferunt piis coniugatis, sicut elamose Monachi isti faciunt. Respondet Bellarminus. Nos esse impudentes, dum hos canones proferimus, quia nihil tale habent, & continent, Respondeo, legantur ipsi illi canones, vt etiam in can. *Si quis propter Deum*, & can. seq. *Dist. 30.* extant, quod hic dicimus, verissimum esse apparebit. Sed impudens est iste Monachus, qui quæ legit, non intelligens alios calumniatur eadem inuincere capere & intelligere. Potius illi & sua, & suorū sententia corrigenda erat, & reuocanda quàm in nos & in Conciliū tam sanctum debacchandū, illudque si gillandum.

Tertiū Conciliū est Chalcedonēse c. 6. quod neq; cōiugia ista etiam inter Monachū & Monialē

contracta soluit: neque esse graue peccatum iudicat, quum velit eos propterea excommunicatos statim absolui, can. *Si qua virgo* 27. quæst. 1. Respondet Bellar. Demum in articulo mortis iuberi eos absolui, & si à contracto cōiugio discesserint. Respondeo, Hoc totum est diuinare, non solucere: & oculos, vt ipse Bellar. loquitur, non habere, legere nempe quæ nequaquam ibi scripta sunt, & quæ ibi sunt, prætermittere: quæ nusquam scripta extant, affingere, quasque ibi extarent, proferre, & affirmare. Deus tibi Bellarmine, & mentem, & oculos det sanos & perspicaces, non hebetes, quales habes.

Ad Cap. xxxiv.

Patrum testimonia sequuntur omnium, qui ante corruptissimam veram ecclesiæ doctrinam. Sic autem pro nobis militant, vt ea ne fumo quidem villo obscurare, & obducere Bellarminus potuerit, quantumuis omnem in eo lapidem mouerit, & nebulas, quasquæque potuit, obiecerit. Ac primum Prophetæ, & Apostoli producuntur à nobis, qui sunt Patres Patrum, qui coniuges fuerunt in ipso suo Ministerio sacro. Ergo neque cælibatus postulandus est ab eo, qui Ministerio ecclesiastico fungi velit: neque à Deo, Christoque requiritur. Prophetæ omnes fuerunt coniuges, Moses Exod. 2. vers. 17. Isaias, Oseas, & cæteri. Apostoli itidem omnes. Nam quod nonnulli Paulum, & Iohannem excipiunt. Clemens Alexandrinus refellit. Docet enim li. 3. Strommaton Paulum vxorem, vt & Petrum, duxisse. Iohannem Virginem fuisse quis credit, quum & familiam & domum seorsim haberet.

rit suam, & in eam Virginem Mariam abduxerit post Christi mortem. Id quod nō fuisset honestū, neque sine suspitione, si Iohannes vxore caruisset Ioh. 19. v. 27. Quare fuerunt coniuges Apostoli omnes, teste etiam Paulo, qui eos viderat 1. Cor. 9. v. 5. & fratres Christi quoque. Ignatius in epistol. ad Philippenses. Quid respondet Bellarminus? Negat hæc, quæ à Beato Paulo, à Clemente Stromateo, & ab Ignatio (qui vicinus fuit Apostolorum temporibus) scripta sunt, vera esse, quoniam ait vultque Hieronymus contra Iovinianum probabiliter credi eos vel cœlibes fuisse, vel vxores repudiasse suas, quū Apostoli esse ceperunt, ex mutuo, id est, suo, & suarum vxorum consensu. Respondeo, Hoc est planè diuinare, & quidem absurda, & contra S. Scripturæ verba expressa. Nam & Cepham, id est, Petrum, & reliquos Apostolos coniuges fuisse etiam post Christi mortem, & vxores suas secum circumduxisse tradit disertè, docetque Paulus 1. Corinth. 9. vers. 5.

Sed neque, quum coniuges essent, suas vxores, citra causam adulterij, repudiare eos potuisse docet Christus ipse Math. 19. v. 9. Ergo tota solutio, diuinatioque Hieronymi & Bellarmi, falsa & cōmentitia prorsus apparet. Nec locum Math. 19. v. 27. intelligit, *Ecce nos reliquimus omnia*, nempe affectu, non re ipsa. Nam & domos, & retia, & nauigia sua retinebant Iohan. 19. vers. 27. 21. vers. 3. & vxores 1. Corinth. 9. vers. 5. suas Apostoli, etiā post mortem Christi, & sacrum illud suum Ministerium exercentes.

Ignatij in epistola ad Philippenses testimoniū,

Iustini Martyris in Apologia secunda, Dionysij Corinthij apud Eusebium lib. 4. cap. 23. historiae, Irenaei lib. 1. cap. 9. & 31. qui omnes sanctissimi Patres, & Apostolos coniuges fuisse docent, & Legē cœlibatus Ministris Ecclesiasticis nec olim in Ecclesia Christiana fuisse impositam, nec imponendam tradunt, hæc inquam, testimonia omnia verissima vel irridet tantum, vel cludit Bellarminus, quoniam his respondere nullo pacto potest. Sed aperta sunt illa testimonia, & eum opprimunt.

Clemens Alexandrinus lib. 3. Strommaton, & lib. 1. Pædagogici cap. 10. totus noster est, & istum in Ministris Ecclesiasticis cœlibatum, illiusque votum omnino repudiat. Bellarminus verò diuinat hîc quoque, repudiatas nempe fuisse post Ministerium susceptum eiusmodi vxores citra tamē adulterium. Quis sic elabi diuinando non potest? Certè nemo non. Sed hoc probandū est tibi Bellarmine, non diuinandum.

Tertullianum vti supra nostris aduersariis eripimus: sic nunc in nostras partes traducimus. Eripimus, dum ex ipsius libro de Velandis Virginibus ostendimus, eum non de Monialibus (quæ nec illo seculo, nec diu postea, in orbe terrarum extiterunt) agere: sed de nonnullis duntaxat, Christianis Virginibus, quæ Mundi seu seculi luxum exole, in suis, aut paternis ædibus singulæ solitariae viuebant, vt hic ipse fatetur, & scribit Bellarminus, columna 1273. L. B. S. *Respondet* nullisdum Monasteriis conclusæ: sed viuebant sine voto continentiaæ perpetuae, liberae, & sui iuris

ris, Cyprianus in Epistola ad Pomponium, hoc solo seculi odium professæ, quòd dum domo egrediebantur, velatæ erant, & sic incedebant. Traducit eos in nostra castra iam P. Martyr, & quanvis cum suis, sibi que studiosè retinere velit, & conetur Bellarminus, non potest. Apertè enim docet in lib. de Monogamia, Viduas iuniores etiam post votum ex Pauli præcepto, 1. Tim. 5. ver. 12. eo tempore nubere potuisse, & hoc ipsum quoque verum esse fatetur ipsemet Bellarminus, columna 1267. L. A.

Origenes in Commentariis in Epistolam ad Roman. cap. 12. in Matth. 19. & 23. totus noster est, & nuptiæ mirificè inter Christianos extollit. Respondet Bellarminus, & suos quoque id facere, dū eas falso sacramentum esse contendunt. Respondeo, Incidunt in Scyllam, dum cupiūt vitare Charybdin: Nam nuptias vt actum, & opus carnis dānantes vnā ex parte, & infra tartarum deiicientes, ex altera in cælum vsque sublimant, & euehunt: ecquæ obsecro, & quanta ista in Theologis leuitas est. Sed si illis Nuptiæ sunt sacramentum, cur eas suis Clericis, & Ministris sanctis interdiciunt?

Cyprianus in Epistola ad Pomponium, & libro de Singularitate Clericorum. Virgines etiam post votum nubere posse testatur ex eo Pauli loco 1. Corinth. 7. ver. 9. melius est nubere, quàm vri. Bellarminus ait Cyprianum intelligendum de iis Virginibus, quæ nondum continentiam vouerunt. R. Imò Cypriani verba manifestè contrariū docēt. Sed & tempore Cypriani, sicut neque Tertulliani, nec vota ista, nec Moniales, nec Mona-

steria vlla erant : nec multis postea seculis nota, conditave ista fuere.

Eusebius lib. 4. de Vita Constantini Magni docet istam Virginum consecrationem sub Constantino Magno cœpisse: quare prius non erat.

Athanasius in Epistola ad Dracontium ait potuisse Monachos, & Presbyteros, si vellent, liberos gignere. Ergo cœlibatus nondum iis erat indictus, velut pugnans cum Ministerio Ecclesiastico, aut cum Vita perfecta.

Basilus Magnus lib. de Virginitate suadet Virginibus etiam post votum potius sanctè cum Maritis, quibus nubant, viuere: quàm per lasciuiam in Virginitate illa quenquam offendere: Item ex quæst. xv. idem colligitur.

Ad hæc omnia nihil respondet iste, nisi hæc nõ dici, & scribi de iis, qui, quæve iam vouerant. Respondeo, extant libri, extant scripta, extant tabulae, aperiantur, legantur, consulatur, quod nos dicimus. id verum esse apparebit. Exhortantur quidem illi Patres eos, qui Continentiam vouerunt, si possint, maximè vt studeant suum votum seruare, in eos inuehuntur, eos increpant, citant ad Dei tribunal, vt id contentur, & velint, præmia vitæ æternæ iisdem proponunt. Quòd si rebus omnibus tentatis continere non possunt, malunt vt coniuges fiant, quàm vt vrantur. Gelasius 1. Epist. prima. cap. 23. Sed non est tam prudens iste, vt hæc patienter legat, præceptis, & abreptus est suo de voto perpetuæ Continentiæ omnino seruando, grauissimo errore, & fascino.

Nazianzenus, etsi istis Virginitatis Rhetoricationibus,

tionibus, vti fuit orator, ac vehemens, encomiis plus satis tribuit, tamen noster est, vbi nuptias tantopere laudat ipse, & ad eas suadet. Quin & ipse ex Patre iam Episcopo natus erat. Ex quo facile probatur, nec cœlibatum tunc à Ministris Ecclesiasticis fuisse postulatum, nec vxores fuisse ab iis suas repudiatas, sed retentas.

Hilarius noster est tum in Matthæum, cap. 19. tum in Psal. 64. vbi laudat vota dantaxat ea, quæ religiosa sunt, à veteri Ecclesia probata sunt, non autem quæuis, id est, sola Dei verbo scripto præcepta, quale istud certè quidem minimè est.

Epiphanius Hæresi 48. negat huius voti Continentiæ perpetuæ vllam necessitatem hominum conscientis imponendam. Item hæresi 61. ait melius etiam Virgines, & cœlibes post votum coniugari, quàm vri.

Respondet fabulas Bellarminus, nempe posse omnes, si velint, continere, si in precibus laborèt. Respondeo, Ista esse ægri hominis somnia, & Paulo repugnantia, qui donum Continentiæ à solo Deo esse, non à nobis emanare scribit, & testatur, 1. Corinth. 7. ver. 7. Deinde fatetur Bellarminus, col. 1270. L. D. §. Respondeo. ex Epiphanio melius esse etiam post votum cœceptum contrahere matrimonium, quàm scortari. Atq; hæc ipsa in Monasteriis scortatio post errorem istum, de cogendis hominibus etiam inuitis seruare continentiam, receptum contingit istis, & vt potius scortentur, & Sodomitentur, quàm coniuges esse concedantur. Itaque Epiphanio contradicunt, qui ista coniugia non soluit. Sed & in Epiphaniij sententiâ manifesti.

nifestissima explicanda Bellar. diuinat, & suas præsuppositiones, & coniecturas, nimirum in rebus Theologicis, nobis affert, & obtrudit pro veris sententiis. Ineptè. Chrysoftomus, etsi in istis Virginitatis laudibus multus, tamen & nuptias ipse quoque commendat, & in Homilia De Cohabitatione Regularium suadet etiam post votum potius nubere, quàm vri, vel lasciuire, & scortari. Idè lib. 3. Aduersus Vituperatores Vitæ Monasticæ, istam in Monasteriis ex Voto piorum conclusionè damnat, & custodiam, tanquam inuitorum hominum incarcerationem odiosissimam. Quare fas esse scribit etiam post istius conclusionis Votum ei, qui volet, ex ea exire ac egredi. At verò Bellarminus hîc præsuppositionum, quas ipse credibiles vocat (ne illis fidem detrahamus) plaustro fingit, & inuehit, tunc temporis in claustris duo hominû genera fuisse, & vi. iste, Vnum eorum, qui sine voto illic erant: Alterum eorum, qui ex voto. Respondeo, Atqui de iis agit Chrysoftomus, qui ex voto illis in claustris manebant, & erant. Nam quod ex Epistola eiusdem VI. ad Theodorum affert, continet duntaxat exhortationem ad redeundum in Monasterium, non autem coactionè, vti nunc fit. Idem respondet ad dictum Theophylacti, Matt. 8.

Ambrosius varius est in hoc argumento, & tandem in errorem Syricij Papæ, cui æqualis fuit, de cœlibatu Ministrorû Ecclesiasticorû incidit, fulgore Romanæ sedis perstrictis mentis ipsius oculis, & delusis. Hieronymus, quantum fuerit ille primus autor Monialium in Occidète, & magnus istius erroris fautor, & autor, tamen in Epistola ad Demetriadè permittit etiam post votum Virginibus

nubere potius, quàm vri, licèt non semper sibi ipsi constet hic idem Hieronymus. Itidem in Epistola 47. eandem sententiam suam & retinet, & confirmat. Bellar. verò vult agi de Ancillis virginum, quæ voverant: non de ipsis virginibus. R. Sunt fabulæ istæ, & somnia, quæ habet, & scribit Bellarminus, vt aliqua rima elabatur, si potest. Verùm sorax iste se suo prodit indicio, & vanam esse suam istam solutionem ipsemet ostendit, quia ex verbis Hieronymi, quæ profert, apparet seorsim dari præcepta virginibus ipsis Vouëtibus, & earum ancillis seorsim. Fatetur quoque ipse, etiã malum est nubere post Votũ, minus tamen malũ esse, quàm scortari, quàm lasciuire, quàm offēdiculo esse col. 1273. L. B. Minus autem malum eligendum esse concedit idē: ergo nubere potius, quàm scortari virginibus post Votum oportet, si vratur, ex ipsamet Hieronymi & Bellarmini sententia.

Porro quàm ineptus & absurdus est, imo spurcus homo iste, dum hunc suum errorem tueri vult & conatur. Primum in eo, quod col. 1273. L. D. scribit, Peius esse post votum contrahere coniugium ac nubere, quàm scortari. Primum sibi contrarius est, & veram illam suam superiorem sententiam evertit. Præstat, aiebat, minus malum eligere, id est, ipso interprete, nubere post votum, quàm fornicari. Deinde in eo, quod addit, Eum, eamue, quæ post votum virginitalis perpetuæ scortatur, votũ illud tamen seruare posse. falsissimum enim est istud, & sibi contradicens manifestè. Nec enim votũ virginitalis seruat amplius, aut seruare potest, quæ scortatur. Est enim virgo ea, quæ & corpore,

& Animo casta est I. Corinth. 7. v. 34. Augusti. lib. I. Ciuitate Dei cap. 16. 17. 18. Basilius in prima oratione Ascetica. Tertio dum ait licere Virgini nubere post Votum simplex, non autem post Votum solemne. Respondeo, Quum Votum nostram apud Deum obligationem spe Æet: sit autem Deiratione idem Votum simplex & solemne, & perinde obligatorium, frustra ista distinctio affertur. Nam si post Votum simplex Deo conceptum (qui cor vel solùm, vel maximè spectat & intuetur, non verba, non res externas Mat. 5. v. 36.) nubere fas est virgini, ergo & post Votum solemne quoq; licet. Solemnitas enim ista non Dei, sed hominum tantùm ratione interponitur. Cõfirmatur nostra sententia Hieronymi & Augustini autoritate in cap. *Qui bona xvii. quæ. 1.*

Augustinus multis in locis hoc votum virginitatis perpetuæ exagitat libro de virginitate, ca. 40. & 41. vbi non esse omnium docet: cap. 34. melius nuberent, quæ propter votum non possunt, quàm vrerentur: Epif. 72. ad Bonifacium. Nuptias etiam post votum ratas esse, & legitimas pronuntiat: De Bono Coniugali cap. 21. fatetur se nolle præferre Virginitatē B. Iohannis coniugio Abrahami. Respõdet Bellar. falsum illum coccysum suum, posse omnes, si volunt, continere. Id quod negat Augustinus: & Paulus Philip. 2. ver. 13. Nam à Deo est, & velle, & perficere bonum. Respõdeo igitur istam Bellarmini depulsionem esse nugas. In cæteris dictis, & scriptis Augustini non videt, nec distinguit iste, quod iam diximus, videlicet Augustinum, & reliquos Patres exhortari quidē eos

eos, qui vouerūt, vt Votum, si possint, seruent: sin autem non possint, quoniam vruntur, velle Patres vt potius, quàm fornicentur Virgines istæ nubāt: sic etiam Panormitanus: in ca. *Rursus Ext. Qui Clerici, vel vouentes*: sic Innocētius, Ep. 2. Toletana Synodus l. c. 16. & Patres reliqui intelligēdi, vbi inter Votū Simplex & Solemne, nulla adhuc distinctio reperta fuerat, quam Scholastici otiosi postea cuderunt, Dominicus à Soto quæst. 2. Art. 5. de Iustitia & iure.

Leo primus Epistola 85. Papa Romanus etiam iam Episcopum eligere, ac ducere vxorem posse scribit. Bellarminus mutata vna vocula, nempe *de mulieris sacerdotis eligenda* in vocem *Eligendi*, totum locum malitiosè corrumpit. Sed aperta est sententia, & nihil Bellarminum fraudes istæ iuuare apud pios possunt. Est enim prope sacrilegium, bona & aperta Patrum scripta obscurare, vel corrumpere. Id quod vbique Bellarminus facit. Sed tam leui inclinatione tantum ictum declinare non potest.

Gregorius Magnus & ipse quoque Romanus Papa lib. 1. Epist. 42. scribit sibi durum & incōpetēs, videri, vt Subdiaconi à suis vxoribus arceātur, Nam in peius, inquit ille, cadēt, dū à licitis prohibētur. Hoc quū negare nō possit Bel. tā sunt manifesta Gregorij verba: ad alia dilabitur. & ipse non modo somniat (quod P. Martyri obiicit) sed etiam cōiuriatur, & maledicit viro pio, Christiano, & fratri suo. De quo apud Deū rationē est redditurus.

Gelasius primus Epif. c. 23. vetat ne viduis etiā post votū si cōtinere nō possūt, laqueus iniiciatur.

Nam nondum, ne Romæ quidem, iste rigor & tyrannus in conscientias inualuerat. Negat Bell. agi de viduis quæ vouerant cōtra ipsius textus verba.

Ad Cap. xxxv.

Dicimus ex Paulo I. Tim. 5. v. 9. non minor aetatis l. x. vidua vel cœlebs fœmina allegetur, & cōiugio interdicitur. Id cōfirmatur Cōcilio Romano c. 20. sub Syluestro primo, & Gregorij primi lib. 3. Epist. 11. Cōtra Bell. his omnibus repugnans ait in quacunque ætate licere viris & fœminis vouere Continentiã, Paupertatẽ, & obedientiã Monasticam, modo vsum rationis habéant. Rationes has affert, Bonum est viro iugum ab adolescentia portasse, Threnor. 3. v. 27. Sinite paruulos venire ad me Matt. 19. v. 14. Respondeo, Hoc est S. scripturæ illudere, locos istos ad Monachatum traducere. Nam agitur de afflictionibus à Deo immisissis, non sponte, vexandæ naturæ nostræ gratia, susceptis Threnor. c. 3. At apud Mathæum c. 19. ostenditur etiam fidelium filios quantumuis infantes adhuc, tamen iam ad Dei fœdus & Ecclesiam pertinere.

Iohannis Baptistæ exemplum nihil probat, quoniam est singulare: & sic à Deo disertè de Iohanne Baptista præceptum, ac prædictum fuerat, Malach. 4. v. 5. Is. 40. v. 3. Marc. 1. v. 3. Luc. 1. v. 17. & 80.

Mariam Virginem votum perpetuum vel omnino vouisse, vel ab ipsa adolescētia, est commentitium, & tralatitium, & somnium.

Quod de Antonio, Paulo, Hilarione, Benedicto, Francisco maribus affert Bell. itẽ de Tecla, Agnete Cæcilia, Agatha, faminis, nihil eum iuuat, quod adolescentulis liceat vouere. Nam & illi omnes iã ætate

etate grandes, & matura etate voverunt & non quid
 illi, illa voverint, tam nobis curandum est, quam quid
 Paulus seu potius Dei spiritus precipiat 1. Tim. 5. v. 9. cui potius est
 parendum, Patrum dicta non vrgent. Nam
 quum habeamus manifestum Dei verbum pro nobis,
 quid illi senserint, minime nobis est spectandum, pre-
 fertim quum Dei verbo contraria scribant, errore fa-
 scinati. Sed & in eo sibi ipsis quoque repugnant, ve-
 lut Concilium Casaraugustanum cap. vlt. Agathense c.
 13. requirunt XL. annos in feminis, Carthaginense 3.
 c. 4. Milenitanum c. 26. solum annos 25. Gregorius li. 1.
 Epi. 48. ampliat vsque ad annum 18. Canonistae vsque
 ad XIII. in c. *Ad nostram* Extra de Regularibus. Imo
 eo tandem vetum est, ut vel solo anno XII. etatis vove-
 res admitterentur, quae fuit manifestissima voti pro-
 fanatio, & tenerrimae illius etatis (quae facile in-
 scari & allici promissis solet) miserima deceptio,
 ut est in d. c. *Ad nostram*. Ext. de regularibus: pre-
 fertim quum tradant canonistae in d. c. ad vocem *Tri-
 dum* Votum Continentiae semel emissum sic Mo-
 nachi ossibus inhaerere, ut de eo dispensare ne sum-
 mus quidem Pontifex possit cap. *cum ad Monaste-
 rium*. Ext. de statu Monachorum.

Locum Pauli 1. Tim. 5. v. 9. detorquere a vero
 sensu nititur, sed non potest Bell. Illic agi de iis tam-
 tum viduis vult quae ab Ecclesia alebantur. Respondeo,
 falsum hoc. Agitur disertè de iis, quae diaconissae
 in Ecclesia erant, & pauperibus Dei ministrabant
 velut Phoebe Cenchræ Roman. 16. v. 1. Hoc pro-
 bant verba & loci & Pauli, ver. 9. *χῆρα καταλελειμμένη*
ἰδία ἀλλογετὺρ &c. ver. 10. Ad harum autem viduarum
 locum suppleendum isti suas Virgines substituerunt.

Quare quum Viduæ illæ (quarum imaginem Virgines iste gerunt) nō minores annis LX. allegi possint: nec ipsa earum effigies minoris ætatis esse debet, vt verè suum prototypum referat, & representet. Sed mentiri, quàm obmutescere pressus à veritate ipsa maault vbique Bellarminus.

Quas ad Concilij Romani locum & c. 10. & Gregorij Epistola XI. lib. 3. profert iste solutiones, nullius sunt momenti illæ. Negat enim, suo more, illud esse scriptum, quod expressè scriptum extat & apparet in Concilio, & apud Gregorium.

Ad Cap. xxxvi.

QUemadmodum superius caput: sic hoc quoque, & duo consequentia plena sunt absurditatum, & falsitatum. Itaque in istis non nugis, sed sententiis verbo Dei prorsus contrariis tuendis se & impium, & seditiosum ostendit Bellarminus. Impium, qui soluat quod Deus coniunxit, nēpe matrimonio inter se legitimo coniunctos, inf. c. 37. & 38. qui suam parentibus in filios potestatem eripiat, hoc capite 36. Seditiosum, qui filios armet, in maritos, seruos in Dominos suos, eosque ad pileum contra Dei præceptum vocet, Mat. 19. ve. 6. Num. 30. v. 6. 1. Tim. 6. v. 1. Ergo putat licere liberis in Patrum suorum potestate existētibus vouere Monastica omnia vota, inuitis parentibus. Quod perspicuè refutatur Numero. 30. ver. 6. Gangrensi Cōcil. c. 16. ca. *Si qui filij. dif. 30. ca. Manifestū* 33. q. 5.

Rationes Bellarmini, si quæ sunt, age iam audiamus: sed & Thomæ, in secunda secundæ quest. 8. Arti c. 8. ad 2. Homines isti, quia vident male funda-

fundatū suū dogma, primū conditionale faciunt, Nempe si filius, qui vouit, & ad annos pubertatis peruenerit, & non sit omnino Patri ad victum necessarius. Deinde fatentur apertè se nullum S. scripturæ textum pro sua sententia proferre posse. At istæ conditiones sunt astutæ sententiæ suæ reuocationes, Quomodo enim sciri potest, si talis filius est omnino Patri suo necessarius, nisi Pater prius interrogetur? Ergo erit semper in potestate Patris hoc filij sui votum, quātumuis solemne, reuocare. Præterea sicut inciuile est Iurisconsultum sine lege loqui, & quicquam deffinire: sic ineptum est, Virum Theologū de Religione absque Dei verbo quicquam statuere audere, vel velle. Sed isti Monachi & fratres non sunt tam acuti, vt tanta suæ sententiæ incommoda videant.

Porro loci, quos ex S. scriptura citat iste, velut Genes. 12. v. 1. *Egredere de terra tua*, Deuter. 33. v. 9. *Qui dixit Patri suo non noui te* Ps. 45. v. 11. *obliscere Patris tui*, Mat. 10. v. 37. *qui diligit Patrem suum plus quam me, non est me dignus*, plane sunt à *repositiōibus*, & in iis manifestè abutitur iste Dei verbo. Itaq; nomen Dei sumit in vanum: locus Geneseos, & Deuteronomij, & Matth. 10. monstrant Dei gloriæ & ipsius verbo ac præcepto tradito postpōnda esse à nobis omnia. Verum votum monachatus, hoc ipso teste, non est Dei præceptum. Locus ex Ps. 45. sancit vinculum coniugij, quod docet esse arctissimum, illudque summe laudat, & commendat. At votum Monachatus illud idem coniugium abrogat, tollit, deprimit, soluit an-

figurat.

Quod ad Concilium Toletanum x. cap. vii. Triburienſe c. 24. can. *Si in qualibet*, & can. *Fuel.* a 20. quaest. 2. illa sunt prorsus cum Dei verbo pugnantia, Numer. 30. v. 6. Imo etiam cum ipso iure naturæ. Potestatem enim suam parentibus in liberos extra casus à Deo præceptos, eripiunt, quam tamen sanxit Deus accuratissimè, Exod. 20. ver. 12. Ephes. 6. ver. 1. & omnium gentium leges confirmant.

Respondeo ad Patrum autoritates, Eas omnes pro nobis facere, Bellarminum oppugnare. Ostendunt enim eo solum casu contemnendum Parentum imperium, quò pugnat cù Dei verbo & præcepto. At nullum est, his omnibus testibus. Dei præceptum de Monachatu, eiusque voto suscipiendo. Quare tunc parentum autoritas expectanda erit, non, ut hic vult, contemnenda, & spernenda.

Quæ verò recitat ex Hieronymo ad Heliodorum, Ambrosio lib. 3. de Virgin. Augustino Epist. 38. ad Letum, & Bernardo Epistola iii. sunt meræ rhetoricationes & hyperbolæ: non seriæ Patrum sententiæ, neque etiam veræ.

Denique ratio à simili sumpta, liberi inuitis parentibus coniugium inire possunt, falsa est, ut docet Ambrosio lib. 1. c. 18. de Abrahamo: item coniux coniuge inuita, ad religionem transire potest, hæc quoque ratio falsa 1. Corint. 7. v. 5. Augustinus disertè in Epist. 199. ad Ediciam id posse fieri negat. Itaque quod ex isto fundamento sumitur, illique superstruitur, falsum est, & omnino caducum.

Quod ad solutionem nostri argumenti primi, quam

quam hic affert, illa nulla est. Non enim præcipit Deus cuiquam pio, vt Monachus & cucullatus fiat, idque voueat.

Secundum argumētum nostrum valet, Si qui in alterius potestate est, sine illius cōsensu vouere nō debet, Numer. 30. v. 6. can. *Manifestum* 33. quæst. 5. Ergo neq; filius familias sine Patris cōsensu, quo nīā est in eius, velut superioris, potestate. Respondet Bellar. excipi filios ab hac generali regula: R. Imo in ea maxime contineri, quia nullum est præcisum Christi præceptum de Monachatu vouēdo: & maxime à Deo sancita est Patris in liberos potestas, Exod. 20. v. 12. Deuter. 21. Prou. 6. v. 20. 21. 22. *Patres spernēs à coruis comedetur* Prou. 30. v. 17. *Honora Patrem tuum, & matrem tuam est primum præceptum Dei cū promissione*, Ephes. 6. v. 2. Colos. 3. v. 20.

Tertiū argumentū ex Gangrensi Concilio c. 16. non soluit. Restringit enim illud ad eos solos filios, qui omnino sunt parentibus suis ad victum illis quærendum necessarij, Respondeo. Imo Concilium nullam distinctionem adhibet, superstitionē istā in genere dānat, quā sequūtur hodie Monachi, & hic tuetur Bell. vt pretextu religionis & voti sui separent se à suis parētibus liberi. Quartū ex Basilij quæst. 15. argumētū, qui prohibet liberos absque consensu parentum ad votum Monachatus recipi, non soluit Bellarminus. sed tantum negatur. Ait Basilium loqui de filiis, qui sunt in Patris potestate, At omnes liberi sunt in Parentum suorū potestate, quacunque sint ætate, nisi ab iis fuerint Mancipari, non tantum illi, qui minores sunt xxv. annis. Ergo nisi fuerint emancipati,

nō possunt liberi Votum hoc vouere sine parentum consensu, vti neque minoribus de rebus possunt polliceri, & contrahere, toto Tit. iiii. §. De Patria potestate, & in Institutionibus.

Ad Cap. xxxvii.

ERRorem errori accumulat Bellarminus, Superiori capite Patriæ Potestatis à Deo constitutæ fines remouit, & terminos mouit, & sustulit Hoc, & sequenti capite vinculum coniugij à Deo iam seuerè sancitum, Gene. 2. v. 14. Mat. 19. v. 5. toties repetitum Roman. 7. ver. 2. 1. Corint, 7. v. 3. 4. Ephes. 5. v. 31. irritum facit, & soluit, ne quid intactum, ne quid integrum in Dei verbo relinquat, quod, si potest, non corrumpat, & conuellat: vt suo Romano Pōtifici, ipsiusque Monachis, locustis ex fumo Abyssi egressis gratificetur, quā mentiendo, quā blasphemando: quā Dei verbum euertendo, quā potest, oppugnando. Ne quid inexpertū, Bellarmine, frustra moriture relinquant.

Vult igitur, & contendit licere iam Coniugatis ex mutuo consensu suscipere votum perpetuæ continentiæ. Contra Paulus, qui ad tempus dūtaxat id fas esse fieri docet, 1. Corint. 7. v. 5. Respondet Bellarminus, Imo quod ait Paulus Coniugatos reuer ti simul debere, id à se scribi testatur Paulus ipse ex indulgentia, non ex imperio v. 6. ne propter incontinentiam fornicentur, si diu sic, alter coniux ab altero, separati vixerint. Respondeo vel teste, ipso Lombardo lib. 4. Sentent. Dist. 1. c. 7. Indulgentia, ac concessio ea, de qua illic agit Paulus, nō ad reuersionem coniugum pertinet, neque de ea intelligi debet: sed de toto superiore præcepto,
ver. 5.

ver. 5. *Ne fraudetis alius alium, &c.* Verum res ipsa, & mens Pauli aperta est, & probat, & ver. sequens, nempe septimus, declarat, verba hæc Pauli, *Hoc dico ex concessione, non ex imperio* referri ad totum illud, quod de habenda ab vnoquoque vxore sua scripserat, nimirum, ne quis existimet, aut existimaret præcisè Matrimonium à Paulo præcipi, quasi ^{ἀπλῶς} necessarium, singulis piis, & Christianis. Explicat igitur mentem suam Paulus, se videlicet id dixisse ex concessione, quod vnicuique concedat animaduertere, & obseruare, quid sit è re sua, vtrum illi melius est contrahere matrimonium, an non: prout est donum, quod à Deo vnusquisque habet, aut non habet. Hæc mens est Pauli. Non ex imperio præciso igitur coniugium Paulus præcipit.

Secundo loco profert Patres nonnullos suæ sententiæ suffragatores. Sed quos? Nempe qui post errorem illum de Monachatus sanctimonia (quo nihil iam tamen est impurius) recens natum, & receptum vixerunt, quibus hoc potius vt à Deo cōdonetur, precandum est, quod istius erroris patroni fuerint, laudādi, aut probādi, quod tale quidpiā senserint, & scripserint. Sed in Ecclesia Dei lapides, scænum, stipulam illi ædificarunt, non aurum, & argentum. Verum labi, & errare proprium est hominis. Inde tot quæstiones ineptæ, & perplexæ natæ, & decisiones sibi ipsis contrariæ, vt apparet in capite primo, & tertio, & aliis capitibus de Cōuersione Coniugatorum, & Tota 27. quæstio. 7.

Tertio loco Patrū, seu virorū honorū quædam exēpla in medium adducit, quæ perpēdenda sunt.

Primum affert Mariæ Virginis, & Iosephi exemplum, quos fingit ex mutuo consensu, & Voto Continentiam perpetuam vouisse: alioquin, ait, in Heluidij hæresin incidemus. Respondeo, Et si conceditur, quod iste petit, B. Mariam semper Virginem mansisse, ex voto tamen id fecisse pernegamus: sed quia donum continentiae Ioseph, & Maria tandiu se habere ex dono Dei senserunt, & experti sunt: quod Dei donum itidem non habent hi omnes: qui coniuges fuerint prius, si postea ex mutuo consensu votum perpetuæ Continentiæ seruandæ emittunt. Quare ab hoc exemplo (quod & singulare fuit, & absque voto) nequaquam ad vota est arguendū, nec quidpiā generaliter ex eo colligendū est. Neq; propterea erimus Heluidiani, vel sumus heretici, vt iste, nos calūniose vocat.

Secundum, & Tertium exemplum, & miracula, quæ ab Ammone, & Laico quodam ædita refert iste ex obscuris, & incertis autoribus, credat Iudæus apella: pij non credent, nisi si fortè tunc Sathanas Satanam eiecerit, vti sæpe & fecit, & facit. Sen. transformatur in Angelū lucis, teste Paulo, 2. Cor. II. x. 14. Idē ad reliqua miracula, quæ ex vanis, & superstitiosis scriptoribus profert, respondendū est.

Reliqua exempla conceduntur quidem, sed ex vana animi superstitione suscepta fuisse ista vota apparet: quoniam & contra Christi, & Pauli præceptum, 1. Corinth. 7. v. 5. Matth. 19. v. 9. & ex heresi illa iā suo seculo recepta miseri id vouere, nēpe Quod talia vota essent Deo, citra ipsius tamē verbū grata credētes: imò meritoria. Quod etiā ipsum fuit blasphemum, & Christi gratiam abolens.

Quarto loco rationē affert Bellarminus, Quod

quum tale votum fit ex mutuo consensu, nemini fit iniuria. Nam vterque coniux eam potestatem (quam alter in alterum habet) cedit volens. R. Eā potestatem neuter coniux cedere potest, quia Incontinentia (propter quam alter coniugum in alterum habet istam potestatem) & causa istius potestatis retinendę semper durat nihilominus. Ergo manente causa, manet & obligatio illa mutua debiti reddendi, exigendique, & effectum, id est, ista alterius in alterum potestas. Nec enim ista potestas est, similis potestati Domini in seruum, Patris in filium, quę cedi & à Domino, & à Patre potest: imò & vendi. Sed hæc mutua debiti reddendi, & exigendi obligatio, & potestas à neutro coniugum, nec ab vtroque cedi, vendi, alienariue ex mutuo consensu potest, quia fit contra Incontinentię malum & peccatum, aduersus quam ista potestas, & obligatio, est sola remedium. Ergo à solo Deo, vti contractum est coniugium, & institutum: sic ab eodem dissolui potest, solaque istius potestatis cedendę à coniugibus ratio hæc esset, si haberent certò hoc sibi à Deo reuelatum, & cœlitus. Se iam habere, & habituros porrò à Deo esse donum perpetuę Continentię seruandę. Alioqui & temerè, & contra Christi præceptū fit à cōiugibus istius obligationis & potestatis mutuo debiti, & reddendi & exigendi relaxatio, remissio, & cessio, etiā ex mutuo cōsēsu. Quod ignorauit antea, sed nūc à nobis discit.

Ad Cap. xxxviii.

Sed necdum superiores tres illi, & tam crassi errores Bellarmino sufficiunt, addit & quartum, Nimirū, Etiam per vota solennia solui, & irritum fieri matrimonium quidē etiā per verba de

præsenti contractum, sed nondum coitu consummatum. Cur id verò? Quia Alexander tertius, in cap. *Ex publico*, & Innocentius itidem tertius in cap. *Ex parte*. Extra *De Conuersione coniugatorum*, sic rescripserunt etiam sibiipsis Verbum Dei, & exempla maiorum obiicientes, suæque sententiæ contraria agnoscentes: sed errorem iam receptum retinentes, eumque veritati præferentes impiè.

Primum igitur fatetur Bellarminus diuersam esse doctorum virorum in ea re sententiam, etiam Catholicorum (quos vocat) suorum, velut Spésci. Deinde ineptè ipse ad locum, Matth. 19. ver. 9. *Quos Deus coniunxit homo non separet*, depellendū distinctionem comminisci cogitur, Nimirum, Vt distinguat Matrimonium ratum, ab eo quod fit per verba de præsentī. Quæ distinctio est falsa. Nā qui per verba de præsentī promittit, matrimoniū contrahit, L. 1. §. *De Sponsalibus*. cap. 1. & cap. *Tua fraternitati*. Extra *De Sponsalibus*, & *Matrimo. can.* Deinde opponitur. *Dist. 26.* Quod itidem ratum est, quia per verba de præsentī conceptum est. Ergo idem est coniugium, quod & ratum est, & fit per verba de præsentī.

Præterea contra omnium Iurisperitorū sententiam, contra ipsummet Petrum Lombardum totius scholæ suæ Magistrum, libro quarto, *Dist. 27.* capite quarto, & §. scribit iste non solo consensu, sed coitu coniugium contrahi. Atqui L. *Consensus*, §. *De Regulis iuris*, ait *Consensus, non coitus matrimonium facit*. Denique Lex Dei. Deut. 22. versic. vicésimoquarto ostendit, Sponsam sic Sponso, vt coniugem coniugi, obstringi, quæ præfertim

fertim per verba de præfenti promifit. In has igitur tot anguftias, & abfurditates coniiicit feſe Bellarminus, dum fuorum Pontificum Romanorum errorem (qui vinculum coniugij à Deo ipſo inſtitutum, Genef. 2. ver. 24. Prouerb. 2. ver. 17. ſoluit, & abruptit) grauiffimum tuetur.

Nam quod gloſſa in cap. *Ex publico*. Extra de *Conuerſione coniugatorum*, ait conſenſum eſſe conſummationem coniugij quòd ad eſſentiam : ſed coitum eſſe eiufdem conſummationem, quod ad Sacramentum, falſum eſt. Nec enim coniugium eſt ſacramentum: nec tum demum cepit Adamus eſſe maritus Euæ, poſtquam illam cognouit: ſed poſtquam Deus eam illi tradidit, Genef. 2. ver. 22. & 23. Atque hæc ſunt duntaxat præludia, & initia abſurditatum, quas ſecum habet, affertque, & quidem neceſſariò, hæc Bellarmini ſententia, nempe matrimonia per verba de præfenti facta, ideòque rata, ante coitum ſolui poſſe per Votum ſolemne de Continentia.

Reliquas Bellarmini ineptias audiamus.

Primum pag. 1285. L. C. §. *Probat*. ait, ex Concilij Tridentini ſeſſ. vicesimaquarta, can. 6. id licere conſtitutum, ac confirmatum eſt: item cap. *Ex publico*. Extra de *Conuerſione Coniugatorum*. & can. *Deſponſatam*. 27. quæſt. ſecunda. Ergo licet, idque bonâ conſcientiâ. Reſpondeo, Quum ex Deuter. 22. verſic. vicesimoquarto aliud ſtatuumdum, & ſtatutum ſit, & habeantur rata ſponſalia pro conſummato coniugio (itaque quæ ſponſa mœchatur eâdem, quâ iam coniux mulier, pœna puniatur) denique quum hæc Concilij, & reliquo-

rum sententia naturæ ipsius vocem hanc eueritat,
Consensus, non coitus matrimonium facit, nullius est
 momenti. Est igitur hæc prima Bellarmini ratio
 fallacia A non causa pro causa.

Secunda ratio ducitur à paucorum superstitio-
 forum hominum exemplis magnam partem etiam
 falsis, & confictis, vti Teclæ, Alexij, Leobardi, Eu-
 phrasie, quæ sponsæ à viris suis, & sponis diuerte-
 runt, & Votum, vt ait iste, Virginitatis perpetua
 vouerunt. Respondeo, Non exemplis, sed legibus
 & præceptis Christi est nobis Christianis viuen-
 dum. Ergo ad populum istas phaleras: & hanc va-
 riæ suæ lectionis ostentationem deferat brutus, &
 vanus iste Monachus. Nam & Simeon Metaphra-
 stes, & Gregorius, Turonensis, & Romanus fuerunt
 homines portentosæ in ea re superstitionis: itaque
 eorum iudicium nihili faciendum est.

Tertia Bellarmini ratio est duplex, Vna hæc,
 Quod à statu imperfectiori ad perfectiorem viro
 pio conscendere licet, modò fiat sine cuiusquam
 detrimento. Est autem Monachatus status perfe-
 ctior, quàm coniugium: & quum nondum est illud
 consummatum, nulli fit iniuria. Sponsa enim re-
 licta, alij nubere potest. Ergo, &c. Respondeo,
 Multipliciter in hac ratione Bellarminus peccat.

Primum falsa præsuppositione (quæ est fallacia
 A non causa) dum scribit Monachatum esse sta-
 tum vitæ perfectiorem, quàm Coniugium. Fal-
 sum hoc, i. Corinthior. septimo, versu, vicesimo
 septimo, *Alligatus es uxori*, inquit Paulus, *ne
 quere dissolutionem*. At idem Paulus tamen capite
 duodecimo, versu tricesimo primo, iubet nos am-
 bire

bire dona potiora. Iuberet igitur nos coniugatos
 relinquere nostras vxores, si hoc esset perfectius
 coram Deo. Deinde peccat Bellarminus fallacia
 A dicto secundum quid, &c. Quum enim in eadem
 Epist. & cap. v. 28. & 38. videtur præferre cœliba-
 tum coniugio Paulus, addit id se scribere solum
 propter inuitantes Ecclesiæ afflictiones, versu vi-
 cesimosexto, quod nos velit esse absque sollicitu-
 dine, & incommodis, versu tricesimosecundo: non
 quod hoc vitæ genus per se sit perfectius, aut Deo
 gratius, quemadmodum falso interpretatur Bel-
 larminus. Præterea sibi contradicit. Nam col. 1291.
 L. D. §. Secundo. ait iste, *Exemus non adfert perfectio-
 nē: sed præsupponit.* Denique idē hic peccat, Quod
 nullam iniuriam fieri putat ei, qui deseritur, siue
 sponsus sit, siue sponsa, propter istud superueniēs
 Continentiæ votum. Fit enim & Deo, & parti in-
 iūria, Deo, cuius vinculum soluitur, & institutio
 violatur. Nec enim eo modo rata, & per verba de
 præsentī contracta coniugia solui vult Deus: sed
 per solam scortationem, Matthæi 19. versu 9.
 Parti fit quoque iniuria desertæ, quia coniugium
 fit solo consensu, qui iam interuenerat, cap. *Tue
 fraternitati.* Ext. *De Sponsalibus.* Ergo parti deser-
 tæ suus iam coniux eripitur, & sua res. Itaque l. vlt.
C. Sponsalibus. pœna eiusmodi sponsarum suarum
 desertoribus est constituta, contra can. *Decreta
 Legalia.* 27. quæst. 2. Itaque nihil valet hæc prima
 Bellarmini ratio.

Sed nec secunda, quæ est hæc, Per Monasticam
 vitam homo spiritualiter moritur: ergo per eam
 soluitur multo magis Coniugium, quam per

corporalem mortem, per quam tamen illud perit, Roman. 7. ver. 2. & esse definit. Id quod idem non contingit per ordinem sacrum, velut Episcopatum; susceptum in Extravagant. Iohan. 21. capite *Antiqua. De Voto.* Respondeo, Primum inter hos ipsos Sententiariorum huius conclusionis connexio negatur, vti apparet ex diuersis sententiis eorum, velut Dominici à Soto in lib. 4. Lombardi, Dist. 27. quæst. 1. Artic. 4. & Caietani inter se planè contrariis, Tomo 1. opusculor. Tractatu 29. Ex eadem enim connexione, & ratione sequeretur, etiam coniugia iam consummata solui posse, quia etiam illa morte naturali, ac proinde morte spirituali, seu per Monachatum pereunt, cessant, ac solui debent. Ergo absurda est ista Bellarmini ratio, cuius connexum ab ipsis istius scholæ magistris negatur, aut controuertitur, & sic seipsam refutat ista ratiocinatio Bellarmini.

Deinde confutatur iste discipulus disertè à suo Magistro, quamcunque hæc distinctionem frustra afferat de discrimine rati, & consummati coniugij. Nam Lombardus libro quarto, Dist. 27. cap. 9. scribit in Sponsalibus per verba de præsentibus contractis inesse propriè coniugium, nec ea dissolui, sine vtriusque coniugis expresso consensu, posse, quantumuis Votum solemne de perpetua Continentia seruanda fuerit interpositum. Itaque iste & Papam suum Nicolaum in canon. *Scriptis.* 27. quæst. secunda, dictatoria seu Hesuistica auctoritate, (sicet vera scribentem, videlicet à solo Deo coniugia solui) temerè reprehendit: & de Coniugio & rato, & Consummato, quòd hæc sint Sacra-

Sacramenta, falso, & impiè præter & contra Dei verbum ineptit, & balbutit. Sed mentiri vbique mauult Bellar. quàm veritati cedere, aut se victū fateri, vel obmutescere, tam est effrons. Ergo neque quicquam valet hæc secunda eius ratio, sicut vident omnes pij, & cordati lectores ac viri, nullo præiudicio occupati.

Ad Cap. xxxix.

Vitam Eremiticam, & hoc solitarium, ne dicam agreste, ferum, & inhumanum vitæ genus probare, imo commendare nititur hoc capite Bellarminus, quod pugnat primum cum ipsissimo Dei verbo Gen. 2. vers. 18. *Non est bonum, ait Deus ipse, hominem, etiam tunc purum, esse solum. Ecclesiast. 4. vers. 10. Vix homini soli, quia si ceciderit, non est qui releuet eum: pugnat cum ipsa hominis definitione & natura. Est enim homo ζῷον πολιτικόν.* Animal ad societatem natum Ps. 107. vers. 36. & Ps. 122. Aristoteles lib. 1. Politicor. M. Tullius in extremo primo libro de Officiis: pugnat cum hominis officio, quod est vt alij alios iuueamus, nõ vt nobis soli viuamus Galat. 6. vers. 9. 10. 1. Petr. 4. vers. 11. *Ortus nostri, inquit, Cicero, partem patriæ, partem parentes, partem amici sibi vendicant. Homo sum, ait ille apud Terentium, humani à me nihil alienum puto.* Pugnat denique cum vera, Christianaque Religione, quæ in eo est, non vt abditimore ferarum, in lustris, ac syluis delitescamus: sed vt fratribus succurramus, viduas consolemur, ac visitemus, orphanis auxilio simus, teste Iacobo in epistola cap. 1. vers. 27. Itaque Tertullian. in Apolog. cap. 4. 2. negat Christianos esse syluicolas &

Eremitas.

Eremitas tamen tuetur Bellarminus. Nulla enim est tam falsa, tamque inepta sententia, cuius se patronum non profiteatur: illius rationes, si quæ sint audiamus. Nam hoc totum vitæ genus Basilii licet Monachatus fautor, tamen aperte tantquam verbo Dei contrarium damnauit in definitionibus latioribus Resp. 7.

Prima vero Bellarmini ratio est, Eremiticæ vitæ primi autores fuerunt viri pij & sancti, Elias 1. Reg. 19. & Iohannes Baptista, Luc. 1. v. 80. ergo & ipsa sancta est, & Deo grata. Respondeo falsum est Præsuppositum seu assumptum & Antecedens. Nam de Elia locus ipse & c. 19. Regum libri primi ostendit, eum non ex Voto, non ex instituto: sed ex necessitate, vt famem, ac persecutione impiæ mulieris Iesabelis vitaret, ad tempus in deserta, & quidem expresso Dei iussu se recepisse, sicut alij plerique. Hebr. 11. ver. 37. 38. De Iohanne Baptista, itidem locus ipse citatus ostendit non in perpetuum, sed ad tempus tantum in desertis eum fuisse, donec manifestaret sese Israelis, Luc. 1. ver. 80. vt hoc nouo, & insolito vitæ genere homines ad suam, id est, Dei doctrinam audiendam pelliceret, & Ecclesiæ vastitatem demonstraret. Sed neque sic ad tempus vixit Iohannes, vt alijs idem vitæ genus præscriberet, sed vt quod de se fuerat prædictum, impleret. Il. 40. Mach. 4. Marco teste cap. 1. ver. 2. 3. Denique ad totum hoc argumentum respondeo, si gratior esset Deo Vita Eremitica, quàm Cômunis & Politica, Iohânes vitæ genus duxit Deo gratius, quàm Christus,

ibus, qui Politicam vixit vitā, Luc. 7. v. 34. Id quod vel animo sentire, nedū, vt iste facit, profiteri & scribere est blasphemū. Quod autē de deserto, vinctu, Vestituque Iohānis Baptistæ scribitur nos accipimus vti & Calvinus, & Beza, sicut verba apud Euāgelistas sonant, ne hīc frustra Bellar. ingeniū suum ostendet ex alienis, id est, Petri Canisij laboribus: est autem hoc Iohannis exemplum Vnicum & singulare, ex quo nulla generalis regula duci, aut fingi, aut cudi debet, aut potest.

Secundo loco citat Bellarminus Patrum nonnullorum dicta pro vita Eremetica. Respondeo, Non quid Patres dixerint, sed quā bene, spectandum est à nobis piis. Probennt autem ipsi ex Dei verbo verum esse, quod hīc scribunt, & palmam obtinebunt. Alioqui sileant, & conticescant, cum pro nobis verbum Dei habeamus.

Cæterum à Dei verbo depulsus, id est, de suo, iustoque Theologorum præsidio Bellarminus, ad probabiles duntaxat quasdam, & eas etiam ex humana ratione deprumptas rationes recurrit. Quas omnes vel vno hoc flatu deiicere licet, Quod in definiendis rebus sacris, & Deo gratis, non quid humana ratio probet, sed quid ipsum Dei verbum scriptum statuatur, solū est nobis piis, & Christianis attēdēdū. Hoc docet Paul. Colo. 2. v. 23, qui hominū superstitiones, & ἐθελοθρησκείας variis speciosisque humanæ rationis coloribus fucari, & pingi solere scribit, & docet, nepe sapiētiae & cōtēplationis Dei, obediētiae Animi, Humilitatis Mortificationis Carnis (quos eosdem colores iste Vitæ Eremeticæ, vt illam nobis commendat, inducit,

& affingit.) Verùm nihilominus omnes istæ *θελο-
θρονειαι* sunt Deo execrabiles, & teste eodem Pau-
lo exosa. Rationes tamen istas Bellarmini au-
diamus.

Prima est ex Miraculis ab Eremitis æditis, præ-
fertim post eorum interitum. Respondeo, Nisi
res ea, ad quam confirmandam miracula proferun-
tur, vel fiunt, prius probetur pia, sancta, & Deo
grata (id quod de Eremiticæ vitæ genere nemo
vnquam effecerit, & probarit) nullius sunt momē-
ti miracula: neque illa sunt Dei, sed Satanæ opera.
Nam & Satanæ ad suas superstitiones etiam com-
mendandas Miraculis, ex iusto Dei in homines
superstitiosos iudicio, vititur, 2. Thessaloni. 2. v. 9.
10. Apocal. 16. v. 14. Ergo est hæc Bellarmini ratio
fallacia A non causa.

Secunda ratio, Eremitica Vita est culmen vitæ
religiøsæ. Respondeo, seipsum hîc euertit Bellar-
minus. Nam addit, *Eremitus non affert perfectionem,
sed præsupponit.* Cur igitur qui iam sunt perfecti
ad Eremitum confugiunt, si sunt perfecti. Deinde
præsupponit hanc vitam esse sanctam, quod fal-
sum est.

Tertia Bellarmini ratio est hæc, Austeritas vi-
tæ & solitudo sunt optima ad Deum contemplan-
dum media. Vtrumque verò summum est in vita
Eremitica: ergo illa & laudabilis est & probanda.
Nam & Christus oraturus secessit in desertum
Luc. 5. vers. 16. & Moses cum Deo in deserto col-
locutus est Exod. 24. Denique est vita Eremitica
tranquillitatis quidam portus: estque Animâ ea
optima, quæ sicca, sicut Monachi ipsi responde-
runt,

runt, id est, ieiuna. Addit Bellarminus etiam per ieiunium Deo pro peccatis satisfieri à nobis, quæ est horribilis & in Deum, & in Christum eius blasphemia. Nam Platonis, Iudæi Philonis, & philosophorum Ethnicorum dicta, vel exempla nihil moror, quum ab his nec exemplar vitæ, nec credendi regula sit petenda nobis Christianis. quam ea allegat hoc loco Bellarminus, velut suæ sententiæ fundamenta iustissima.

Respondeo, Primum in vniuersali & in genere, neque vitæ austeritatem neque solitudinem, neque aliud quidquam à Deo non præceptum, Deo gratum esse, aut esse verum medium Dei cõtemplandi, quum Deus oderit, & procul absit ab his rebus omnibus, quas non præcepit, Math. 15. vers. 9. Coloss. 2. vers. 23. Il. 1. vers. 11. 12. 13. Hierem. 6. vers. 20. In particulari verò respondeo, vitæ Eremiticæ austeritatē (qualis ab Hieronymo in epistolis ad Paulinum, & ad Nepotianū & ad Eustochium, & à Sozomeno lib. 6. cap. 34. & lib. 1. Histor. cap. 12. describitur) esse meram crudelitatem, ac sæuitiam in ipsamet naturam humanam ac vitam suam, quæ est pulcherrimum Dei donū. Itaque quenquam in seipsum & suam ipsius carnem sæuum esse vetat disertè Deus Prouerb. 11. vers. 17. vetat Paulus Ephes. 5. vers. 9. vetant primi Christiani Martyribus Christi, Eusebius lib. 5. ca. 2. Histor. Est enim hæc ipsa vitæ tanta austeritas magnum ad Deum contemplandum impedimentum, non adiumentum, de qua etiam in Homiliis in Hexameron conqueritur Basilii ipse. Itaque Hieronymus Tomo 1. epistola ad Nepotianum

eiusmodi vitæ austeritatem vocat ineptias & superstitiones.

Solitudinem autem Eremiticam, ac perpetuâ respõdeo esse matrem *αὐθαδείας*, vt inquit Plato, & peruicaciæ immanis animi, ac vitæ potius feritatem & labem, quàm laudem.

Quod ad locos S. Scripturæ, nempe Luc. 5. vers. 16. & Exo. 24. nihil vitam istam iuuant. Et si enim nonnunquã ad precandum ardētius secessit Christus: neque propterea tamē vitam Eremiticã ipse secutus est, aut suis Apostolis, & aliis Christianis vsquam præcepit. Præterea ad breuissimum tempus, non in perpetuum, quemadmodum Eremitæ faciunt & iste quoque vult, secessit Dominus noster Iesus Christus, *Vt verò homini soli*, vt est Eccl. 4. v. 10. Quod fecit semel in vita Moses & ex Dei præcepto, & ad 40. tãtum dies, nihil vrget nos, aut mouet. Nam hoc quum sit exemplum singulare, nulla ex eo generalis regula statuenda est. Denique vera Dei in his tertis contemplandi ac pene contrectandi media sunt longè ab ista solitudine diuersa. Sunt autem illa duo, nimirum Auditio verbi Diuini seu prædicatio assidua vt est Ps. 27. vers. 4. 5. Luc. 10. vers. 39. *Vnum hoc à Domino postulauit*, inquit Dauid, *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt contempler amœnitatem Iehouæ*, item Maria assidens ad pedes Iesu audiebat ipsius sermonem, non erat in Eremito. Hoc est primū Dei in hac vita & cognoscendi, & videndi, & contemplandi modium. Alterum, Vera fides in Christo. Nam in vno Christo (quem sola fide per verbi Dei prædicationem apprehendimus) Deum verè

verè, & vt agnoscendus est à nobis ad salutē, contem-
templamur. *Qui me videt, inquit Christus, Philip-
pe, videt & Patrem.* Iohann. 14. vers. 9. Quo vtroque
medio caret, ac priuatur Eremitica & solitaria Vi-
ta, & quidem prorsus, Nempe primum verbi Dei
prædicatione, quæ vni in solitudine nulla fit, &
qua caruisse Antonium Eremitam per 40. annos
scribit, & miratur Augustinus, ac proinde priua-
tur fide. Nam fides est ex auditu. Quomodo verò
audient absque prædicante? Roman. 10. vers. 14. &
17. Sic Iohannes Apostolus contra Bellarminum
in prima epistola cap. 1. per totum: & Euangelio c.
5. vers. 23. 17. vers. 3. ex sola verbi diuini prædica-
tione & fide, & nostram cum Deo vniōnem, &
illius contemplationem nasci, ac proficisci docet.
Ex quo fit, vt Eremitica vita illiusque austeritas
& solitudo sit à recta veri Dei contemplandi ra-
tione, ac mediis alienissima, contra quam scribit
hic Bellarminus.

Porro ad nostrorum argumenta respondere co-
natur etiam Bellarminus, sed leuiora duntaxat,
quæ selegit ipse: non autem ad grauissima, quæ
prætermisit, vt facilem de nobis victoriam repor-
taret. Sed fallitur. Nam nec leuiora ista soluit, aut
confutat iste.

Primum igitur obiicimus, Istos Eremitas Mos-
nachos esse *μὴ ἔσθ' ἄριστος*, & osores generis huma-
ni, contra quam decet pios & Christianos viros
Matth. 24. Hebr. 10. vers. 25. Respondet Bel-
larminus istos non odio generis humani hos se-
cessus quaerere, sed Dei amore. Respondet, At qui

idem Deus qui sese supra omnia diligi præcipit, vult quoque à nobis proximum diligi, iuvari, instrui, illique à nobis succurri, & subueniri Jac. 4. vers. 27. 1. Iohan. 3. vers. 17. 4. vers. 10. Quod nullo pacto Eremitæ viri & soli in desertis viuentes præstant, teste hoc ipso Bellarmino col. 1293. L. C. §. *Dices.* Ergo humanæ, imo Christianæ vitæ & charitatis officia deserunt & negligent, quod est proprium *ἠσέβητων*, & Timonum hominum. Non videt autem bardus homo Bellarminus, quæ Math. 24. vers. 26. *Nolite exire in desertum* contra vitam Eremiticam allegatur, duntaxat in argumentum proferri, ne aliud vitæ genus, aut salutis viam aliam quærant Christiani, quàm à Christo institutam. Quum autem Eremitica vita: & via nõ fuerit à Christo præcepta, nec iussa, est à piis fugienda. Habet igitur Bellar. mentem Magdeburgensium, quos vocat, Centuriatorum. Ad locum autem epistolæ ad Hebræos 10. vers. 25. *Non deserentes ecclesiam & cœtum*, nihil respondet iste, sed diuinat, more suo.

Ad secundum quoque nostrum argumentum, officia charitatis ab Eremitis istis deseri, nihil respondet Bellarminus. Imo illud totum verum esse concedit col. 1293. L. C. Tantùm excipit, priuatos homines ad charitatis officia erga alios nequaquam obligari, sed solos Ecclesiæ prælatos, velut Episcopos. Hi debent alios iuare, instruere, consolari. Respondeo, Ineptus est iste Theologus, qui non legerit officia illa charitatis: quæ ipse ad solos Prælatos restringit, à Paulo & Petro omnibus & singulis Christianis quoque toties præcipi

cipi Galat. 6. vers. 1. 2. Iac. 5. vers. 19. 1. Petr. 4. v. 11.

Ad tertium argumentum nostrum, *Va homini soli, quia si cecidit, nemo est qui eum releuet*, Ecclesiast. 4. vers. 10. nihil quoque respondet. Ait solum solos perfectos iam Eremitæ esse debere. At contra fit. Fiunt enim Eremitæ homines rusticani solum iam, idiotæ, imperiti, impoliti, feri, & agrestes: modò sint barbati, vt de illis verè istud dici, & in promptu haberi possit.

Barbatum est mentum, pariter tibi barbaramens est: Barbaries barba conuenit ista tua.

Quintum argumentum nostrum, sunt isti Eremitæ tam austerè viuentes in seipfos, & in carnem suam seui, contra Pauli præceptum Ephes. 5. vers. 29. & Prouerb. 11. vers. 17. idem dicitur. Respondet inficiando duntaxat Bellarminus, Respondet, Imo immanitas, inhumanitasque istorum in seipfos apparet ex Sozomeni lib. 6. cap. 34. & Hieronymi epistola ad Nepotianum, qui manifestè eam etiam damnat. Locum ex Coloss. 2. vers. 23. ne longa quidem manu attingit, aut suis quâtuor uis emissititiis oculis vidit Bellarminus.

Ad Quintum quoque nostrum argumentum de stillitis istis, quos damnamus, & qui in columbis habitabant, nihil respondet ipse. Nam quod ad exempla Prophetarum recurrit, qui aliquid sepe extraordinarie egerunt, velut Is. 20. Hier. 28. toto cælo fallitur. Nihil enim Prophetæ tunc egerè, nisi ex mādato Dei expressissimo: isti Eremitæ nihil ex Dei præcepto, sed omnia ex superstitionosa quadam animi sui *ἰδελοθρησκεία* olim susceperè, & nunc agunt.

Quæ de Simeone stilitæ, & columnario transcripta ex Theodoretæ Historia religiosa cap. 26. Bellarminus, illa sunt potius ex Rhetorum rhetoricationibus & flosculis ad voluptatem conficta, velut Theagenes & Chariclea Heliodori Thessalonicensis Episcopi: quàm ex historicorum legibus ad Veritatem scripta & expressa: sed his fabulosis narrationibus oblectare se voluit iste Palæphatus.

Ad Cap. XI.

Montra monstris addit Bellarminus & superstitutiones superstitutionibus accumulatur, ne nō videatur cuiusvis erroris, quantumvis crassi, patronus. Ac primū de Monachorū vestitu, qualem iam habet, eū vetustissimū esse profiteretur, & scribit hīc, à temporibus Dionysij, & Athanasij historiam repetens. Verūm Bellarminum, quod nondū didicit doceamus. Post annum Domini ccc. extitit Eustathius Cappadox Sebastia episcopus, homo portentosæ superstitutionis, qui in vestitu Monachorum, sicut hic Bellarminus, sanctitatem collocavit. Socrates lib. 2. Historiæ ca. 43. Itaque passim inualescebat error iste in Oriente, & Phrygia, vicinisque locis præsertim, donec circa annū Domini 333. Synodus Gangrensis hanc hæresin damnauit rotūde ca. 12. Nam in proæmio blasphemia quoque Monachorum recensetur, *ὅτι ἐκ τῆς αἰωνοῦ τῆς δ' αἰωνοῦ*, aiunt de illis Patres, *quoniam ex huiusmodi habitu Monachi putant se esse sanctiores, & coram Deo iustiores.* Itaque non sunt ausi postea Monachi etiam eiusdem regulæ, vnius generis
aut

aut coloris vestem gestare. Verum etiam qui erant in eodem cœnobio, varij coloris, & generis vestibus utebantur, alij atris, alij albis, alij viridibus, alij puniceis, alij togis, alij palliis longioribus, alij verò etiam breuissimis, & vix nates tegentibus, & gallicis bardocucullis, de quibus ait ille.

Gallia X antonico vestit te bardocucullo,

Dimidiâsq; nates gallica palla tegit,

Quod dicimus, scribit Basilius epistola prima ad Gregorium Theologum. Hieronymus igitur, quò hunc eundem blasphemum errorem de sanctitate vestitus Monachalis repullulare cerneret, in epistola ad Saluinam de Viduitate sic scribit, *Nihil prodest vile palliolum, fulua tunica, corporis illuues, & simulata paupertas,* de Monachis loquens: & in libro de Custodia Virginitatis, *Sunt, inquit, qui ciclicis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, & ad infantiam redeunt, imitantur Noctuas, & Bubones aues,* qualis proculdubio est vestitus nostrorum Monachorù. Verum ceperunt Monachi homines obstinatissimi, & natio Deo, & hominibus immorigera, Gangrense Concilium sanctissimum violantes (quod *ἔργον ἀμφοτέρωθεν*, id est, peregrinum habitum in Monachis anathematizauerat) iterum sibi vestitum peregrinum, & à cæteris Christianis diuersum assumere. Itaque sese, quemadmodum scribit Socrates lib. 3. Histor. cap. 14. vestierunt pellibus, tiaris laneis capita texerunt, tunicis lineis & Zonis utebantur. Hilarion autem, teste Hieronymo in eius vita, etiâ palliolo & cucullo vsus est. Sed in Oriente tantum hæc opinio increbrescebat, & hæc fiebant. In Occidente verò nihil tale

erat, nec fuit, nisi extremis ecclesie temporibus. Nam Gregorius Turonensis lib. 9. cap. 6. Historie scribit, anno Domini DLXXII. in Gallia & Colobium & vestitum omnem Monachalem fuisse inusitatum. Sed & Catenas, & Sordes, & Comasalebant & gestabant pro libitu Monachi præter peregrinum habitum Hieronymus in epistola Marcell. & Celand. Tomo 2. epistolarum. Et ista habitus in Monachis varietas, diuersitas, & libertas pro eorum libitu in colore, genere, materia vestis durauit vsque ad Viennense Concilium sub Clemēte V. Papa circa annū Domini M. CCC. XV. Imo cōqueritur Bernardus in Apologia ad VVilhelmum Abbatem Monachorum habitum suo seculo fuisse sumptuosissimum, & varij coloris, non vnus, vt iste scribit tamen.

Sed quid Bellarminus contra hanc certissimam historiam blatteret, & quidem impudentissimè, homo vbique effrons & impudens, age videamus.

Antiquissimum esse hunc, quo nunc vtuntur Pontificij, seu Romani Monachi, vestitum probantur: sed nihil probat: mouet, sed nihil promouet: sudat & æstuat, sed nihil confirmat. Ait igitur, Dionysius lib. de Eccles. Hierarchia cap. 6. parte 2. scribit eos, qui Mundo renuntiarent, suis & prioribus vestibus exutos, aliis indutos: ergo habitum Monachalem & eum perpetuò gestabāt, & talem, qualem nostri Monachi. Respondeo, Fallacia est A non consequente. Aliis quidem indumentis ornabantur in signum abiectæ prioris vitæ, vt i & Adulti, dum baptizabantur, candida veste induebantur: sed quam tamen minimè per totum

tum vitæ tempus & assidue gestarent, sed tantum tempore sui baptismi, & ad octo consequentes dies. Præterea non exprimitur, qualis fuerit ille habitus, quem tunc illi assumebant: sed diuinat Bellar. fuisse qualem nunc Monachi gestant. Respondeo, Imo iste vestitus, quo nunc illi vtuntur, demum in Concilio Viennensi, anno Domini 1315, fuit definitus.

Idem respondeo ad exemplum Iacobi, ex Eusebij lib. 2. Histor, cap. 24. Nec enim Syndon illa lineæ Iacobi quicquam habuit commune cum habitu Monachali, vt res declarat.

Idem dico, respondeoque ad omnes locos à Belarmino citatos ex Patribus. Est fallacia A non consequente: ostendunt quidem illi Monachos suas quasdam vestes à vulgo dissimiles habuisse: sed qua forma illæ fuerint, non addunt. Imo palliolis, non togis: & iis variegatis, non vnus coloris tunc vsos esse Monachos, & pro arbitrato & liberè apparet ex omnibus Patrum scriptis. Qui habitus à vestitu nostrorum omnium Monachorum est dissimillimus.

Itaque habitus Pontificiorum Monachorum tam à communi diuersus, vt illi non homines, sed noctuæ, sicut scribit Hieronymus, & locustæ, vt est Apocal. cap. 9. vers. 3. videantur, est omnino recēs, non antiquus.

Ratio verò huius vestitus inducendi & induendi fuit Mera hominum superstitio hoc vitæ genus admirantium, & in his rebus externis nostræ corâ Deo iustificationis, & peccatorum nostrorum remissionis causam, partemque collocantium, in

Christi dedecus, & contumeliam, qui hæc beneficia nobis solo suo sanguine comparauit Rom. 3. v. 24. Coloss. 2. vers. 21. 22. 23. Nam eò vsque superstitionis iam pridem ventum est, vt in ipsa illa habitus Monachalis forma, materia, colore vis quæ dâtelens peccata nostra inesse, & latere credatur. Ergo qui Monachi toto vitæ tempore nunquam vixerunt, sepeliri tamen Monachali habitu eoque ornari volunt mortui, quod faciunt plerique, & iubent, quasi Deo propterea gratiores futuri. Meritum enim hominum coram Deo in hac ipsa eiusmodi vestitus gestatione ponitur, & inhærere creditur, quæ summa est in Dei gratiam blasphemia. Denique quas huius insolentis & insoliti vestitus Monachalis rationes, vt eum commēdet, rimatur vndecunque Bellarminus, & affert, eę nullius sunt momenti. Nam & nullo Dei verbo nituntur & in rebus mediis & adiaphoris laqueum conscientiiis hominum iniiciunt contra Pauli præceptum 1. Corinth. 7. vers. 35. & nulla istis vestibus, & isti Monachorum fronti habenda fides est, teste Augustino lib. 2. de Sermone Domini ca. 19. Professio enim vera & vitâ facit Monachum, non vestitus cap. *Porroctum* & cap. *statuimus*. Extra De *Regularibus* Glossa in cap. *Tuarum* ad vocem, *Singnatos*. Extra De *Priuiligiis & excessibus priuilegiatorum*. Et hæc de vestitu Monachali. Iam verò.

De Tonsura eorundem nobis est agendum: in qua, perinde atque in vestitu, defendenda, & commendanda nobis ineprit Bellarminus, tam est vel hebes, vel ambitiosus. Hebes, qui non videat rem
hanc.

hanc, & tonsuram primum fuisse à δὲ ἀσπορ, postea
verò superstitiosè pro re sanctiori habitâ, & Deo
gratiore. Ambitiosus, qui gloriolam & laureolam
quærat in mustaceo isto, & in illis quisquiliis ine-
pris ingenium suum miserè, & frustra ostendet etsi
in earum incunabulis à suo exordio vt ipse putat,
id est, ab ipso orco repetendis laborat.

Res verò sic se habet, Quam homines etiam
Christiani, ad Ethnicorum exemplar, comam ad
delicias, luxum, & lasciuiam alerent, ceperunt pij
viri, & Christiani præsertim Clerici (qui maiore,
quàm cæteri, vitæ reformationem præ se ferebāt)
comas tondere, & deponere. Id quod docet Au-
gustinus lib. De opere Monachor. cap. 31. & vlti-
mo. Hoc exemplum imitati sunt Monachi. Inde
Tonsura Monachorum nata: & comas alere Cle-
ricis primum seuerè fuit interdictum ab Aniceto
Papa, ne illi lasciui viderentur, circa annum Do-
mini c. l. v. vt apparet can. *Prohibete* Dist. 23. Hoc
idem Concilio Carthaginensi quarto, circa annū
Domini cccc. xxxvi. fuit repetitum, vetitūque
Clerici Comam alere, & barbam radere, vt est ca.
44. Concilij: sed verbum *radere* de barba detractū
est in cap. *Clericus. i. Ext. De vita & honestate Cle-
ricor.* per fidè à Gregorio ix. Ergo Augustinus Cle-
ricos & Monachos vult tonderi, non autem ma-
nere crinitos. Interfuit enim illi Concilio Car-
thaginensi. Sic lib. De opere Monachorum
cap. 31. 32. & seq. Tamen neque hoc erat tam
præcisum, quàm nunc est: neque tanti momen-
ti esse censebatur. Nam Hilarion, sicut in e-
ius Vita scribit Hieronymus, semel solūm

in anno capillum tondere solebat, magis ne contemptor consuetudinis huius videretur, quam ut quicquam in ea tonsura magni momenti (quem admodum tamen hinc scribit Bellarminus) inesse iudicaret. Præterea solis viris ista Tonsura præcipiebatur, non etiam Monialibus & Nonnis, id est, sceminis Monachis, siue Virginibus, siue Viduis. Vigebat enim adhuc Pauli præceptum in ecclesia, ne tondeantur mulieres (quod id turpe sit) sed ut in cœtu ecclesiæ velentur I. Corinth. II. vers. 6. Itaque anno Domini cccxxxiii. Concilio Gangrensi ca. 17. mulier, quæ etiam prætextu religionis comam tondet, damnatur. Id quod confirmat quoque Zonaras ibidem. Denique in Concilio Viennensi, atque adeo post annum Domini M. ccc. xv. ut est in Clementina 2. De statu Monachorum, non est improbata Coma in Nonnis & Monialibus, modò capillos cornutos, calamistratos, cecinnatos, aut comptos illæ non gestent. Nã tales reprehendit in sceminis omnibus Christianis Hieronymus in epistola ad Lætã: & ante eum Paulus I. Timoth. 2. vers. 9. & Petrus I. Petr. 3. vers. 3. Post Concilium igitur Gangrêse, & Hieronym. sed iam corruptissimis seculis & ecclesiæ doctrinâ collapsa, in Synodo Francica sub Rege Carolomanno circa annum Domini D. ccc. lxxx. constitutum est, tamen, ut Moniales & Nonnæ raderentur omnino in capite: quod postea correxit Conciliũ, uti dixi, Viennense. Et hæc est breuis totius istius Tonsuræ, & rasuræ Clericorum, & Monachorum, veraque historia, contra quam quid hiscere Bellarminus audeat, perpendamus.

Quod

Quod ex Dionysij lib. Hierarch. Ecclesiast. c. 6. parte secūda, Tonsuræ Clericalis, ac proinde Monachalis antiquitatem repetit, fallitur Bellarminus. Non est enim autor ille vetus, quum post annum Domini 300. demū extiterit. Potius ex Aniceti Papæ (qui vixit circa annum Domini 155. decretis eam antiquitatem, vti docui, estque in can. *Prohibere* Dist. 23. repetat. Itaque in can. *Domino* XII. quæst. I. Hieronymus fatetur eam coronam, & tonsuram, quam ferunt Clerici, & consuetudinē Romana (vnde superstitiones quoque omnes nate sunt) profectam. Quare Bellarminum, vt vident omnes, ipsum monemus, Vnde sit illa Clericorum suorum Tonsura, Corona, & Rasura, nempe Ab Aniceto, vt quam longe potest, memoriam eius repetat. Sed in solis viris seu Clericis seu Monachis locum habebat, non etiam in sceminis. Nam nec Augustinus Epist. 109. eas tonderi iubet. Ergo reliqui, quos iste citat, autores sunt Aniceto longe posteriores. Itaque minus huius ceremoniæ vetustatem probant: sed ingenium ostentare voluit Bellarminus.

Causas verò istius Tonsuræ Clericalis & Monasticæ quærit Bellarminus & eas tandem reperit varias, adeo, vt ex huius sententia, sit magnum quoddam Mysteriū & sacramentum pietatis Monasticæ Tonsura capillorum. Verum neque cum suis consentit in huius sui Arcani significatione explicanda Bellarminus, vt apparet ex hoc loco, si cum Durandi c. 1. N. 26. & 31. lib. 2. *Rationale diuinorum officiorum* conferatur, neque, quantumvis

laborarit in cōquirendis vndique huius ceremonie arcanis omnes eius causas affecutus est. Itaque alias quoque eiusdem significationes Bellarminū doceo. Primū quòd in clericorū tonsura, & Monachorum, remanent quidam in capite capilli, est sacramentum. Nam hi capilli designant, quod Monachi quædam debent reseruare ad propriam sustentationem, non autem prout promiserāt, & est in can. *Abbatēs* 18. quæst. 2. omnia sua in commune conferre. Sic glossa in can. *Duo sunt genera*, 12. quæst. 1. Deinde: Quòd corona, quā gestāt Clerici & Monachi in capite, est rotunda, est sacramentū quod sicut circulus, ita neque isti, principium, neque finem habent, vbi consistant, aut vnde ceperint: ac proinde perpetuo sunt volubiles, vt rota. Sic Durandus lib. 2. *Rationale Diuinorū officior.* c. 1. N. 29. Quod autem iidem sunt imberbes, est sacramentum, quod semper, vt Angeli sunt iuvenes, & apti ad floridas actiones, ait Durandus ibidem N. 32. Et hæ sunt ineptiæ, quibus homines isti suos libros farciunt & replent, & nos pro sana, salutari-que aliqua doctrina his misere pascunt, & suos decipiunt. Apage verò, Bellarmine, omnes istas tuas nugas, Certè dum nobis tuos libros multiplicas, vanitatem addis vanitati, & inutilem laborem labori.

Sed dum his ineptiis immoratur iste, locos sibi ex Dei verbo obiectos non soluit, Nimirū ex *Leuit.* 19. v. 27. 21. v. 5. *Hierem.* 9. v. 25. *Ezechiel* 44. v. 20. Vno tantum verbo eleuat omnes. Quod hæ tunc erant Cæremoniæ legales, quæ cessant hodie.

die. Respondeo. Et si cessant, quæ sunt ceremoniæ: tamen ostendunt, quod rasura & tonsura ista in Dei Ministris tunc minime fuerit à Deo probata. Neque tam hæ res fuerant inter Iudæos ceremoniales, quàm politicæ, vti fimbriæ vestium, quibus externè Dei populus à reliquis scernebatur, aliquidque externe decorum continebant. Quod decorum quum isti aspernentur, & tamen reliquas veteres ceremonias omnes inter se in usum, mutatis solùm verbis, reuocarint, apparet eos illa, quæ honesta sunt & decora, omnino repudiare, quæ verò iam omnino delèda & obliteranda sunt in Ecclesia Christiana, studiosè contra Christi præceptum retinere.

Quo quid ineptius, & irreligiosius? Nam ex Baruchi Epistola cap. vlt. apparet Idolorum Sacerdotes sic, vt Clericos & Monachos Papales, fuisse absq; barba, & raso capite, atque adeo etiã à Clericis Græcis, capta à Latinis Balduino duce Cõstantinopoli, propterea fuerunt publicè irrisi Clerici isti Papales & monachi.

Ad Cap. xli.

NVlla nobis de quæstione, quæ hîc tractatur, cû Bell. cõtrouersia est. Nã Augustino assètimur, qui libro de opere Monachorû c. 3. 4. 5. vsq; ad 16. errorem istum. Quod non debeât Monachi reipsa laborare copiose confutat.

Ad Cap. xlii.

DEbere autè Monachos ex primis sui omniû instituti regulis & veris legib. corporaliter laborare, certo certius est, si Epiphanio Hæresi 78. Basilio interrogat 42. & in Epistolâ ad Clerum

Neocæsariensem, Agath. Cœcilio c. 56. Augustino libro. I. de Moribus Ecclesiæ capite. 31. libro. De opere Monachor. c. 17. Hieronymo in Epistola 4. ad Rusticum: Cassiano lib. 2. c. 3. de institutis Monachorum classicis & grauiissimis in hoc argumēto scriptoribus credit Bellarminus. Verum ad otium & inertiam sibi Monacho, & aliis fratribus, Monachis omnibus commendandam, manult Thomæ Aquinatis in secunda secundæ quæst. 187. Artic. 3. & Bonauenturę in lib. de Paupertate Christi, sententiam sequi, Monachorum videlicet ineptissimorum, & suæ suorumque inertię (cui præsidium quæsiverunt) fauentium: de iique duos istos fratuculos tot piis cordatisque Patribus miser Bellarminus præfert, ac anteponit. Inulsē. Patres enim illi primam Monachorum institutionem viderāt, nouerantque. Hi verò duo corruptissima iam Ecclesiæ doctrina, & ipsamet vera Monachorum institutione collapsa, & nati sunt, & Monachatum laudarunt, ac professi sunt, ex sui seculi corruptissimis iam moribus, quos tamen probarunt.

Sed & astutia Bellarmini hęc est obseruanda, vt leui corporis declinatione ictus nostros à suis depelleret, & ipse euitaret. Nec enim negat Monachos manibus & corporaliter laborare debere: sed addit, Eos non magis ad id teneri, quam quosuis alios pios, quos per contumeliam appellat seculares. Imo respondeo tribus de causis potius Monachos, quàm reliquos Christianos corporaliter laborare oportere: quæ sunt ipsis peculiare, non autem cum reliquis piis communes. Prima est, Quod ex legibus & primis regulis institutionis suæ, &

suæ, & Monachatus ad id præcisè tenentur. Leges enim omnium Monachorum, qui primi hoc vitæ genus instituerunt & elegerunt, hoc fieri ab his iubent, hoc illis præcipiunt, hoc ferunt, & habent, Basilius (qui etsi falso, creditur autor, fautorque Monachismi) sic in Epistola ad Clerum Neocæsariensem, Hieronymus, Epist. 4. ad Rusticum, item lib. de custodia Virginitatis. Augustinus lib. De opere Monachorum pene per totum, Bell. rminus ipse col. 1303. L. C. §. *Ad argumentum.* Qui vero se se peculiariter obligat ad rem quampiam, magis tenetur eam præstare, quàm qui ad eandem minime sese obstrinxit. Ergo Monachi magis tenentur corporaliter laborare, quàm reliqui Christiani.

Secunda ratio, Qui pauperes sunt, omnibusque mundanis opibus ac facultatibus destituti magis tenentur corporaliter laborare, ut vivant: quàm, qui opibus abundant, habentque victum iam sibi comparatum, & conditum, Ephes. 4. v. 28. 2. Thes. 3. v. 10. At Monachi ex ipso vitæ suæ instituto Paupertatem vouent, seque bonis omnibus suis abdicant & priuât Sup. c. 20. Cassian. Collat. 9. c. 5. ergo Monachi magis tenentur manibus laborare, quàm quouis alij Christiani.

Tertia ratio est, Quibus omnis rerum priuatarum & publicarum politica vel Ecclesiastica administratio ex vitæ suæ genere interdicta est, illi magis ad corporaliter laborandum (nisi prorsus inertes & otiosi esse volunt) tenentur, quàm qui negotiis publicis vel priuatis, politicis vel Ecclesiasticis immiscere se, ac occupare possunt, & de-

bent. Est enim contra hominis officium, profus
ἀεργος esse: & cui omnis ingenij exercitatio eri-
 pitur, sola corporalis relicta est. Atqui Monachis,
 ex ipsius eorum institutionis finibus ac regulis,
 omnis ingenij exercitatio, omnis publica vel pri-
 uata politica vel Ecclesiae administratio interdicta
 est: ergo Monachis solum manuale opus, & corpo-
 ralis labor super est, ac relinquitur, nisi si omnino
 inutiles, inertes, & otiosi esse ac viuere velint. Id
 quod est & turpissimū, & homine Christiano pror-
 sus indignum. Probatum autem assumptum. Primū
 nullum Ecclesiasticum munus suscipere possunt.
 Nam Monachus solum lugentis non autem docē-
 tis habet officium, ait Hieronymus ad *Riparium*, et
Desiderium estque in can. *Monachus* xvi. quæst. i. &
 Chalcedonensis Optimi Cōcilij decreto sic quo-
 que statutum est, vt est in can. *Iuxta* ibidem. Non
 possunt prædicare Dei verbum, non sacramenta
 extra suum Monasterium (& quidem etiam in eo
 quoque suum solis suis cœnobitis) administrare,
 non pœnitentias publicas iniungere, non visitare
 infirmos, nō missas publicas (id est, ad quas admit-
 tantur alij, quàm ex eodem Cœnobio Monachi)
 cantare, non vnctiones facere can. *Interdicimus* &
Adiicimus. Denique non possunt in populari
 frequentia versari, can. *Si cupis*. Nemo in summa
 potest Ecclesiasticis officiis inseruire, & Mona-
 chus esse can. *Nemo potest*, Nam, inquit Hierony-
 mus, Clerici pascunt oues, Monachi pascuntur,
 vt reliqua plebs, canon. *Alia causa est* xvi. quæ-
 stione 1.

Hæc est igitur lex Monachatus & prima, & generalissima. Ergo Monachi per se, & ex suo instituto nec Clerici esse, nec vllum officium aut Munus Ecclesiasticum administrare possunt.

Non possunt itidem vllum munus Politicum & mundanum gerere, non iudices esse, non forensia negotia, non mercatoria exercere & tractare, can. *Monachi à Monasterio* xvi. quæst. i. Ergo sunt inutiles omnino, nisi manibus & corpore laborent.

Nec obstat quod primus Papa Syricius singulari privilegio, & in Monachos studio, Monachis probis & doctis concessit, & indulgit, vt Clerici fieri possent ex Abbatis sui consensu, & populo aliquo id postulante, circa annum Domini ccc. xc. Cui sententiæ Ambrosius istius vitæ admirator (quia nondum vlla istius Christianorum sectæ mala viderat) suffragatus est canon. *Monachos quoque*, & canon. *Doctos aut probos* ibidem. Sed hæc Canonistæ distinguunt. Aiunt enim in dicto ca. *Monachos*, dum Clericatus ordo Monachis datur, officij potestatem solam illis dari: non etiam officij istius executionem permitti. Deinde illa Syricij concessio & indulgentia Monachis facta, fuit postea à Leone primo Papa reuocata, vt est in can. *Adiicimus* ibidem eaque reuocatio etiam renouata fuit anno Domini 1549. in Concilio Coloniensi, & Concilio Moguntino cap. 35. sed & antea quoque in Concilio Toletano vi. cap. 5. circa annum Domini dcxxxv. Habet igitur Bellarminus quas quæ-

rebat causas, cur Monachi magis teneantur laborare, quàm alij pij: & videt omnes quàm sit hoc hominum genus inutile ecclesie, & per se vile, superuacancum, & iners. Contrarias verò ipsius rationes iam perpendamus. Aliud enim sentit.

Prima est, laborare manibus est præceptum, nos fatemur: ergo omnes obligat. Respondeo, Omnes quidem obligat, sed non tamen æqualiter. Est enim hæc præceptorum affirmantium seu iubentium natura, vt neque æqualiter, neque semper obligent. Exemplum est in præcepto, *Dilige proximum*: Alij enim plus, alij minus alios diligere possunt ac tenentur. Nam David plus Ionathanum dilexit, Christus ipse Iohannem, quàm ceteros 1. Samuel 20. Ioha. 3. Sic licet omnes laborare teneantur, tamen alij plus, vt pauperes, & qui ad nullum aliud opus admitti possunt, quales Monachi: alij minus, vt Magistratus, Pastores, & viri docti.

Secunda ratio contraria est hæc, præceptum de laborando corporaliter, neque est naturale, neque positium: ergo non obligat. Respondeo, Falsum est assumptum. Ergo est fallacia A non causa. Est & naturale, quoniam à Deo cuius homini post peccatum datum & indictum est, *In sudore vultus tui comedes panem tuum*. Genes. 3. vers. 17. 2. Thess. 3. vers. 10. Est & positium. Nam in quavis Repub. bene morata Mendici validi, & non laborantes puniuntur, & eiciuntur ex ciuitatibus. Extat in Codice Titulus xxv. lib. xi. Codicis De Validis mendicantibus expellendis.

Tertia

Tertia ratio est, Præcepta de laborando in Dei verbo dantur & diriguntur secularibus, non Monachis: ergo Monachos non magis obligant, vel etiam non obligant. Respondeo, facta sunt illa præcepta & iniunguntur piis omnibus, & bonis viris. Quare quum ea minimè ad Monachos pertinere doceat Bellarminus, illi neque pij, neque viri boni sint necesse est. Id quod verissimum est, & facile ex Bellarmini ratiocinatione colligimus.

Addit iste Monachos, quia concionantur, & precantur pro populo, verè manibus, id est, linguâ laborare. Respondeo, Neque concionari, neque docere illis fas est & licet, nisi bruti & canes muti sint Romanæ ecclesiæ Pastores, & Episcopi, quos Isaias execratur cap. 56. vers. 11. Nam quod iactant se assidue precari, dupliciter in eo peccât. Primum quòd Messalianorum seu Euehetarum hæresin reuocant, qui salutis humanæ proram & puppim in istis precibus ponebant. Deinde quod velut sibi solis dictum volunt & rapiunt id, quod & Christus, & Paulus omnibus piis præceptum & dictum fuisse docent. Luc. 18. vers. 1. 1. Thessal. 5. vers. 17. Denique ineptus est interpret iste, qui manu laborare esse scribit & interpretatur lingua precari, docere, concionari. Quod nemo vnquam antea fando audierat. Quare locû Augustini lib. de Opere Monachorum cap. 17. plane corrumpit Bellarminus. Negat enim Augustinus propter & psalmodiam istam, & lectionem (quæ tunc tantû certis horis, vti nunc, in Monasteriis fiebat) excusari Monachos à labore manuum. Quod Bellarmini

sententiam evertit. Idem docet Hieronym. in libro de Custodia Virginitatis.

In summa col. 1303. L. D. fatetur Bellarminus, Primam & optimam illam Institutionis Monachorum regulam, Vt manibus laborarent omnes, esse à recentioribus Monachis, qui secuti sunt, sublatam, motósq; veteres terminos, vt otiosi, & ignaui homines in suis lustris delitescentes otiosé, & inutiliter alerentur.

Ad Cap. XLIII.

Posse pios ex collatitiis à se opibus, & pecuniis aliisq; rebus simul viuere, certo certius est, constatq; ex actis capite secundo, vers. 46. Luc. 24. vers. 35. modò id fiat citra votum vllum, ne qua Lex, aut laqueus conscientiis hominum innectatur: deinde absque præcisa necessitate, & Lege. Id quod sic non fit in Monachatu. Quare piorum veterum exemplum nihil Monasteria, & cœnobîa Monachorum iuuat, quum nihil cum eò commune, præter larvam quandam, habeant. Præterea hoc malum existis collatitiis Monachorum bonis manifestè nascitur, quòd sic amplissimarum familiarum opes exhauriuntur, quibus onera Reipublicæ subleuantur, vt cœnobîa ista, & pauca immentè ditescant, vbi homines otiosi pascuntur, & Musicè, id est, ex solo cantu suauiter viuunt, velut in Monasterio Cisteriensi, Hesuítico, Matremosteniensi, & aliis: ex quibus nulla populi, vel Reipub. subleuatio promanat, quãtũuis immanes sint istorũ cœnobiorũ opes: quas augent etiã quotidie
conge-

congerunt, & accumulunt. Sunt enim ista ditissima cœnobia, velut hirudines inexhaustæ, quæ illud Baalis Sacerdotium, quod est apud Oseam, ca. 4. ver. 18. occiunt, semper, & conclamant, *Afferrote, afferrote*; nunquam autem illud Mosis, Exod. 36. ver. 6. *Satis est, Nemo amplius afferat.*

Ad Cap. XLIV.

DVæ sunt causæ propter quas Monachi vivere ex rebus sponte oblatis neque possunt, bonâ conscientia, neque debeant, eæque gravissimæ, ac verissimæ. Prima, Quod hoc pacto Monachi, homines validi, & robusti, qui que suo labore victum sibi parare possunt, veris Christi pauperibus elemosynas eripiunt, & furantur. Nec enim & his, & illis (præsertim quam tot sint Monasteria) superesse cuiquam quantumvis diuiti potest pecunia simul alendis. Ergo quantum ab istis Monachis capitur, tantum veris Dei pauperibus, qui manci, qui debiles, qui cæci, qui muti, qui sardi, qui paralytici, qui senes, qui infantes, qui ægroti sunt, detrahatur: quod furti genus ab istis cantillatoribus, & validis Monachis perpetrati, non solum furtum est, sed & sacrilegium. Est enim, inquit Hieronymus, verè sacrilegium rem pauperum non dare pauperibus.

Secunda causa, cur ex sponte sibi oblatis vivere iam pridem Monachi neque possint, bona conscientia, neque debeant, est, Quod solius idololatricæ exercendæ fouendæ, augendæ, Deique offendendi gratia in huiusmodi Monasteriis, & lustris aluntur. Id quod tueri, & fouere nefas est. Nam si qui vnquam fuerunt Sacerdotes Baalis, miseri,

nefandi, execrabiles, falsi prophetæ, idololatriæ patroni, ac propagatores, sunt ij Monachi, quos ab annis DC. Mundus seu orbis terrarum nouit, & uidit. Quid enim aliud agunt iam ab annis sexcētis, obsecro, Monachi, quàm quòd soli penè sunt omnium qui grassantur in Papatu errorum, vel autores, vel patroni? omnis idololatriæ seminatores? omnis Papatum tyrannidis custodes, ac satellites? & ut quisquam pius hos Satanæ Ministros alere debeat, aut bonâ conscientiam possit? Aut ut ab vllis Christianis acceptari possit, quòd in tam nefariam causam, & impiam etiam sponte à quoquam datur, & offertur? certè non potest.

Prætermitto istorum hominum summam avaritiam, qui & omnia, & ab omnibus, & passim accipiunt, πάντες, πάντως, καὶ παρὰ πάντων. Quod à quoquam hominum genere, & ordine fieri vetant & Leges honeste, & ratio ipsa. Hæ sunt igitur causæ, propter quas non licet Monachis etiam ex iis viuere, quæ sibi sponte ab aliis offeruntur.

Neque verò iuuatur Bellarminus sententia Augustini, qui à diuitibus scribit danda esse quædam ad victum fratribus pauperibus. Nā addit Augustinus, hæc danda esse religiosis, id est verè piis, & Dei seruis: non autem Diaboli, & Antichristi Ministris, quales sunt iam pridem Monachi.

Ad Cap. x l v.

QVAM sit non modò infame, & turpe, verùm etiam miserum, impium, & sacrilegum Monachorum ex mendicitate viuētium genus, & antea diximus, & ex hoc, & sequenti capite, luce meridiana clarius, apparebit. Ergo extra statū salutis sunt,

sunt, qui eiusmodi vitam sequuntur, quum laborare manibus, alióque pacto victum sibi quaerere possint. Contra verò contendit Bellarminus, sed nulla fróte, nullóque iudicio. Nam primùm agnoscit ipse, & fatetur, & quavis ætate, & cuiusvis ordinis piis hominibus displicuisse hoc vitæ Christianæ genus. Nam inter Ethnicos, exceptis Cybeles matris sacerdotibus, nullum hominum genus unquã fuit eiusmodi, vel concessum, vel toleratum. Ergo & G. de Sancto Amore anno Domini 1250. & Desiderius Longobardus anno 1270. & Giraldus de Abbatifvilla anno 1280. & Iohannes Vviclefusus anno 1350. Monachorum istorum ex mendicitate viuentium, nationem totam meritò execrati sunt, & iustis de causis viri, & pij, & docti, sicut ex eorum scriptis apparet, illud iure condemnarunt in Dei Ecclesia. At opponit aliquot Romanos Pontifices Bellarminus, qui suis suffragiis illud comprobant, vt apparet ex cap. *Exiit*. De Regulis iuris in vi. De *Verborum Significatione*. cap. *Quia quorundam*. in Extrauag. Iohannis 22. De *Verbor. Significatione*, & Constantiensi Concilio. Sess. 8. Nimirum vbi res non ex Dei verbo, vt ex Iohannis Hussij cõdemnatione apparet, acta est, sed ex præiudiciis. Romani Pontifices nonnulli istos Monachos probarunt, quoniam eorum opera ad se contra Germanos Imperatores (id est suam tyrannidẽ contra iustum Magistratum) tuendos, & stabiliedos egebant. Fuit enim istorum frat. Mendicantium lingua semper venalis, & mercenaria. Alij verò itidem Romani Pontifices totum hoc hominum genus ex Ecclesia Dei sublatum esse iam-

pridem concupiuerunt, velut Pius II. Leo X. Bonifacius VIII. & alij, quod semper sunt execrati. Ergo nulla ex Romanorum Pontificum iudicio tam diuerso illius generis, & sectæ Monachorum confirmatio duci potest.

Verùm Bellarmini rationes, si quas habet, audiamus.

Prima est, Christus ex mendicitate cum suis Apostolis vixit, Luc. 8. ver. 3. 4. ergo hoc vitæ genus inter Christianos probandum, & admittendum est. Respondeo, non quod Armacanus, (cuius iste meminit, & quem ad debellandum potissimum delegit, vt facilem sibi victoriam faceret) sed aliud longè & verius, & tutius, ac facilius. Solutio enim Armacani tota & obscura, & intricata est, quoniã ex Scholasticorum somniis hausta est. Quare nostra, & verior est hæc. Minimè mēdicus fuit Christus: sed fuit pauper, 2. Corinth. 8. v. 9. Matth. 8. v. 20. Mendicis non fuit, quia antequam munus suū, ac prædicationem Euāgelij aggredere, erat faber lignarius, & ex ea arte, quam propriis manibus exercuit, victum sibi Christus comparauit, Marc. 6. ver. 3. Theodoritus libro quarto historiæ, cap. 23. Præterea nulli Iudæi mēdici inter Iudæos ostiatim petaces tolerabantur, Deuteron. 15. versu quarto, etsi inter eos erant tamen alij pauperes, & egentes. Matth. 26. versu vndecimo. Itaque fallitur grauissimè Bellarminus, qui ex Psalmo quadragesimo, v. 18. Psa. 109. ver. 16. colligit Christum ostiatim victū suū mēdicasse. Imò in sudore vultus sui & se, & matrem suam sustentauit. Ratio est quoniam oportuit Christum hominē in his terris omnes

omnes peccatorum nostrorū pœnas, excepto peccato, perferre: quarum vna quædam, eaque maxima est paupertas ac indigentia. Ergo hanc quoque pro nobis tolerauit Christus, teste Paulo 2. Corin. cap. 8. ver. 9.

Postquam autem munere suo fungi cepit idem Christus, quia manibus iam laborare propter indefessam prædicandi continuationem amplius non poterat, Deus pias quasdam & diuites scæminas Iudæas suscitauit, quæ eum, eiusque duodecim Apostolos collatis elemosynis alerent Luc. 8. v. 2. 3. Mèdicasse autem tunc Christum, aut eius Apostolos falso falsius est & mendacio mendacius.

Quomobrem hæc prima Bellarmini ratio ab exemplo Christi, est fallacia A non caussa, falsaque præsuppositione.

Secunda Bellarmini ratio est sumpta ab exemplo Apostolorum, (quos iste mendicasse, sicut fra Mendicantes vocant) faciunt, & arbitratur, & affirmat. Respondeo, Hoc quoque commentitium esse: falsissimum enim est Apostolos vnquam cum bisacco & pera ostiatim victum, & particulas ac frustra panis, aut rerum aliarum emendicasse.

Honesta quidem ab iis, quibus verbum Dei annuntiabant, alimenta Apostoli recipiebant. (Dignus enim est operarius mercede sua Mat. 10. v. 10. quæ imprimis est victus & vestitus 1. Tim. 6. v. 8.)

Et meritò, teste Paulo 1. Corinth. 9. ver. 4. & 6. 14. Omnia autē iidē Apostoli sua pro Christo dimiserat effectu & animo videlicet vt omnia sua, etiam vitam ipsam quoq; suam Christi gloriæ postponerēt: domos autē, & prædia & nauigia, si quæ habebāt

re ipsa pro contempto eos habuisse, & omnino abieciſſe, vti ſæpius iam docuimus, falſum eſt. Sed quid otioſi Monachi cum Apoſtoliſ prædicantibus Euangelium, ſimile habent? Certè nihil. Primum illis prædicare ex ſui inſtituti regulis non licet. Deinde vt hoc faciant nonnulli, quàm pauci illi ſunt, & hi ſoli eſſent alendi, non etiam alij non prædicantes.

Tertia Bellarmini ratio continet Miracula ab autoribus iſtius vitæ ædita, Franciſco, & Dominico: & effecta, bonæque vitæ humanæ ſaluberrima ex hoc eodem vitæ genere promanantia quæ illam confirmant. Reſpondeo Quod ad miracula, Satan quoque illa ædit, neque propterea Satan, & Satanæ Miniſtri, quales proculdubio ſunt monachi, ſunt à nobis piis probandi, ac laudandi. Quod ad effecta à Monachis præfertim Mendicantibus profecta, ſunt, fueruntve, quauis ætate certè quidem triſtiſſima & miſerrima, Nempe veræ doctrinæ Chriſtianæ deprauatio, Idololatriæ in Eccleſia Chriſtiana deſenſio, & confirmatio, Noui & inauditi Euangelij (quod Cyrilli Euangelium vocabant) introductio, hæreſeon pullulatio, quas iſti pepererunt, Veræ Theologiæ in falſas, & peruerſas exercitationes detorſio, quæ Monachi Scholaſtice nominant. Denique tyrannidis Romani Pontificis deſenſio, & propagatio, ex qua inter Imperatores, & Pontifices luſtuoſiſſima bella ſunt orta, natæ ſeditiones, peſtiferæ cædes, & totius orbis Chriſtiani conuulſio. Hi ſunt nimirum iſtius hominum generis & vitæ vberriſimi, veriſſimique fructus, quos etiam num

hum hodie totus orbis Christianus experitur, & videt.

Ad Cap. XLVI.

Sed ad contraria nostrorum argumenta respondere conatur Bellarminus.

Primum eorum est, Mendicitas ista iure diuino, Deu. 15. v. 4. & humano L. vnica C. de Mendicantibus Valida est prohibita: Bellarminus negat hoc verum esse quia pauperes multi, & quidem publicè mendicantes, extiterunt postea inter Iudæos, Luc. 18. Iohan. 9. Act. 3. Deinde Deuteronomij, Vox *Æbion* est communis pauperibus & mendicantibus. Respōdeo, etsi vox *Æbion* & *πρωχός*, & *πρωχός* verti potest, locus tamen ostendit quo sensu sit sumenda, & Mendicitatem (quia res est turpissima, & plane defectum omnis charitatis arguit) ibi à Deo damnari manifestè apparet. Quod verò tempore Christi multi inter Iudæos erant publicè mendicantes, id eueniebat ex cōtēptu legis Moralī & Politicæ à Deo datæ. Nā mendici lege Dei Politicā esse vetabantur. Quod verò legem illam vnica loqui fingit Bellarminus de aliis, quàm de Monachis, fallitur. Hoc enim genus hominum oderat & Valēs Imperator, & tunc orbis Christianus tanquam inutile ecclesiæ, ac profusus iuers.

Secundū nostrum argumentum est, mendicitas ista & extrema paupertas est multorum malorum causa, Prouer. 30. v. 8. & 9. pro Dei maledictione recensetur Ps. 109. v. 10. Ps. 37. v. 25. Nugatur Bel. in hac objectionē diluēda, & suo more, variat. Ait modò agi de coacta & non voluntaria mēdicitate

modo de periculosa, in qua media prorsus victus habendi deficiunt: in quam, inquit ille, frat. Mendicantes incidere non possunt. Parant enim mature victum sibi necessarium, ne deficiat, & ne sint solliciti de crastino. Ergo quum nihil habeant, omnia possident, & quidem locupletissime ac largissime. Sic se suosque Monachos mendicantes iste irridet.

Tertium argumentum est, & Diuitiarum passim in Dei verbo laudantur, Prouerb. 10. ver. 22. 14. v. 24. 22. v. 7. & sunt ad multarum virtutum opera praestanda necessariae & utiles, velut ad eleemosynas, Actor. 3. & 20. v. 35. Eccles. 7. v. 12. Respondet Bellarminus, etsi in opibus insunt commoda & incommoda, tamen omnibus subductis plus inesse commodi in mendicitate Votiuam, quam incommodi. Respondeo, falsum istud est. Sed quia Monachi, quicquid de sua Votiuam mendicitate iactent, semper tamen rebus omnibus abundant, idcirco nulla mendicitatis sentiunt omnino incommoda: ac verum est mendacium totum eorum de Paupertate & mendicitate votum. Reliquae responsiones Bellarmini ad hunc locum sunt ineptae, & cum ipsius textus verbis prorsus pugnant.

Quartum argumentum est, extrema paupertas, quam sequitur mendicitas, est extremum virtutis alterum ac proinde vitium. Nam ut benefacere mendicus alicui velit, tamen non potest 2. Corinth. 8. v. 12. Act. 3. v. 6. Respondet Bellarminus istam paupertatem, quae fit ex Voto Deo se dedicandi, esse virtutem non defectum aut vitium. Respondeo verum id esset, si ista paupertas & mendicitas esset à Deo praecipita. Sed nequaquam est: Ergo neque Virtus esse

esse potest. Est enim sola Dei voluntas patefacta & præcepta nobis Virtutis omnis regula.

Quintum argumentum nostrum est, Nemo sibi periculum famis, aut ex fame pereundi accersere sciens prudensve debet. Nam qui amat periculum in illud incidet, Eccles. 3. v. 27. & petunt à Deo pij: ut famem à se auertat, & depellat, 2. Samuel. 12. At qui omnia sua bona abiiciunt, huiusmodi periculum sibi creant, & accersunt. Nam medici & otiosi quales sunt Monachi, sunt stulti illi, qui complicat manus suas & tandem in famem incidunt, ut est Ecclesiast. 4. v. 5. ergo istud vitæ genus est temerarium, stultum, ac periculosum: tentatque Deum ipsum, id quod est scelus nefarium.

Respondet Bellarminus eiusmodi ex fame moriendi periculum euenire iis, qui sibi non prospexerunt, dum bonis suis renuntiant. Verum Monachi, dum abiiciunt bona sua, si quæ habent, sciunt semper sibi paratum esse victum vel à Deo, vel à petacibus fratribus illi cœnobio & Monasterio, cui sese addicunt. Quamobrem in eiusmodi periculum nunquam incidunt. Respondeo hoc pacto totum hoc Monasticum de paupertate pro Christo suscipienda votum esse illusorium & fallax. Fingunt enim se vouere & paupertatem, & mendicitatem postquam certi sunt de perpetuo sibi victu & vestitu in illo suo Monasterio futuro, & præbendo. Que est ista, obsecro, Dei irrisio? Que illius maior quam Deus vindicabit. Deus enim neque irrideri debet, neque potest, Gal. 6. v. 7. Quod autem ait iste Monachos scire se à Deo alendos esse. Respondeo, Hoc ipsum est planè

diuinare, & tentare Deum, qui media vitæ suæ sustentandæ à Deo data reiiciunt. Præterea, vti res docet, Monachi Deo vero non seruiūt: sed idolis. Itaque ista eorum spes vana est, nisi id sperēt, quæ creaturæ sunt, vt porci, & Aues, & fera bestia ab eodem aluntur Ps. 104. Math. 5. & 10.

Sextum argumentum nostrum est, Fra. Mendicantes faciunt iniuriam veris Christi pauperibus, vti supra docui, & est Luc. 14. v. 13. Respondet Bellarminus, Non præcipi à Deo, vt magis egeni, & infirmi magis & potius alatur, velut claudi, cæci, surdi: alioqui Pastores Ecclesiæ non essent aut alendi, aut magis ac potius sustentandi, quia non sunt cæci, & surdi, & claudi. Respondeo, Bellarmino. Pastoribus alimenta præbentur, non quia pauperes sunt: sed quia Pastores: dignus enim est operarius siue diues, siue pauper mercede sua, Mat. 10. v. 10. Sed quum aliquid pluribus, velut pauperibus datur, egentiori magis succurrèdum & potius est. Christi dictum, Luc. 14. v. 13. ostendit, quum fratribus benefacimus, nullam compensationis spem spectandam, aut exspectandam à nobis piis esse. Alioquin est mercenaria nostra liberalitas, non gratuita, sicut esse debet. Ergo locum hunc Lucæ nō percipit, aut intelligit Bellarminus. Quod autem iste Monachos suos & homines otiosos ex sua scholæ, & haræ institutis (quos religiosos falso vocat) præfert reliquis pauperibus Christianis piis, tripliciter peccat. Primum quia præsupponit, Idolatras, quales sunt omnes Monachi, esse meliores, & Deo gratiores, quàm viros pios contra Ps. 16. & Ps. 112. Secundum, quia præsupponit falsum, Quod

Quod etiam si ex toto 200. Monachorum cœtu & collegio, duo, aut dûtaxat, tres cõcionentur, eos & vere cõcionari, & ceteros Monachos omnes (cõtra illud Pauli 2. Theff. 3. v. 10. Qui non laborat, nõ edat) ventres pigros, pingues, & otiosos propterea esse alendos. Nam illi reliqui sunt fuci, quamuis illi duo aut tres essent apes mellificæ & utiles. Tertium, quia præsupponit, quã quis sua dona dat Monasterio, eũ dare pauperib. Quod falsũ est. Nã ea dat vel diuitib. suis cognatis: vel monasteriis iã locupletissimis, id est, Aquã Oceano, & Noctuam Athenas defert. Id quod est stultissimum, atque omnis auaritiæ incrementum. Tres igitur rationes Bellarmini, propter quas Monachos præfert ceteris pauperibus piis, sunt & falsæ, & viro pio, præsertim autem Christiano Theologo, (qualem hic se profitetur) indignissimæ. Sed huic homini fuit pro sua suorumque culina, id est, pro ipsorum foris & haris quauis manu pugnandũ, & decertandũ, ne in suo capitulo flagellari à Miserere vsq; ad Vitulos miser à sociis suis vellet. Quod est sequissimum, ac durissimum.

Censura & Exam. in Huius Libri

Secundi.

Vetus est illud & verum, quod est sapientissimè à Solomone dictum, Prouerb. 27. ver. 22. *Etiamsi stultum contuadax in mortario, & cum mola pistillo, non recedet ab eo stultitia.* Itaque non equidem spero hac mea admonitione Bellarminum sapienterem futurum, qui iam & malitiæ, & erroris callam prorsus obduxerit: tamen quia, quæ admodum habet prudens Græcorum sententia,

παλὸς εἰ μὴ αὖν ἀσπῆ, κέραμος ἔ γίνεται, lutum nisi siro-
 nne contundatur, no sit figuli bona materia, ita est ille
 pro dignitate tractandus. Quidam enim ita sunt
 natura comparati, imprimis autem Monachi (qua-
 lis est Bellarminus) vt nisi altè, & duriter pun-
 gantur, & fodiantur, ad sanam mentem re-
 uocari non possint. Itaque Monachum istum
 flagellis, velut Letargicum, asperis, excitabo, & à
 somno suo, vetornóque, si potest, reuocabo, vt &
 ipse, & ipsius farinae socij resipiscant, si possunt.
 Tædet quidem me ipsum, & pios, vt credo, viros
 omnes ineptiarum & falsitatum, quæ in hoc secun-
 do Bellarmini libro continentur (totus enim illis
 plenus est, & scætet) sed quoniam omnes ingenij
 sui vires, & odores in hoc, scilicet Myrothecio, i-
 in Monachus monstro commendando cor, sum-
 pfit, quam parum se strenuum illius suæ causæ pa-
 tronum tamen monstrat, & præstet age perpen-
 damus.

Peccat enim tripliciter in hoc suo Monacha-
 tu fundando, ædificando, ornando, Nempe quod
 ineptit, falsa fundamenta iacit, & sibi manifestè
 contradicit: Ac ineptias hominis non omnes, esset
 enim infinitum, sed quasdam solùm recitemus, quæ
 tamen magni sunt momenti, & totam hanc ipsius
 disputationem euertunt.

Primum capite 1. col. 1159. L. A. apertè Mona-
 chum à religioso, tanquam res diuersas separat: er-
 go Monachi, vel nō omnes sūt religiosi, vel nulli.

Cap. 2. Religionis Monasticæ, quam hic tuetur,
 definitio est ineptissima. Nam nullo S. scripturæ
 loco probatur, noua est & nusquam apud veteres
 villos

illos Patres eo significato extat: denique sua specifica differentia caret, quæ est, hoc ipso teste, charitas, quæ in definitione fuit omiffa.

Cap. 4. col. 1. 63. infulse & *αδελόγως* Monasticæ & religionem, quam vocat, Deo gratam, & à piis probandam esse contendit, non ex vlllo Dei verbo scripto: sed ex hominum, & aliquot dentaxat Pontificum Romanorum decretis & iudicio.

Cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. impiam omnino hanc sententiam tuetur, Nempe esse quædam Christi consilia de Monachatu, eaque diuinis ipsius præceptis perfectiora, sanctiora, & Deo gratiora. Id quod ex nullo S. scripturæ loco efficit, estque prorsus blasphemum in Deum.

Cap. 9. toto cælo errat, toto mari, totaque terra, dum S. scripturæ locos (quorum interpretationem etiam inter suos incertam & controuersam esse ipse fatetur) nefariè detorquet ad tria illa Monasticæ vitæ Vota confirmanda, de Paupertate, Continentia, obedientia, columna 1181. L. B. C.

Imprimis autem errat col. 1186. L. C. dum scribit Adamum in Paradiso donum Continentiæ à Deo habuisse. Dicere debuit castitatis. Cur enim illi Deus vxorem dedisset, & creasset ad propagandum genus humanum, si donum Continentiæ illi iam dedisset, & tribuisset? Sed & postea quoque idem continentiam coniugalem pro castitate imperitè nominat. Contingens enim in hac disputatione ille solū dicitur, qui prorsus vxorem non duxit: non qui cum ea castè viuit, aut

vixit.

Cap. 12. col. 1193. L. B. §. *Videmus*, impiè sentit & scripsit, vt suum Monachatum commendet, præter vitam æternam legis diuinæ obseruatoribus promissam, esse aliam quoque in cælo felicitatem vitæ Monasticæ cultoribus à Deo propositam. Quàm hoc sacrilegum est, & nefarium, obsecro vos pij omnes, & verè Pelagianum?

Cap. 13. col. 1194. & 1195. locos Matth. 19. vers. 26. 22. vers. 37. impudentissimè, & manifestissimè corrumpit & in verbis, & in sensu: & verba hæc Pauli Philipp. 4. vers. 8. *Hæc facite* contendit esse negantia, col. 1201. L. B.

Cap. 14. col. 1203. Voti definitionem à se excusam euertit ipse. Nam quum in ea posuerit, votum *soli Deo* fieri: addit statim, & *Sanctis* quoque concipi, & rectè Id quod est quoque falsum.

Cap. 15. ineptit prorsus, vtiturque perpetuo Parallogismo, *A dicto secundum quid*. Nescit enim quæ sit vera causa, cur vota piorum sint Deo grata.

Cap. 29. col. 1244. in loco Pauli 1. Corinth. 7. v. 35 & voce *laqueus* explicanda planè cæcutit.

Cap. 33. Locum ex Sapientiæ libro cap. 8. vers. 21. non magis assequitur, quàm nubes manu attingit: imo etiam vocem *Compos* imperitissime in vocem *Continens* vertit: vel malignissimè. Verùm per singula ire velle esset omnino infinitum. Itaque hæc pauca gustum aliquem ineptiarum & falsitatum Bellarm, pijs & doctis viris satis præbebunt.

Falsa verò suæ sententiæ fundamenta idem iacit;

cit, eaque plurima. Primum cap. 13. per totum ponit opera supererogationis pro sui Monachatus fundamento. Atqui illa nulla sunt: ergo nullum est Monachatus fundamentum.

Cap. 14. col. 1202. alterum collocat eiusdem rei fundamentum, nempe vota, ea, quæ, ut ait iste, præter promissionem à nobis in Baptismo factam Deo concipimus.

Cap. 19. col. 1212. contendit vota Monastica esse meliorem, & certiore viam ad vitam æternam consequendam quam ea sit, quam Christus in Baptismo monstrat, ac pollicetur suis electis.

Cap. 34. col. 127. L. D. Maius malum est, ait iste, post votum perpetuæ virginitatis nubere, vel uxorem ducere, quam scortari. Quia quæ nubit, votum servare non potest: at quæ fornicatur, servare illud potest. Quasi verò illa iam sit Virgo, quæ corpore scortata est, vel quasi post fornicationem votum servet. *Virgo est*, inquit Paulus, *quæ corpore, & animo sancta est* 1. Cor. 7. v. 34.

Denique seipsum refutat apertissimè Bellarminus, & quidem in multis huius libri locis & capitibus: sed planè totum Inf. lib. 3. cap. 5. col. 1320. ubi solitarium vitæ genus omnino damnat iste.

Sed hîc cap. 6. Manifesta & recepta à suis suæ scholæ dogmata negat, quæ postea idem tamen concedit, velut col. 1171. L. D. De meritis operum vitæ Monasticæ, & quod ad Monachos, & quod ad alios, quibus ea Monachi volunt applicare.

Cap. 9. Donum continentia & in nostra potestate esse ait, & esse omnibus piis commune, quod tamen alibi & à solo Deo dari, & rarum Dei donum

esse concedit ex Paulo, 1. Corinth. 7. ver. 17.

Cap. 14. col. 1203. L. C. Impossibilia nobis voueri Deo posse negat. Ergo probet tria Vota Monastica, de perpetua Continentia, Paupertate, & Obedientia à nobis præstari posse.

Cap. 16. col. 1207. L. A. res eas, quæ neque à Deo præceptæ sunt, neque probatæ, esse concedit inanes, & damnatas *ἰκελ ὀρθρωτικῆς*, Coloss. 2. vers. 23. Probet igitur suum Monachatum, & illius tria vota esse à Deo præcepta. Hoc negat. Vult enim esse tantum nuda Consilia.

Vouendi actus, ait hic cap. 17. col. 1208. sola mente perfici potest. At cap. 14. col. 1023. L. B. scribit, Voti obligatio ex solo animi proposito nasci non potest. Hæc sunt *ἀντιλέγοντα*, & sese evertunt.

Cap. 18. col. 1211. L. A. & col. 1219. L. D. ait, Vota nostra esse, & fieri Deo debent de rebus mediis, & indifferentibus. Hoc ipsum cap. 14. col. 1203. L. C. prorsus negat, & euerit.

Cap. 29. col. 1244. L. D. 6. *Ad testimonium.* Melius est, ait, opus à Deo præceptum, & imperatum, quam Votum. Atqui hoc ipsum toto hoc libro confutat Quare nemo vnquam vel vanior, vel inconstantior Bellarmino fuit, & nihil hoc ipso scripto incertius, & puerilius esse potest, quicquid in eo poliendo laborarit.

*Ad Librum Tertium, Qui est, De
Laicis, seu secularibus.*

Ad Cap. 1.

Quamcunque voluerit Methodum, sibi delingat, eamque sequatur Bellarminus: nihil nostra

stra refert. Nos eum, quocunque fuerit, vrgētes ipsius vestigia illum sequemur, & Deo bene iuuante, assequemur: & errores eius demōstrabimus. Vnum tantum in ipsa libri huius *ἑμπραξῆ*, & miramur, & indignamur, Quod in hoc libro de Maiori Ecclesiæ Militantis (quam vocat) parte dicturus Bellarminus, nempe de toto Grege, qui veris Pastoribus subest (in quo etiam Magistratus, & quidem summus, continetur, qui quouis honore dignus est, Roman. 13.) tamen eum, & totum Gregē contumeliose statim ab ipso exordio, *Laicam*, & quod peius est, etiam *Secularem*, appellat, contra Dei præceptum, Exod. 22, ver. 28, quod vetat, Ne quisquam Principi suo maledicat. Quis enim ignorat & Laici nomen ab istis Monachis in contemptum de reliquis Ecclesiæ membris (qui non sunt Rasi, & Vncti, dici: præsertim verò vocem *Secularis*. Nam & Seculum, & quod est ex seculo, in S. Scriptura opponitur Deo, & rebus iis, quæ Dei sunt, cælestes, & sanctæ: sicut apparet ex Romano. 12, ver. 2. *Ne conformemini huic seculo.* 1. Corinth. 2, versu sexto. *Non loquimur sapientiam huius seculi,* 2. Corinthior. 4, versu quarto. *Quibus Deus seculi excacauit mentes, id est, infidelibus.* Vnde *Seculum hoc, Malum* à Paulo vocatur, Galat. 1, versu quarto: & Ephesior. 2, versu secundo, *Noliti incedere secundum seculum.* Ergo quum Bellarminus reliqua Christi membra numero plura, quam sint Clerici, & Monachi: imò ipsum adeo summum Magistratum, vocat *Secularia*, & *Secularem*: procul dubio iis conuertiatur, quasi illi pij vera membra Christi minimè sint,

sed Diabolo iā destinati homines: neq; de Christi clero, possessione, & populo: vel per dericulū, sic eos omnes arrogās homo iste, velut viles animas, nulliūsque coram Deo pretij, appellat: quasi sic ipse, & focij, gallinæ filius albæ. At reliquus Christianus populus sint viles pulli nati infœlicibus ouis. Quis tantam, obsecro, contumeliam vnus Monachi Suitæ in totam sacrosanctam Dei Ecclesiam ferat? Quis tantum conuitium in Magistratum summum inultum esse velit? Quum etiam olim Legibus Romanis, & Ethnicis, vel Tribuni plebis corpus, & persona, & nomē in populo Romano, & Romæ, (vbi iste hæc scripsit) fuerit Sacrosanctum, vt ne attingi quidem sine perduellionis pœna potuerit, quæ fuit defectio de Rupe Capitolina: & extent hodie Leges Iuliæ Maiestatis contra istos Principum conuitiatores grauissimæ? Sed nihil Monachis est impudētius istis, qui cum vbi que, tum Romæ sibi omnia licere putant, modò suo idolo, seu Pōtifici Romano assentētur. Et hoc quidem est futurę de Magistratu etiam summo disputationis initium ab isto Bellarmino factū. Sed tales sunt Monasticæ eloquentiæ flosculi, atque venustates, & lepores.

Ad Cap. II. III. IV. V. VI.

Capita sex sequentia nihil nos ferunt: imò ipsosmet Pontificis Romani seruos, mancipia, & satellites potius evertunt: qui quamuis verbis Magistratum, & Magistratus autoritatem concedant: re tamen ipsa eam negant, & tollunt: & tantam duntaxat, aut tum solū demū eam esse, aliquid posse, & vigere volunt, quantam ipsi ex suo commodo

commodo eam metiuntur: & quandiu, & quando, eam esse cupiunt. Publicè enim etiam disputant, imò asserunt, quum ipsis lubet, non esse à subditis parendum summo suo Magistratui. Id quod Lutetia in Henrici tertij, & quarti Galliaë regum causa impiissimè factum, & comprobatum nuper est ab omnibus istis Clericis, & Monachis Põtificiis: & à Romano Pontifice laudatum, qui omniũ hæresicon fons est, & caput. Præsertim verò istius autor, nempe Principi infideli non esse à subditis parendum, sicut docet Hemoldus Monachus in historia Saxonica, contra expressum tamen Dei verbum, Hierem. 29. ver. 7. Roman. 13. ver. 5. 1. Petr. 2. ver. 13. 14. Quis autem melioribus, & validioribus argumentis istum contra Magistratum errorem Anabaptistarum, & aliorum, imò ipsorum Pontificiorum confutat, quàm omnes nostri tum scriptis eruditissimis, tum pœnis, & exemplis severissimis: teste etiam Bellarmino hoc capite, col. 1316. L. A. s. *Hanc hæresin.* Etsi verò quædam in his capitibus habet Bellarminus nota dignissima: tamè quia bonam causam tuetur, licèt sæpe malè, nos homini isti in tã multis disputationibus occupato facilè veniam istorum errorum dabimus, velut quod ait tertio capite, col. 1317. L. B. s. *Sed respondemus.* Magistratum Politicum expressè in S. Scriptura non probari. Quorsum igitur spectant tot loci ab hoc ipso suprà ex Dei verbo hoc ipso capite tertio, col. 1316. L. C. & D. citati?

Item quod ait cap. 4 col. 1319. L. C. Inter hæreticos nullus potest esse bonus Magistratus. Nam dum aliquos iste perstringere vult, seipsum iugu-

lat, & excecet. Nam contra hunc quoque illud ipsum retorquere poterit inter Pōtificios, qui peiores sunt hæreticis (quum inter Pontificios Antichristus planè regnet, ex 2. Thessal. 2. Apocal. 17. nullus ergo est bonus Magistratus. Itaque ne se, vel alios iste decipiat, sic loqui debuit, & sentire. Inter hæreticos, Ethnicos, & Pontificios, ratione religionis, nullus est bonus: & imitandus Magistratus: non autem in reliquis Magistratus partibus, in quibus aliquis, vti Augustus Cæsar, M. Antoninus, Traianus, etiam teste Gregorio ipso Magno, bonus fuit, sed non pius Magistratus. Augustinus lib. 19. cap. 21. Civitate Dei, & lib. v. cap. 11. in Iulianum, Job. 34. ver. 30.

Cap. 5. col. 1320. L. A. dum ait, Donum loquendi & audiendi, quorsum homini collatum est, si debeat solitarius vivere? Hoc etsi verissimè dictū est, tamē ipsū planè, & totā islius de Eremitis Monachis disputationē lib. superiore, c. xxxix. evertit.

Cap. 6. col. 1321. L. C. Potestatem Politicam esse immediate in tota populi multitudine, tanquā in subiecto: à qua transfertur postea in vnum, & plures. Hoc primū ab iis omnibus oppugnatur, qui Reges à Deo immediate, non à populo creati contendunt, ex Daniel. 4. ver. 22. Job. 12. ver. 18. Pl. 75. ver. 7. Prouerb. 8. ver. 16. quem locum hęc citat, parum quid dicat, attendens Bellarminus. Itaque Paulus ait, Potestatem Politicam esse immediate à Deo, Roman. 13. Deinde sequeretur Adamum ante multiplicatum in magnam multitudinē generis humanum, Regem Mundi non fuisse, si à multitudine ad regem ista potestas, & autoritas derivatur.

natur. Spectavit & in animo, quum hæc scriberet, habuit Bellarminus, id quod tradunt Jurisconsulti, Rege Regia populum Romanum trãstulisse in suum Principem, & imperatorem omne suum, & in se imperium. Sed quod in vno populo Romano (qui antea Democraticè regebatur) factum est, de cæteris populis non est affirmandum, velut iis, qui ex vna sunt familia propagati, sicut Israelitæ, Ægyptij, & primi populi (qui post diluuium terram coluerunt, Genes. 10.) vel qui semper sub Regio dominatu vixerunt. Inter hos enim Politica Potestas non primùm, & immediatè in tota multitudine fuit, & ab ea ad Vnum vel plures translata: sed illa primùm in ipso Rege, vel primo totius populi parente, & stirpe fuit, & constitit. Sed fallitur Bellarminus. Nam dum hæc regna, qualia nunc sunt in toto terrarum orbe non distinguit ab iis, quæ statim à conditu Mundi, velut Nembrothi regnum, extiterant, scribit & malè, & generaliter, & cõfuse Politicã Potestatẽ, primũ, & immediatè in ipsa populi multitudine esse. Id quod ipse refutat cap. 7. col. 1323. vbi de Principatu Adam in alios homines etiam in statu Innocentiæ agit. No his adstipulatur Thomas in I. parte, quæst. 96. Art. 4. Verùm homini occupato Bellarmino, & hoc quoque ἀπορρημα, vt multa, & varia alia in hac disputatione condonetur. Item eodẽ cap. 6. col. 1321. L. D. quod ait, Ecclesiasticã potestatem differre à Politica, quòd sit immediatè à Deo cõstituta Ecclesiastica potestas in vno præcisè, nèpe Petro, & per eum in Pontifice Romano: Politica non magis determinatè, & præcisè in vno, quàm in pluribus, toto cœlo fallitur. Potius Ecclesia-

ftica. Potestas immediatè toti Ecclesiæ cuiusque loci multitudini data est: quàm Politica. Itaque vtitur Christus verbo plurali in demandanda potestate Ecclesiastica, Iohan. 20. ver. 23. Paulus quoque collectiuo, I. Corinth. 5. ver. 4. *Vobis, & Spiritu meo, collectis.* & 2. Corinth. 2. ver. 7. & 10. *Cui vero condonatis, & ego.* At in stabilienda Politica potestate, verbo singulari, Roman. 13. ver. 1. Sic à Dei Verbo refutatur Bellarminus.

Quod eodè capitè sexto Bellarminus, col. 1323. L. A. scribit Deum tribuisse mercedem bonis Romanorum Ethnicorum operibus, nimirum, Hoc tam latum, quàm habuerunt, imperium, rectè intelligat, & ex mente Augustini Bellarminus, lib. 5. Ciuitate Dei, cap. xv. Bona enim opera illic appellat Augustinus ratione tantùm hominum, eorumque iudicio, *Bona:* non autem Dei. Nam & absque fide ea fuisse scribit eod. cap. Augustinus, ac proinde coram Deo peccatum, Roman. 14. ver. 23. & absque pietate in Deum verum. Sed vt Dominus Deus ostendat, quàm sibi sint gratæ virtutes, & verum aduersus se obsequium, istis etiam earum rerum solùm laruis, & simulachris bonos, prosperosque rerum in hoc Mundo successus promisit merâ benignitate. Deinde hoc pacto Deus pacem aliquam in genere humano esse voluit. Itaque quosdam etiam ex Gentibus Monarchas in orbe terrarum constituit, qui alios Reges, & populos compescerent, & in pace continerent: præsertim autè Dei Ecclesiã cōseruarent, & tuerētur. Quod fecit Cyrus, Darius, Alexâder M. C. Cæsar, & Au

& Augustus. In summa, sic amplificatum est, & Persarum, & Græcorum, & Romanorum & Chaldeorum seu Medorum imperium, quoniam id fore prædixerat Deus, Daniel 7. & xi. Leonis verò ratio Serm. primo de Sanctis Petro & Paulo verissima est, ut sic sub vno Principe, pararetur via futuræ p totū mūdū Euāgelij p̄dicationi, factū est latissimū Romanū Imperium. Origenes li. 2. contra Celsum.

Ad Cap. VII.

Bene monuit olim Pythagoras, Ignem gladio bene foderis: bene Socrates. Quæ supra nos, nihil ad nos: melius Paulus Roman. 12. Noli altum sapere. Infelix enim est sapientia, inquit Iustinus Martyr contra Tryphonem, sapere, Theologo præsertim, extra Dei verbum: in quo nostræ de rebus cælestibus sapientiæ metæ sunt positæ. Intra has autem si sese hic cōtinuisset Bellarminus, neque quid in primo statu manente Adamo futurū fuisset, qui dominatus hominis in hominem, quæ disparitas hominum, ætatum, corporum, quod imperium Angelorum in cælo, quæ fuisset, neque definiuisset. Neque Thomæ Aquinatis in prima parte quæst. 96. inanem curiositatem sequi maluisset, quàm salutarem S. Scripturæ sobrietatem. Sed quomodo hunc mundi statum, qui neque vñquam fuit, neque qualis futurus erat in Dei verbo scripto explicatur, homo iste postea, & à conditu mundi post annos v. m. & d. natus, nobis definire potest? Sed somniat, ac diuinat, suo more, Bellarminus in ea, quæ non nouit, temerè se ingerens, contra Pauli præceptum Coloss. 2. v. 18. Nos verò vere pij sobrij in his quæstionibus omnes sumus.

Ad Cap. VIII.

Hic mihi exclamare liceat. Impudentiam spectatore Bellarmini, qui crimen, cuius ipse manifestè cum omnibus sociis reus est, imponere viris piis VViclefuo & Hussio ausus est, à quo eos prorsus immunes esse sciunt omnes qui ipsorum libros legerunt. Ipsi Pontificij Monachi nullo pudore minimè à subditis parendum esse Principibus suis Infidelibus vel Hæreticis docent, clamant, & in suis tribunitiis scholis ac concionibus vociferantur. Hac ratione imperium Henricis III. V. VI. Othonibus II. & III. Ludouico III. & aliis Imperatoribus Germanicis, summis Magistratibus totius orbis, à Gregoriis, Paschalibus, Victoribus, Adrianis Papis Romanis fuit abrogatum: de quo conqueruntur etiam viri graues & pij, qui vel in illa tempora inciderunt, vel eorum historiam nobis reliquerunt. At verò fingit iste hunc fuisse errorem VViclefui, & Hussij sanctissimorum hominum, qui de eo ne somniarunt unquam. Sic isti Monachi impij pios illos accusant, vt sese à iusta in se inuidia exonerent.

Quod verò VViclefusus & Hussius sensere, planè cum Dei verbo in eo consentiant, & Reges etiam agnoscendos eos esse fatentur, qui sunt infideles. Verùm eorum legibus, quibus Dei verbum, & veram Christi religionem oppugnant, à pijs viris parendum esse negant, sicut est Actis 4. vers. 19. 5. vers. 2. 9. Id quod & nos, & pij omnes rectè, orthodoxèque tradunt. Quemadmodum sua Cæsari, sic & sua Deo sunt reddenda Matth. 22. vers. 21. can. *Noli*, & can. *Si Dominus*, xi. quæst. III. Verùm

Verum quoniam nostrorum libri pleni sunt iis argumentis, quibus etiam Infideles esse Reges posse demonstramus, ne actum agam (quod omnino molestum est) & eandem cramben, istius more, (quæ mors est) apponam, illis huc transferendis & describendis super sedeo.

Ad Cap. IX.

Quod scribit iste de Caluino falsum est, ut vel locus ipse Caluini lib. 4. Institution. cap. 10. facile docebit. Ait igitur, etsi tenentur pij propter conscientiam agnoscere Magistratus auctoritatem à Deo constitutam in legibus condendis, & exercendis, sicut ait Paulus Rom. 13. v. 5. tamen non obligantur iidem pij singulis Magistratum quorumvis legibus in conscientia, nempe impiis & iniustis, Actor. 4. vers. 19. Deinde vel ipsæ rationes, quas iste commemorat pro Caluini sententia tuenda: & distinctio inter peccatum veniale, & mortale in hoc argumento prolato, luce Meridiana clarius, demonstrant hæc falso fuisse Iohanni Caluino adscripta ab isto impostore Bellarmino. Sed de eo postea cap. XI. huius libri tertij latius.

Ad Cap. X.

Mirè fuit ambitiosus homo Bellarminus, qui ut ingenium hinc ostentaret suum, rem ab omnibus piis concessam, velut anxie inter nos controuersam agit, tractat, & testimonia, & rationes ad eam confirmandam, ubi non est necesse, congerit. Frustra igitur hinc se torquet iste, & laborat, ubi nihil est opus. Quis enim vel sanus,

vel pius negat Magistratibus summis Christianis, imo quibusvis summis legitimis fas esse leges condere, & conditas in iudiciis exercere, ac practicare. Nam hæc necessario cohærent, nempe Magistratus summus, & Nomothesia, id est, legum condendarum ius, & autoritas, iuxta regulam Iuris concessa Iurisdictione, & ea sine quibus exerceri potest, conceduntur. §. D. De Iurisdictione omnium Iudicum. Verùm chartas perdere, & commaculare voluit Bellarminus, ut crassum nobis volumē suum scriberet, & faceret. In summa, Qui rectam legem imperare vult, ille Deum: qui hominem, & hominis arbitrium & nutum vult imperare, ille beluā, inquit lib. I. Politicorum Aristoteles. Sed quid in re tam manifesta tot, obsecro, verbis opus est? Hoc est operam perdere.

Porro quod de libero hominis post peccatum arbitrio: & de triplici Christianæ libertatis gradu hic admiscet Bellarminus, est ἀπὸ τοῦ ἰσούου. Nec enim erat huic cypressus locus. Præterea, quod de isto peccatorum hominum libero iam ut vocat arbitrio scribit, est omnino falsum: uti quod addit leges Divinas & Humanas esse æquales. Fructus autem Christianæ libertatis. Qui sint, & unde sint, melius Deo bene fauente, & luculentius, quam iuste, explicabimus: sed suo loco, non ut Bellarminus, deserto, & importuno seu intempestivo. Verum iste modo garriat, & scriptitet, nihil habet pēsi, ne si quidem cælum terræ misceat, quod hic omnino facit. Ad Cap. XI.

Bene est quòd ineptum & falsum dogma probaturus, si potest, Bellarminus, ineptis quoque

que & falsis rationibus utitur, idque manifestissimè. Prætermitto autem, quod eedem & obscurissimæ sunt, & intricatissimæ. Omnes nullius momenti. Sed malæ ædificationi suæ malum fundamentum iste substernit, ut habeant similes labra lactucas, & totum hoc caput secum consentiat. Dogma Bellarmini est, legem civilem seu humanam non minùs obligare in conscientia, quàm divinam. Hoc multipliciter falsum est. Primum, Quòd quum solus Deus ius in hominum conscientias habeat, utpote sedem ac domicilium proprium. Roman. 1. vers. 32. 2. vers. 15. 1. Corinth. 7. vers. 30. 35. 1. Petr. 4. vers. 19. ergo nulla lex, nisi divina, nos in conscientia obligare potest.

Secundum peccat. Nam si vera esset hæc sententia, æque humanæ atque divinæ legi esset obsequendum. Vbi enim est par ratio, ibi ius idem quoque obtinere debet. At qui hoc falsum est consequens, ergo & antecedens. Divina enim lex humanæ omnino præferri debet, teste Petro Actor. 4. vers. 19. 5. vers. 29.

Tertium peccat. Nam legi humanæ sæpe etiam propter conscientiam omnino parendum non est, velut quum Nabugadnezar edicto iubet idolum, seu imaginem suam auream adorari Daniel. 3. vers. 4. & 16. At legi divinæ semper propter conscientiam est obsequendum: nunquam ab ea deslectendum.

Quartum argumentum est. Quæ sunt conscientie leges mutari non possunt, uti neque ipsa conscientia, neque Deus (qui solus conscientie Rex est) mutari potest. Roman. 2. vers. 15. At leges hu-

manæ etiam de rebus iisdem sunt variæ, ac diversæ. Ergo toto genere leges humanæ & conscientiæ leges inter se differunt. Infinita alia possunt in eandem sententiam ac rem afferri, quæ, brevitatis gratiâ, prætermitto. Verùm ad Bellarmini rationes accedo, easque examino, ac confuto.

Prima est hæc brevissimè quidem tota à nobis ab isto autem longissimis & plurimis verbis comprehensa. Quod est & essenziale, & naturale proprium legis non potest adimi legi humanæ. Est enim lex. Verum hoc est cuius legi essenziale, ac proprium, ut obliget subditi sibi conscientiam: ergo & lex humana adstringit conscientiam. Respondeo, Vera est maior huius syllogismi propositio. Itaque conceditur à nobis. Sed minor falsa est: ac propterea negatur. Ratio est, Quoniam ut lex quæpiam nostras conscientias adstringat pendet partim ex autoritate legislatoris, partim ex rerum ipsarum natura, de quibus lex aliqua fertur. Ergo cui legi hæc duo desunt, illa conscientias nostras nequaquam obligat. Ac primùm quidem legislatoris autoritas desideratur, qui potestatem & ius in nostras conscientias habeat. Nam quemadmodum nemo iudex extra suum territorium iurisdictionem habet, *L. Extra territorium. §. De iurisdictione omnium Iudicum*: sic neque extra suæ potestatis, ac iurisdictionis terminos ius habet ac imperium. At verò solus Deus ius in hominum conscientias habet, *1. Corinth. 7. vers. 10. 35.* Ergo præter eum nemo eas obstringere potest. Nec obstat quod est *Rom. 13. v. 5.* teneri nos propter conscientiam parere Magistratui Politico. Deus enim ipse

ipse hoc iussit, non homo: nempe vt Magistratus
 auctoritatem agnoscere, Exod. 20. vers. 12. 22. v. 28.
 Deuter. 17. Ergo parere Magistratui in genere est
 de conscientia: sed huic vel illi Magistratus legi
 obsequi omnino, & in omnibus, non obligamur
 propter conscientiam, vt iste vult falso. Ergo lex
 ab homine facta, quâ ab homine est, minimè nos-
 tram conscientiam attingit, obstringit, & vincit.

Altera conditio est, vt res ea, de qua lex fertur,
 ad conscientiam pertineat. Neq̄ enim res omnes
 ad eam referuntur: sed cæ duntaxat, quæ in lege
 Dei Morali continentur. Ergo de aliis rebus le-
 ges scriptæ minimè nostras conscientias obligât.
 Neque enim quæuis leges de rebus conscientiali-
 bus agunt. Sed, de diuersa rerum materia, illæ fe-
 runtur. Nec enim lex de panno, synthesi vel cir-
 culo textili & rubeo in galero gestando, de Pane
 sub dio vendendo, de ense vaginæ alligando, est
 lex conscientialis, licet fuerit à summo loci illius
 Magistratu ædita. Quamobrem Bellarmini ratio
 est fallacia duplex, vna A petitione Principij, quæ
 est vitiosissima. Assumit enim pro concessio id,
 quod in quæstione est. Altera fallacia est Ab I-
 gnoratione Elenchi. Confundit enim Bellarmi-
 nus imperitè duo planè diuersa rerum genera,
 nempe res conscientiales, & non conscientia-
 les.

Secunda Bellarmini ratio, Si lex sola diuina
 obligaret conscientias nostras: ergo leges diui-
 næ omnes æquè eas obstringerent. At hoc fal-
 sum est, ait iste. Nam præceptum, *Non oc-
 cides*, magis obligat, quàm hoc, *Non furaberis*.

Respondeo, In hoc argumento triplex est fallacia. Prima A non consequente. Nec enim sequitur, ut si leges diuinæ conscientias vinciant, manes pariter & æqualiter eas obstringant. Nam ratione materiae, vna potest plus obligare nos, quàm altera: velut quæ de Dei cultu agit, magis nos adstringit quàm quæ aliquid de bonis fratrum conservandis sancit. Ergo primæ tabulæ præceptum dicitur à Christo primum & maximum Matth. 22. v. 38. Secunda fallacia est Ab Ignoracione Elenchi. Tribuit enim causam æqualis obligationis legum ipsi sanctioni legi, quæ potius est tribuenda materiae, de qua leges scribuntur, ex eaque metiendae est. Tertia fallacia est, quòd sumit, more suo, principium. Putat enim præceptum de furto nos magis obligare, quoniam in secunda tabula situ prius est, quàm præceptum de Mendacio. Ergo hoc posterius vult nos minus adstringere. Falsum est. In collocandis enim secundæ tabulæ legis suæ præceptis Deus rationem habuit originis rerum, non grauioris rerum æstimationis, & offensæ. Nam vt est Proverb. 22. vers. 1, *Pluris est pius virus bona fama, quàm magna vis auri, & summa*: ergo iisdem est grauior famæ honestæ detractio, quàm bonorum ereptio, contra quàm hîc indicat Bellarminus. Tertia Bellarmini ratio, Lex humana spectat & tuetur charitatem inter homines, vt & diuina: ergo etiam conscientias hominum obligat. Nam finis cuiusuis præcepti est charitas 1. Timoth. 1. v. 5. Respondeo charitas est finis legis duobus modis, nempe mediatè, vel immediatè. Immediatè, velut in lege Morali Dei. Mediatè, velut in legibus

bus hominum, quarum finis remotus etsi est, vt humana societas conseruetur: tamē proximus eorum finis est, vt tale illius conseruandæ medium humana ratione excogitatum (etsi sæpe impium, & contra ipsiusmet veræ charitatis geniũ, velut vt vsuræ in quouis mutuo locum habeant, lupanaria sint in certa parte vrbis, Turcæ & Iudæi suas superstitiones in certis vrbis ædibus exerceant) tale, inquam, mediũ vigeat, ac retineatur. In quo medio quærendo sæpe prudens, sæpe imprudens aberrat humana ratio: idcircoque lex humana, vt humana, minimè nostras conscientias obligat, & attingit. Atque sui huius argumenti ἀσυλλογισίας ac vanitatem animaduertit ipsemet hoc loco & pag. 1. 31. L. B. & C. Bellarminus.

Quarta ratio, lex humana, sicut & diuina constituit actum virtutis, postquam lata fuit. Nam quod prius erat indifferens, ex lege fit actus virtutis. Ergo pares sunt lex humana, & diuina. Respondeo, Caret homo iste communi iudicio & mente, qui hæc tam absurda concludat. Eadem enim ratione efficiam ego iussa & præcepta Patrum familiarum in familia, Magistrorum in schola, Artificum in sua officina esse paria & edictis regum, & præceptis ac legibus etiam diuinis, quoniam omnia ista, nempe Artificum pueris suis tradita in sua officina regenda præcepta, Magistrorum iussa in discipulos, Patrum in suam familiam faciunt actus virtutis, qui prius erant indifferentes. Ecquæ tandem erit vel diuinæ, vel Imperialis legis autoritas igitur ex hac Bellarmini sententia? Certè nulla. Verùm age fallaciam huius argumenti ostenda-

mus. Est verò facile. Nam hæc fallacia primùm est petitio Principij, huic perquam familiaris. Sumit enim controuersum pro confesso, & cõcesso. Deinde est fallacia Ab Ignorantia veri. Nescit enim doctor iste Romanus quid propriè conscientiam obliget. Iam ipse igitur hunc doctorem doceo. Quid igitur, Bellarmine, tu es doct. r in Israel, & hæc ignoras? Audi, attende. Nihil aliud obligat hominum conscientiam & *σωείδ'νοτι*, quàm quod est in *Σωτηρήσει*, & reliquis humanæ lucis nostris mentibus à Deo impressæ scintillis, in iis que elucet. Ergo quas res Synteresis & lux illa mentis humanæ reliqua non damnat per se, immediatè, & ex tributa sibi à Deo notitia: vel quas eadem Synteresis non probat, eæ nequaquam conscientias hominum obligant, etsi ex consequenti, & ex discursu rationis illæ res, & de illis præcepta colligi posse videtur. Quare fallitur Bellarminus, dū aliis præceptis, quàm illis, quæ communis hominum Synteresis tradit, nostras conscientias obstringi putat. Quæ præcepta omnia in lege Dei Morali sunt comprehensa. Est & tertia Bellarmini fallacia Ab æquiuatione vocis *virtus*. Hæc autem vel propriè actum Deo gratum, ex notitia mentibus hominum generaliter insculpta, significat: vel quemuis actum externè solum speciosum, & probabilem. Sic virtus equi, virtus canis dicitur istorum animalium actiones speciosæ, & decentes. Ergo quoduis præceptum humanum & lex actum aliquem externè solum speciosum habere & præcipere potest: sed non actum virtutis, prout virtus est actio ex Synteresis dictamine & notitiis illius ædita,

edita, & præcepta. Quæ omnia imperitè cõfundit iste homo.

Quinta ratio, Est eiusdem autoritatis lex à Rege & Prorege scripta. At lex diuina est lex à Rege: lex humana à Prorege promulgata: ergo vtraque est paris potestatis & autoritatis. Respondeo, Est prorsus falsa ista ratio. Id quod vel pueri ipsi vident. Nam contra rerum naturam Regis & Proregis, Dei & hominum, Domini & serui cõditionem, statum, & personam exæquat. Neque verò quicquam faciunt pro isto loci ab eo ex Augustino & Bernardo citati. Illi enim tantum docent, quum eadem præcipiunt homines, quæ Deus, illis, uti Deo, esse tunc obsequendum, quia se veros Dei Ministros ac fideles præstant: non autem in omnibus, can. *Noli* (qui est Augustini) xi. quest. iii.

Sexta ratio, leges humane obligant ad prænam, ergo & ad peccatum seu culpam, Augustinus in *Retractat.* cap. 9. At peccatum conscientiam obligat: ergo & lex humana. Respondeo, Et hîc quoque fallacia est Ab æquiuocatione vocis *Culpa*, & *Peccatum*. Vtraque enim sumitur vel propriè, vel impropriè. Propriè pro offensa, quæ in Dei præceptum aliquod fertur & dirigitur. Hoc peccatum, & genus peccati solùm conscientiam ferit & obligat. Impropriè, quum actio quælibet contra quoduis præcipientis iussum ac præceptum peccatum vocatur. Sic peccat qui filium rubrum in galero non gestauerit sub nocte, vel ciuis si non habet tesseram. Hoc significato peccatû nō vincit aut ferit cõscientiã, nisi cû lege Dei lex humana in eo edicto suo planè cõsètiat. Et si. n. omne

peccatum est ἀνομία & transgressio alicuius legis: tamen non omnes leges, vti supra docuimus, vim habent obstringendi nostras conscientias.

Septima ratio Bellarmini habet multos locos ex vno capite xiiii. Pauli ad Romanos, qui hinc à Bellarmino discerpti, in vnum tamen coeunt. Mens enim Pauli in omnibus illis versiculis 1.2.4.5. sed & Petri 1. Petr. 2. vers. 13. est hæc, vt eos damnent, qui Magistratus in vniuersum autoritatem vel abolendam, vel aspernendam esse à piis docent. Quod faciunt Monachi Pontificis serui: non autem docent quasuis leges humanas, quæ sunt humanæ, nostras conscientias obligare, quæ grauissima est hæresis Bellarmini contra Petri sententiam Act. 4. vers. 19.

Porro ad solutionem nostrorum argumentorum tandem accedit iste. Verùm in solutione, Primi, Secundi, & Tertij argumenti nostri fallitur in Æquiocatione vocis *peccare*, vti iam docuimus. Peccant quidem omnes qui in aliquam legem sibi præscriptam aliquid committunt: sed quoduis peccatum eiusmodi non est contra conscientiam, sicut tenebrio iste sentit hinc, & scribit. Peccat Daniel orans Deum apertis fenestris, idolum regis colere nolens contra Regis Chaldæi edictum: sed non contra suam conscientiam, quæ illis edictis obligari non potuit, Daniel cap. 3. & 6.

Quàm verò insulsus est homo iste & ἀθεόλογος, qui scribat col. 1332. L. A. leges de finibus agrorū regundis, de stillicidiis auertendis, de Plateis vr-
bis mundandis esse spirituales, & agere de rebus spiritualibus. Fidem & iudicium piorum omnium hinc

hinc imploro, ut tuam ineptiam, mi homo, videat. Deinde quam falsum & hoc quoque est, *ligare conscientiam non esse aliquid agere in rem spiritualem.* Quae te intemperantiae agunt, Bellarmine, ut conscientiam hominum, & peccatum, res esse spirituales neges? Miluium esse te oportet, neque hominum, qui haec & scribas, & aedas, & monumentis consignes tuis.

Quartum & quintum nostrorum argumentum verum esse agnoscit. Itaque & illa concedit, & in solutione plane, more suo, variat. Qua vero fronte & quomodo illud affirmat iste, Leges humanas, quae fieri contra ipsa Dei praecipua aliquid iubent, obligare tamen conscientiam: & in iis Magistratus earum autores esse veros Ministros Dei Somnias, & deliras Bellarmine, quia haereticus es.

Solutio Bellarmini ad sextum nostrum argumentum nihil valet. Fallitur enim, quum putat plures poenas esse unius criminis, quum propter idem crimen alicui manus, & caput diuersis in locis abscinditur. Vnicum est supplicium, & vna illius criminis poena, tota haec laceratio corporis: sed quae diuersis in locis & in diuersis corporis partibus & membris scelerato applicatur. Sed & ineptissimus est iste, qui putet poenas a Magistratu impositas non finiri in hoc seculo totas: sed differri in futurum, & in eo quoque durare. Id quod est proprium poenae conscientiae impositae.

Non respondet Bellarmine ad septimum nostrum argumentum, quod est eiusmodi. Princeps non potest imperare conscientiae, quia ius in eam nullum habet. Hoc telum nec a se depellere po-

test, neque vlllo pacto declinare.

Octauum argumentum nostrum ne attingit quidem Bellarminus, nempe propter conscientiam saepe legibus humanis (velut si nos idololatrias esse iubeant) non est parendum: ergo lex humana omnis non obligat nos in conscientiis, hoc nos docuit Petrus Actor. 4. vers. 19. Iste enitandi ictus istius gratiâ, nos ad Hispanos, & Polonos remittit, nimirum ad Garamantas & Indos, quia quod afferret, nō habuit. Sed ex Dei verbo, quam ex istorum, quos profert, hæreticorum hominum scriptis, quid de toto hoc argumento sentiendum sit, & didicimus, & iam docuimus, Dei gratiâ.

Ad Cap. XII.

Quorsum, obsecro, hæc tanquam controuersa proponit Bellarminus, de quibus omnes inter nos consentimus? Nam qui Magistratum esse aliquem concedit, idem fateatur necesse est, cum ipsum posse iudicia exercere, & reliqua, de quibus iste aliquot sequentibus capitibus anxie disputat, agere. Sed chartas implere & se oblectare suis scriptionibus istis voluit Bellarminus, qui sicut inepti pictores, manum de tabula tollere non potest. At docti pictores possunt. Solutio porrò ad locum Pauli, prima epist. ad Corinth. 6. vers. 7. quam affert iste, cum perplexa, varia, & anceps est: tum inepta, quum ἵππημα scribit significare hinc non peccatum, sed imperfectionem solum. Imò peccatum est, quo sensu hinc sumit Paulus, quia defectum summum charitatis inter eos fuisse declarat. Sed hinc quoque suum ingenium ostentare voluit Sufenus iste in turbando hoc Pauli loco.

Ad

Ad Cap. XIII.

ET si vera est doctrina, quam hic tuetur Bellarminus, licere Magistratui Christiano fontes punire: non autem, ut hic iste scribit, solum Reip. perduelliones & perturbatores, idque gladio: male tamen respondet Anabaptistarum argumento ex Matth. 5. ver. 38. *Oculus pro oculo*, Exod. 21. v. 24. Itaque & variat in solutione, & eam implicat inuoluitque Bellarmin. Frustrà. Facilis est solutio, & mens Christi. Reprehendit enim Phariseos, qui ex lege illa Dei Politica legem Moralem docebant vindictam iniuriæ nobis à proximo factæ præcipi, ac concedi, & quidem priuatam, & animo, quantum iniuriam accepimus, tantumdem retaliandi proximo nos offendenti. Falsa est ista interpretatio, & legem Moralem ac Spiritualem in merè Politicam transformat, contra Dei mentem, Roman. 12. vers. 19. Prouerb. 25. vers. 22.

Ad Cap. XIII.

Verum quidem dogma tueri voluit Bellarminus: sed, qua est animi petulentiâ in omnes ac maledicentiâ, à calumniis abstinere non potuit. Primum pios nostri temporis omnes, à quibus & iste, & reliqui mortales acceperunt quicquid iam habent Euangelicæ lucis, nempe Caluinum, Melanchthonem, Lutherum contumeliose appellat hæreticos ipse hæreseon omnium patronus. Deinde mordet Iohannem Oecolampadium, cuius sententiam ex quodam nebulone Hispano, (quem Alphonsum à Castro vocat) discere maluit, quam ex ipsius Oecolampadij luculentissimis ac disertissimis scriptis, & epistolis, ex

quibus iusta Christianorum bella nequaquam ab Oecolampadio damnari intellexisset homo iste. Tertio calumniatur D. Erasmus virum egregie doctum, qui in commentariis in Luc. ca. 3. sic scribit, *Pro publica Christianorum pace tuenda, Casari, Casarisque praefectis concedit arma Christus. Sed idē quam belligerantur Episcopi, nec aliud ferēs, quam belligerantur.* Sed quum Erasmus praeposteriorum Papalium Episcoporum bella vbique mouentium studium duntaxat improbet, vti & Luc. 22. versic. 36. Bellarminus illius sententiam deprauans & intorquens scribit, eum omnino bella omnia inter Christianos damnare. Quae manifestissima est Bellarmini in quietos Erasmi cineres sententia, & calumnia, tam est malignus, & canina in ossibus cadauerum arrodēdis rabie, & furore abreptus. Itaque inanis est tota Bellarmini aduersus eum postea velitatio.

Sed quid iste Oecolampadium, & Erasmus haereticos clamat: suos, qui in Manichæorum errorem apertè & planè inciderūt, ne nominat quidem? Quid enim magis Manichæanum est, quam quod scribitur in can. *Si quis. Dist. 50. Siquis post baptismum secularis militiae cingulum habuerit. ad clericatum omnino admitti non debet.* Cur verò? Nisi quia militiam, & arma, quantumuis iusta, ex heresi Montanistarum. Christianis omnino interdicta putant: Item in glossa in can. *Si quis. Dist. 51. Idem in can. Contrarium & in can. falsas. De poenitentia. Dist. v. Ergo Bellarminus prius spectet, adibus in propriis quae praua, & quae recta gerantur, quam Erasmi immeritò flagellet, & suos prius castiget.*

Præterea

Præterea cur in re ab omnibus piis concessa, non controuersa tot rationes colligit iste, nisi vt ostendet se, & nostro abutatur otio, qui etiam nobis somnia ac fabellas de Angelis specie equitum vnâ in exercitu pro Macchabeis pugnantibus narrat: de Ioh. & Philip. Apostolis Theodosio Maiore Angelis pro Theodosio Iunione visibiliter dimicantibus: cum Clodoueo pugnassee contra Gothos Martinum iam mortuum recitat. Prætermittit autem pro vera sententia, & pro se præcipuum S. Scripturæ locum, ex Epistola ad Hæbreos ca. 11. v. 34. *pios per fidem castra hostium suorum fudisse*. Sed dum iste superfluis immoratur, necessaria prætermittit.

Cæterùm solutiones Bellarmini ad locum Isaię, c. 2. v. 4. & Matt. 5. v. 39. sunt non modò variæ, quales quidem affert, & perplexæ omnino: sed etiam falsæ. Ait enim ista esse consilia, non præcepta. Sūt præcepta, eaque vera, & Christi: sed quæ bella & publica & legitima non tollunt, aut damnant: sed priuatam tantùm animorum vindictam & ultionem in viris Christianis prohibent. Verùm iste nodum in scirpo quærit, & nutat, vbi paulò acrius ab Anabaptistis vrgetur, vti in his locis ex Dei verbo sumptis.

De Tertuliano quod scribit Bellarminus, eum semper sensisse licere Christianis arma gerere, falsum est. Nam in libro de Idololatria iam in Mōtanistarum errorem prolapsus scribit sine circuiuione Tertullianus Christum in Petro exarmando, Iohan. 18. v. 11. exarmasse Christianos omnes, adeò vt neget iis licere arma gladiumue gestare

idem Tertullianus.

Dixi iam quàm manifestam calumniam faciat Erasmo mortuo Bellarminus, dum eum scribit omnia Christianorum Principum bella & arma suo suffragio damnaſſe, & improbaviſſe. Impoſtura iſta eſt. Sic enim Deſiderius Erasmus in Luc. 22. v. 36. poſtquam illa omnia, quæ hîc ex eo refert iſte elegantiffimè potulit, addit *Neque verò, quum hæc dico, ius adimo Principibus gerendi belli, modo Chriſtiane geratur. Laudantur Ambroſio Cæſares, qui ſe pro tuenda Chriſtiana tranquillitate adverſus Barbaros, ceu murum, oppoſuere.* Sed eodem in loco verrat Episcopos Papales, quos univverſus terrarum orbis videt ad bella ubique excitanda inflammatos, bella gerere. Itaque ait. *Quid igitur intereſt inter Cærem militem conductitium, & virum Apoſtolicum.* Hoc idem ante D. Erasmus ſenſit & ſcripſit Hieronymus eſtque in ca. *Si quis vult.* Diſt. xxxvi. Denique bella Chriſtianorum Principum inter ſe Erasmus tantum execratur, quæ vt accenderet, venit in Galliam noſtram cum ſuo Caietano Cardinali & Papæ nuntio ipſemet Bellarminus, vt iſtatur. Verùm ſumma Dei benignitate aliter euenit. Itaque ſic Bellarmino reſpondeo.

Venerat vt Gallos Bellarminus perderet auro.

Non Gallos: Dominum perdidit ille ſuum.

Ad Cap. xv.

NÈ nō iſte in cellæ Monaſticę pedore nutrius, & tenebrio homo omnia deturparet, & conquinaret ſuis ſcriptis etiã de bello, ecquod iuſtum, ecquod iniuſtum ſit ſcribere auſus eſt, definirèque id voluit, non veritus illud vetus, & prudens maiorum dictū, *Ne ſutor ultra crepidam.* Quid enim

Monacho cum bello, etiam hoc ipso teste, supra col. 1341. L. B. §. Respondeo.

Verum hominem audiamus. Nam quicquid hinc habet, non suum, sed tralatitium habet, & à se descriptum ex Canonistis in xxii. quæst. prima, ex Viguiero, & aliis Sententiaris. A quibus tamen in ipso statim initio dissentit, Nempe Discipulus à suis Magistris, Illi enim quinque iusti belli conditiones esse volunt: iste verò quattuor duntaxat. Prætermittit enim vnam, quæ valde necessaria est, Nempe quæ spectanda est ex parte, & respectu eius, contra quem geritur, vel suscipitur bellum gerendum, ut est in can. vlt. xxiii. quæst. ii. & can. *De occidendis* ibid. quæst. 5. Alij addunt sextam quoque conditionem, quæ tempus committendi prælij spectati tam se Clerici isti doctos & peritos bellorum iactare voluerunt ac ostentare *divos Nimirum* *ἠπολλύσαν Ασίνι ad Lyram*, ut est in veteri paræmia, Sed & caput de personis, quæ militare debent, prætermittit, adeò præceps fuit iste. Nam præcipua huius disputationis capita omisit.

Quod scribit idem iste, col. 1342. L. A. licere Principi summo quum ab alio summo offensus est illam iniuriam publicam bello propulsare, quoniam vterque communem iudicem non habet, coram quo de iure disceptet, crudum est, & nimis asperum. Nec enim ad arma statim prorumpendum, ac procurrendum est: sed mittendi faciales qui res reperant, & quantum fieri potest, prius inter eos Principes summos, eorumve, consiliarios agendum vltro, citroque, utendumque ratione, ut res componatur,

exemplo Iephtes Iudicis Israeli, Iudic. c. 11. & 12. & ex Deuter. cap. 20. August. Epist. 207. præcepto. Omnia enim sapientem prius, quàm armis, experiri decet. Idque ratio, & humanitas ipsa docet, & dicitur.

In secunda belli conditione, ut iustum sit, quæque ex illius causa & graui, & manifesta sumitur, addendum illud fuit à Bellarmino, Iustam eam demum esse belli gerendi causam, non tantum quæ necessaria est (quemadmodum tamen nonnulli ex hoc Titi Liuij loco volunt, *Iusta sunt arma quibus necessaria*) verum quæ, & propter quam pugnare Dei verbo scripto conceditur, & propter quam arma corripì possint. Nam propter verbum Dei simpliciter tuendum, aut hæresim propagandam, ex Dei verbo bellum geri neque debet, neque potest. In quo peccant grauissimè Pontifices Romani, & Pontificij omnes, contra can. *Dispar.* 23. quæst. 8.

In tertia belli iusti conditione peccat mortaliter Bellarminus, col. 1343. L. C. §. *Sed meliori*, dum ait, Principem summum de Iustitia non teneri vel ante, vel post bellum inchoatum acceptare satisfactionem iniuriæ sibi ab alio summo Principe factæ, sed solum ex charitate.

Falsum hoc. Nam quum offendens, & offensus Princeps in ea re sint duæ partes, velut litigantes duo, (non autem sint duo iudices, sicut iste falso putat hoc loco) tenetur pars læsa, & quidem ex iustitiæ rigore, non tantum ex charitatis æquitate, acquiescere, & à lite intèrata vel intèrata discedere, si pars quæ alteram offendit, totam illi plenamque satisf-

satisfactionem offerat, & præstet. Nam lites siue
 privatae, siue publicae suscipiuntur, ut interesse par-
 tium solvatur: quod quum solvitur, cessat lis omnis
 ex iustitiae rigore. Antè bellum susceptum appa-
 ret bellum cessare si præstetur plena satisfactio,
 quia per seiales res repetuntur, ut si is qui of-
 fendit, satisfecerit, bellum non geratur, Deuter. 20.
 v. 11. Post bellum item inchoatum, quia si totam
 satisfactionem offerat & præbeat qui alterum of-
 fendit, tollitur causa belli. Exemplum in Iobabo
 persequente Sebam, & oppugnante propterea
 oppidum Bethmaachan, 2. Samuel. 20. versiculo
 22. 23.

Denique quicquid contra hinc sentiat Bellar-
 minus, est & Princeps, & Miles merus latro, qui
 mala intentione bellum suscipit, gerit, & sequitur,
 ut respondet Augustinus in can. *Militare*. 23. quæst.
 1. Latro autem subrepta reddere debet in foro con-
 scientiae, & coram Deo. Sed iste hominum con-
 scientias ad flagitia accendit & armat, quemad-
 modum apparet.

Ad Cap. xvi.

Non est hæc quaestio Lutheri, Vtrum Princi-
 pibus Christianis liceat contra Turcos ad-
 versus se bella moventes, aut regiones ipsorum in-
 vadentes pugnare, & bellum gerere. Id enim cer-
 to certius est, & apparet ex Lutheri libro, *De Vi-
 sitatione Saxonica*. Sed Vtrum Christianos Prin-
 cipes oporteat Turcis, nihil moventibus, sed se-
 quietè intra regni sui fines & terminos continen-
 tibus bellum inferre. Id quod Iulianus Cardina-
 lis, & Capistranus Monachus impulsu Eugenij 4.

P. Romani, quum Ladislaꝝ Hungariæ Regi persuasissent, ille contra Amurathem II. Turcarum Imperatorem arma, sed infelicissima mouit. Vnde Variensis Clades toti Christiano orbi funestissima accidit, tristissimique alij Christianis exitus euenerunt: & Ladislaus ipse cum isto Iuliano cardinali in illo prælio perijt.

Sed veram esse Lutheri sententiam hisce rationibus probo, Nempe non licere Christianis Principibus vltro bella suscipere contra Turcas pacifice sese nobiscum gerentes, & pacem colentes. Nam iis bellum indicendum esset: vel quia sunt Vicini: vel quia infideles: vel quia Christianorum regna occupant. Non quia Vicini. Nam omnibus Vicinis nobis populis arma inferenda essent, & Christianos solos in hoc terrarum orbe viuere & absque vicinis oporteret. Quod est *αδύνατον* & tyrannidis atq; summæ iniustitiæ facinus, teste Isaia II. 5. v. 8. Non quia infideles. Nam alioquin omnibus Infidelibus populis, quia non sunt Christiani, bella moueri à Principibus Christianis, bonâ conscientia possent. Id quod est falsum. Deus enim illis terram suam & quam illi possident & regna sua ad habitandum dedit perinde, atque nobis Christianis nostrâ terram, quam occupamus, Iudic. II. v. 24. Ps. 107. v. 36. Pax nobis cum omni genere hominum quantum in nobis, colenda est Roman: 12. v. 18. Etiam beneficiis nobis cum illis certandum est, pro eorum salute præcandum, Math. 5. v. 47. Si nollemus cum villo Idololatra, & Infideli homine, vel populo versari, ac misceri, nobis excundum

eundem esset è Mundo, inquit Paulus, quod est stultum velle, & *ad uerba* *CV* præstare. 1. Corint. 5. v. 10. Iubet Paulus si ab infidelibus ad conuiuium inuitamur, ad eos accedere, cum iis uelci (modò ne ex Idolothytis, propter eorum conscientiam) & cum illis amicè & pacificè uersari: ergo non iubet Christianos ob id solùm, quod illi sunt Infideles, cum iis pugnare & bella mouere 1. Corint. 10. v. 27. Dicit Christus beatos esse homines pacificos & non pugnaces, Matth. 5. ver. 9. Ait Iacobus Sapientia celestis est pacifica, Iacob. cap. 3. v. 17. Scribit Chrysostomus. Nos Christianos Infidelium communionem vitare non debere, can. *Ad mensam* xi. quæst. iii. Tradit Alexander Primus Papa & Sarracenos, & Iudæos Iudaizantes, dū nobiscum gerunt se quietè & amicè, esse tolerandos can. *Dispar nimirum* xx. ii. quæst. vi. Ergo infideles eò solùm, quod sunt infideles, non sunt irritandi, & bello prouocandi.

Non item quia regna Christianorum occupant, Nam longi temporis præscriptione tuti sunt, & eorum locorum domini iam effecti sunt isti infideles, quemadmodum docet S. scriptura ex respõso Iephtes Iudicis Israëlij, Iudic. cap. xi. v. 26. Confirmatur nostra sententia can. *Nemo* 16. quæst. 3. Nec obstat decretum Concilij quod extat in cap. *quoniam* Extra. De *Præscriptionibus* ubi bona fides requiri dicitur in præscriptione rei alienæ, qua bona fide infideles caruisse videntur. Respondeo enim, Quia Domini sit terra, & plenitudo eius Psal. 24. & propter hominū incolarū peccata velit eos incolas ex sua terra eiici, ut est Pl. 107. ver. 34. certè mi-

grationes Gétium, & nouæ terrarû occupationes
fuit ex Dei voluntate: ac proinde Infideles istos in
iis locis collocavit Deus propter Christianorum,
qui prius ea incolebant loca, peccata.

Verùm Bellarmini responsum ad M. Lutheri
rationes audiamus. Nostras enim ne sensit quidè,
nedum præuidit. Itaque ad eas non respondit.

Lutherus dixit, Turcis non est à Principibus
Christianis inferendum bellum ex eo solùm, quia
Turci sunt, Dominus enim Deus eos esse, & re-
gnare vult, velut suæ ecclesiæ flagella, & suæ iusti-
tiæ executores, quos, quum vult, adhibet, & exci-
tat. Respondet Bellarminus, Non sequi. Nam &
fames, & pestis sunt flagella Dei, aduersus quæ
nemo tam stultus est, qui non quærat remedia.
Respondeo ego, Remedia quidem honesta & le-
gitima parari aduersus Turcorum arma si qua mo-
ueant, à Principibus Christianis & posse, & debe-
re. Sed illis quiescentibus, & nihil mouentibus
nego arma inferenda esse. Munitiones urbium,
tela, bombardæ, exercitus mature sunt scribendi,
si vis ab illis ingruat: sed si pacem nobiscum co-
lunt, non est bellum nequaquam necessarium à
nobis in eos mouendum. Bella enim non necessa-
ria semper tristissimos suis autoribus exitus ha-
bent. Nec inter honesta auertendæ Turcorum
procellæ remedia est vel frâgere fidem iis datam,
vt suasisit Iulianus Cardinalis: vel vt eos, crabrones
pessimos, primi irriteamus, præsertim nihil hosti-
liter in nos, & fratres molientes nostros. Honestæ
enim coram omnibus sunt à nobis piis procuran-
dæ, & pax cum omnibus colenda, ex Pauli præce-
pto;

pto, Roman. 12. vers. 17. 18.

Quod autem iste calumniatur ex Ioh. Cochläi Monachi impudentissimi, mendacissimi, & Luthero inimicissimi scriptis, Lutherum obstitisse, quominus Hungaris succurreretur contra Turcos, est summum & robustissimum mendacium. Imò Papæ technis, & Monachi illius, qui Ludouicum Hungariæ regem tunc regebat, & totum possidebat, impudentia ea clades orbi Christiano euenit. Monachus enim ille & aciem instruere, & bellum ipse administrare voluit, in quo Ludouicus vltimus Hungariæ Rex periit. Sed quàm seriò resistendum Turcis scripserit Lutherus, apparet ex eius libro *De visitatione Saxonica*. Sed mirum est, non pudere Bellarminum (tam est perfrictæ frontis) huius historiæ, & promulgatæ tunc inter Christianos contra Turcos Cruciadis, & belli: quum hoc totum, specie istius Turcici belli, & pollicitatione indulgentiarum, (quas vbique Terrarum Monachi dinundinabantur ac vendebant pretio appetiatis) hoc totum inquam belli Turcici præconiū, & velū fuerit à Leone X. compositū ad vim auri immensam sibi, suisque fautoribus colligendam, vti fecit hoc pio prætextu sacrilegus, ac nefandus latro. Hanc historiã omnes sciunt. Est enim adhuc recens, & hominum mentibus hæret, & inde prima lucis Euangelij patefaciendæ occasio M. Luthero, omnibusque pijs præbita fuit.

Secunda Lutheri ratio est, Non ad eò exitiosum nobis est Turcos superesse. Hoc enim flagello in officio cõtinentur Christiani, & plus ad hoc possunt afflictiones, vel earũ metus, quàm pax. Firmus

enim omnes licentiâ nimiâ deteriores. Respōdet Bellarminus, Propterea nō cessandum, quominus Turcæ à Christianis evertantur, & quidem prorsus. R. Hoc verū est, si quid illi primi moueāt. Sed illis quiescētibus, & cessantibus, nos quoque cessare oportet, & ex Christi præcepto esse pacificos.

Quam tertiam Lutheri rationem affert Bellarminus, eam ipsemet confutat ex alio eiusdem Lutheri scripto, nempe de Visitatione Saxonica. Unde apparet Bellarminum, suo ipsius testimonio, merum Lutheri, pij viri, & impudentem calumnia torem esse. Cuius suæ & petulantia, & calumnia, sicut blasphemæ in omnes pios, imò in Deum, & Christum, linguæ rationem aliquando Deo reddet Bellarminus.

Ad Cap. xvii.

QUod hîc scribit Bellarminus de Melancthone, & Brentio, est vtriusque sententię deprauatio manifesta. Ostendunt enim illi solū Magistratus summi imperio, & colligi Synodum, & regi: decisionem verò Ecclesiasticarum cōtrouersiarum Episcopis, & aliis ab Ecclesia viris doctis in S. Scriptura exercitatis, & ab Ecclesia delegatis, relinquunt. Ergo, quemadmodum antea docuimus, doctrinæ decisio pertinet ad Pastores, & Ecclesiæ delegatos ex Dei verbo. Huius autem decisionis robur, & κῆρος ad Magistratum illius loci summum, in quo obtinere definitionem illam volumus. Et quemadmodum iste ad superiorem Controuersiam, quæ est de Dei Verbo, nempe libro 3. c. 6. 7. & 8. sua argumenta remittit: sic nos ad ea in illa cōtrouersia, & in illis capitibus respōdimus, ad quæ lectores beneuolos, & pios remittimus.

Ad Cap. xviii.

Magistratum summum Christianum minime debere tolerare in suo imperio quasvis sectas, & hæreticorum conventus, certo certius est. Verum eam religionem solam ab eodem esse admittendam, quæ Romano Pontifici, eiusque mancipiis Episcopis Pontificiis placuit, est quovis mendacio, & falso mendacius, & falsius. Id quod tamen hoc loco Bellarminus asserit, velut ex tripode Delphico æditum oraculum. Nec verò vlla ratio, aut S. Scripturæ locus, aut Patrum dictum hic à Bellarmino prolatum, id probat: sed duntaxat oportere hæreses à pio Magistratu coerceri, & cohiberi: quarum maximas, & plurimas tuentur Romanus Pontifex, & ipsius Episcopi, quemadmodum ex tota eorum doctrina apparet. In summa, *L. Cunctos populos. L. Nemo. C. De Summa Trinitate.* Ambrosius in oratione funebri de morte Valentiniani II. seu Iunioris: Augustinus Epistola 50. & 166. Leo Epistola 75. Gregorius libro nono, Epistola 60. idem omnino, quod hoc dicimus, docent.

Quid igitur, si plures iam hæreses vigent, aget Christianus Magistratus Summus? Respondeo, Eas ex Dei verbo confutari ab Ecclesiæ Pastoribus curabit, quod fecit Theodosius Maior. Deinde confutatas damnabit. Quòd si sic, & tam altas in animis hominum radices iam egerint, ut statim euelli propterea nequeant. Nec enim semper absque periculo regni possunt hæreses tolli, teste Augustino, libro tertio, cap. 2. contra Parmenianum, & Bellarmino ipso. col. 1363. *L. A. tunc*

tolerabit quidem eas, quæ propius ad veram religionem accedunt: sed ad tempus tantum. Eas tamen ipsas quam poterit maximè coercet, & reprimet. Sic maior Theodosius, Socrates lib. 5. historia, cap. 10. Sic Iovinianus, Imperator, idem Socrates lib. 3. cap. 21. Sic ante hos omnes Ioas Rex Iuda, 2. Chronico. 24. ver. 17. Sic Zeno Imperator, Euagrius lib. 3. historia, cap. 14. & 30.

Quod autem scribit iste proximè ante Christi aduentum, & sub Herode Magno Idumæo demum & primum fuisse natas, ac toleratas Iudæorum hereses, velut Sadducæorum, Phariseorum, & Essænorum, falsum est. Illæ enim & sub Hircano Iudæorum Rege, seu Duce, Simonis filio, iam exortæ fuerant, & paulo ante: & sub Aristobulo huius Hircani filio confirmatæ: sub Alexandra huius Aristobuli Vidua in summum honorem, præsertim Phariseorum secta fuit euectæ, annis ad minus 80. ante aduentum Christi, Iosephus lib. 13. de Antiquitatibus Iudaicis, cap. 22. Quod est insigne ἀμαρτημα Bellarmini vel memoriæ, vel malitiæ, ve nobis istas tenebras offunderet, ad suum errorem de Romani Pontificis autoritate falsianda, confirmandum. Sed ex falso nihil, nisi falsum colligi potest.

Ad Cap. XIX.

Quia præfractè tuetur hoc loco Bellarminus nostram, id est, veram, & Evangelicam doctrinam Romanorum Pontificum doctrinæ planè repugnare: nulla verò prorsus inter Christianos doctrina tolerari debet Christi Euangelio contraria

traria: certè Pontificis Romani doctrina à Principibus Christianis minime igitur, ex hac Bellarmini sententia, tolerari, aut permitti debet.

Quod autem vera Ecclesie membra vero Ecclesie capiti subiici debere scribit iste, verum est. Sed hæc ratio Pontificios omnes ex vera Christi Ecclesia eiicit, quoniam illi non Christo, & vero, & soli Ecclesie capiti subiiciuntur, Ephes. 1. ver. 22. sed Pontifici suo Romano. Itaque Bellarminus se suo iugulat miser gladio, & suos omnes occidit, & ex vera Dei Ecclesia eiicit.

Nihil de Dei verbi & scripti sententia immutandum esse concedimus: ac ne iota quidem, sicut Christus, Matth. 5. ver. 18. vnum, aut apex, vel minimus. Omnis enim huiusmodi additio, detractioque, & damnanda, & tollenda, & reiicienda est. Ergo quum tam multa Dei verbo scripto adiecerint, detraxerintque Pontificij, eorum doctrina procul dubio & tollenda, & abiicienda est à Principibus Christianis, & abolenda, non autem nostra, quæ prorsus cum Christi Evangelio concordat, ac consentit. Hoc colligo ex illa Basilij Magni constantia, Theodoritus lib. 4. histor. cap. 17. item ex Eustathij, & Syluani prudenti responso, Tripartitæ lib. 5. cap. 24. item ex Gelasij primi Epistola ad Euphemianum.

Credere Christianos Symbolum, quod vocatur Apostolicum, esse Apostolicum, quoniam id tradidit Ecclesia, falsum est. Id enim credunt pij, quia illius doctrina cū Dei verbo, & Apostolicis scriptis planè consentit. Nec sequitur propterea, Quòd si ab Ecclesie Romanæ iudicio in vno do-

gmate distedas, sit ab eiusdem doctrina tota recedendū. Est enim fallacia A dicto secundū quid, &c. Nā quō in dogmate Romana Ecclesia ipsa à Dei verbo discedit, in eo minimè sequenda est. In quo consentit cum Dei verbo, in eo est sequenda. Nota Dei verbi, quæ sit, antè diximus. Nec enim est iudicium Romanæ Ecclesiæ.

Reliqua, quæ cum Cassandro agitatur, ac disputat Bellarminus, non est nostri instituti vel examinare, vel curare. Nos enim Iohannis Caluini verissimam doctrinam & sequimur, & amplectimur Dei verbo consentientem: quæ planè Cassandrum oppugnat.

Ad Cap. xx.

DE libris hæreticorum, qui verè sunt hæretici, & doctrinā S. Scripturæ contrariā continent, abolendis, quid erat necesse, Bellarmine, tam multis verbis agere, nisi quòd & ingenium ostentatis & frustra chartas implere, & nostro otio, suoque prorsus abuti voluit? Hoc enim docet Nicephorus lib. 8. cap. 19. & 25. historiæ, Socrates lib. 1. cap. 6. & 24. Constitutio Iustini primi, Tomo 2. Conciliorum. Concilium Oecumenicum v. can. Apostolorum lx. L. *Damnato. C. De Hæresibus. Nouel. Authent. constitutio Iustiniani. 42.* Denique plura testimonia, si liberet, adicerem, velut ex Cornelio Tacito lib. 4. Annalium, de libris Sibyllinis exustis, de Cremutij Cordi libris iussu Senatus crematis. Verùm pauperis est numerare pecuniæ: itè exilis domus est, cui non & multa superflunt. Nec istas phaleras, aut ostentationem ego capto, vel quæro, teste conscientia.

De hominum autem hæreticorū libris, in quibus nulla hæresis continetur, velut qui ab his de Grammatica, Rhetorica, Dialectica, aliisque liberalibus artibus scripti sunt, alia ratio est. Illi enim inter Christianos, & tolerari, & legi possunt, quā nullum ab ipsis immineat periculum. Imò etiam Ecclesia harmoniam Evangeliorum à Tatiano hæretico magno artificio compositam toleravit, & habuit: quoniam extra periculum erat hoc scriptum. Sed scripta, de quibus verè dicitur, *Corrumpt bonos mores colloquio*, (inter quæ est illa quoque communicatio, quæ fit per libros) *prava*, sunt omnino ex oculis, & manibus Christianorum excutienda, & tollenda, 1. Corint. 15. ver. 33. Nec verò exigua quædam utilitas, quæ ex hæreticis hæreticorum libris capi potest, tãti apud nos esse debet, ut maxima, quæ in iisdem libris sparsa sunt, venena propterea retineamus. Nã vel paululum fermenti totam massam fermentat, 1. Corint. 5. ver. 6. Aliunde enim eadem bona habere possumus, & nãcisci: & illa bona ex eorum libris essent decerpenda: & reliqua librorum hæreticorum abolenda, sicut aurum ex stercoribus Ennij colligebat Publi. Virgilius Maro: & populus Israël Ægyptiorū thesauros abstulit secum. Denique si tãti est vitrum, & exigua illa utilitas, quanti apud nos Margaritæ esse debet: id est puritas veræ fidei, quæ ab istis libris corrumpitur. Marc. 1. ver. 25. Christus ipse iubet Diabolos de se vera prædicâtes obmutescere.

Qui verò sparsi sunt à Patribus in ipsorum libris errores, sunt quidem deplorandi, & notandi veru, vel virgula, vel stella, quò fugiantur: tot tamen eorum libri minimè propterea sunt abolendi.

Nemo enim vitiis sine nascitur. Optimus ille, qui minimis vigetur.

In summa, Quod lectio librorum, qui sunt hæretici, & ex Dei verbo tales agniti, damnatique causâ cognitâ, dicitur interdicta Christianis, præfertim de simplicioribus & rudioribus viris intelligitur: quorum nec tanta est scientia, vt facillè verum à falso discernere possint: nec tanta viuacitas ingenij & prudentiæ, vt solùm ea, quæ verè scripta sunt, à veneno iis adiuncto queant deligere. Cæteris igitur non perinde est interdicta hæc lectio.

Ad Cap. XXI.

Quid sibi velit in hoc capite Bellarminus, nõ video. Nam neque res ipsa, de qua differit tot verbis, est controuersa, nisi si veteres omnes hæreses felicissimè iam sopitas ex Orco excitare velit, qualis hæc, Hæreticos non esse à Christiano Magistratu puniendos: neq; hæretici esse possunt, ex quorum scriptis iste (qui se Catholicum iactat) omnia hæc sua depromit, & describit. Nempe Calvinus, Beza, Aretius, quos tamen iste Hæreticos & falsò, & contumelisè vocat. Denique quum extant nostri libri de ea re scripti, hoc ipso teste: & nos Augustino planè assentiamur, cuius etiam sententiam ipsi Pontificij Canonistæ descripserunt in can. *Qui peccat*, can. *Non inuenitur*, can. *Quid crudelle*. Item Gregorio Magno in can. *Sicut excellētian vestram*, XXI I. quæst. IIII. puniendos esse à Magistratu hæreticos etiam sæpe gladio, non solùm mulcta: inanis est istius labor, qui hos libros controuersiarum inter nos & Pontificios agitarum

(differit)

(differit enim de concessis & confessis) inscripsit, fortasse isti dolet, quòd crudelitatem non probamus, quam in eos exerceri vult Innocentius III. cap. *Vergentis* & cap. *Excommunicamus* §. *Damnati*. Extra de *Hæreticis* nempe ut eorum bona, siue liberos habeant, siue non habeant, promiscue, & omnia, & statim confiscentur, illisque diripiantur.

Mirum autem est; Bellarminum sic esse stupidum, ut quum ista, & verè quidem, de puniendis hæreticis scribit, non intelligat se, suosque socios omnes à Magistratibus esse puniendos Christianis, quum ipsi sunt hæreticissimi, lupi rapaces onium pelle tecti, falsi, imo & Mercenarij & lupi Pastores: & eos omnes errores reuocent, quos olim Imperatores in *L. Manichæos*, *L. Arriani*. C. de *Hæreticis* puniendos sanxerunt. Nestorianis consentiunt, qui Humanam naturam Christi, diuinæ exequant in transsubstantatione sua. Eutychianis, Nam Naturam Christi verè humanam abolent: Arrianis, qui Christum verè Deum esse negent, quum alios illi Mediatores adiungant: Manichæis, quum esse Sanctiora etiam sua Consilia velint, quàm Christi expressa præcepta. Et quid non? Esse enim eoldem, & suos Papas manifestos in Templo Dei illos damnatos mercatores ne ipse quidem Gregorius Magnus negavit, & Bernardus, quos Christus è templo eiecit, Iohannis secundo. Nos verò pœnas in hæreticos statutas nequaquam me-

tuimus, quorum doctrina prorsus cum Dei verbo scripto consentit.

Ratio autem illa Bellarmini columna millesima trecentesima quinquagesima nona, L. B. §. *Probatur*, idcirco posse hæreticos occidi gladio à Magistratu, quoniam à Pastore possunt excommunicari maxima excommunicatione, ut est Titulo tertio, vers. decimo, est falsa, & fallacia Ab ignoratione Elenchi. Confundit enim duo rerum planè disparatarum genera, Nempe Iurisdictionem Ecclesiasticam, & Politicam. Deinde Non sequitur, ut quicumque magna excommunicatione feriri possint, & gladio quoque seculari. Nam & ex diuersis causis, & ad diuersos fines hæ duæ pœnæ infliguntur.

Reliquæ verò rationes, quas iste in eadem columna millesima trecentesima quinquagesima nona, L. C. D. affert, sunt ἀσυλλόγητοι. Sunt enim & nimis dilutæ, & frigidæ, & nimium generales, ex quibus quoduis flagitium, imò peccatum quoduis quantumuis leue, morte afficiendum, ac puniendum esse, efficeretur. Sed dum ingenij sui aciem monstrare nobis vult Bellarminus, & Aiæ tragœdiam hîc nobis scribere, & pingere studet, incumbit in spongiam, & se carere iudicio probat miser.

Sed tandem quorsum collimet, sub finem huius capitis indicat, Nimirum, ut inquisitionem illam Hispanicam crudelissimam Principibus Christi-

Christianis obrudat monachus sæuissimus. Itaq;
se suo tandem iudicio forex iste prodit.

Ad Cap. XXI.

Quod solùm Lutherus de nimia Pontificis
Romani, ac Pontificiorum Episcoporum
in eos, quos pro suo arbitratu Hæreticos appel-
labant, crudelitate conqueritur, & scripsit, Bel-
larminus in peiorem partem, & extra Lutheri
mentem malitiosè rapit, quasi neget Lutherus
omnino ullos hæreticos à pio Magistratu esse
puniendos, quùm Philippus Melanchthon epi-
stola etiam ædita, gratuletur Geneuensibus Ma-
gistratibus, quòd Michaelem Seruetum trucidar-
ent. At nouerat Philippus omnes etiam inti-
mos Lutheri sensus, & in eo cum Luthero con-
cordabat, & cum eo Lutherus. Sed nihil tam
piè & benè dictum est, quod impostor & ca-
lumniator nebulo deprauare non possit. Vti &
impudens istius calumnia est, scribere Hussium &
Albigenses fuisse verè Hæreticos.

Quas autem habet contrariorum argumèn-
torum solutiones firmas, eas ex Caluini, & Bezæ
libris ad verbum descripsit Bellarminus, tacito
nomine tamen, more plagiariorum, qui compi-
lant aliena scripta, eaque sibi vendicant. In mul-
tis autem hæret ipse, sicut apparet in solutione
argumenti 8. 9. 10. & 11. quia nostrorum commen-
tarios non satis accurate, & diligenter adhuc le-
gerat iste. Sicut nec in cap. tertio, vers. decimo
Titul. primo.

Fidem in Christum esse liberi nostri arbitrii
 somnium est. Eandem ex Dei dono esse, & ex
 libero simul arbitrio nostro, vt hic scribit, est
 manifesta contradictio col. 1363. L.B. Et hæc qui-
 dem hæctenus. Nam se suasque dotes ostentare, &
 merces extrudere hoc toto libro imprimis

hoc capite voluit Bellar. Laus Deo
 per Christum Dominum
 nostrum Amen.

* * *

FINIS.





AD ROBERTI
 BELLARMINI
 SEXTAM CON-
 TROVERSIAM,

QVÆ EST DE ECCLE-
 SIA, QVÆ EST IN PUR-
 GATORIO.

Lamberti Danaei Brensis & Necessaria Responsio.

Ad Prefationem.



ET qui scripserint de Purgatorio, & quid scripserint illi, inaniter à Bellarmino commemoratur, quum in re, quæ non est, nec vnquam futura est, laborarint, & sese vexarint. Ergo frustra tantos illi animi cruciatus susceperunt, quemadmodum & hoc loco miser iste Monachus. Nam idem facit agenti, & curiose de coloribus, pilis, pedibus, statura & loco, Chimæra Ciliciæ disputanti, quæ nusquam vnquam fuit: aut de Mauri Vtopia & Republica, (quæ nusquam extitit) ciuibus, situ,

regione, Rege, oppidis quærenti. Verùm Bellarminus falsa in huius tractationis initio præsupponens hos quoque de Purgatorio libros ædere voluit, vt suæ stultitiæ plenum cumulum vberimè compleret & omnibus locis, Nempe Superis, Inferis, & Mediis, id est, In cælo, in terra, & sub terra esse homo vecors, & in Christum blasphemus innotesceret, & appareret. Infiniti autem nostri contra hunc errorem scripserunt.

Ad Cap. 1.

TRia Purgatorij significata duntaxat iste ex Scriptura commemorat, Christum, Crucem seu Afflictionem, & locum suum Subterraneum, seu Cryptam Animarum à se, suisque confictam. Fallitur homo acutus. Nam alia pene infinita purgant & purgantia in Dei verbo vocantur, velut Spiritus Sanctus Roman. capit. 8. versu. 13. velut Fides Act. 15. v. 8. Verbi Dei prædicatio 1. Corin. 3. v. 13. Ignis Matt. 3. v. 11. denique lotiones omnes veteres à Deo olim institutæ, Hebr. 9. v. 10. Ergo hinc ad fornacem suam obdormiuit Bellarminus non fuit autem, vt in ceteris diligens. Verùm opere in longo, inquit Flacus Horatius fas est obrepere somnum.

Ad Cap. 11.

PRimum hallucinatur iste homo, qui se tamen Polyhistorum credi vult dùm Apostolicos Hæreticos circa Beati Bernardi tēpora exortos fuisse scribit col. 1369. L. C. quos ante seculum & ætatem Augustini iam floruisse & viguisse constat ex ipsius libro De Hæresibus. Cap. quadragesimo. Est autem magnus iste temporis hiatus, & fere plus quam

quam septingentorum annorum. Nam vixit Augustinus anno Domini cccc. vixit Bernardus anno Domini mc. quæ tempora tanquam horæ vnius paruum momentum confundit Bellarminus.

Deinde vel ex historia ab eodem contexta hoc capite apparet, quavis ætate extitisse, qui hoc Purgatorij Ignis commentum refellerent, negarent, illique contradicerent.

Denique ineptus est, scriptor iste, qui Lutheri, Waldensium, Zuinglianorum sententiam (quam vult tamen damnare) non ex ipsis eorum libris qui hæc quoque extant, colligit & tradit: sed ex Leonis x. Cochlæi insulsi Monachi, Guidonis Carmelita fabulis & mendaciis eam rimatur & proponit.

Ad Cap. III.

Mirus artifex, imò scriptor est impudèntissimus Bellarminus, qui ubi ne litterula quidem vna Ignis Purgatorij scripta vel picta apparet, Purgatorium tamen ibi Ignem inueniat. In toto Vetere Testamento Purgatorium Ignem commemorari, quis vnquam scripsit? Certè Nemo. Nam quod ex lib. ii. Maccabæorum c. 12. citant, illud non est ex Vetere Testamèto testimonium, quùm libri Maccabæorum sint extra canonem Veteris Testamèti. Est enim liber iste secundus apocryphissimus, & omnino reiectus ab omnibus. Deinde in eodem illo capite nulla fit Ignis istius Purgatorij mentio. Tertio, nulla est consecutio vt si Iudas voluit orari pro iam defunctis: ergo fit Ignis aliquis ubi defunctorum animæ post excessum à corpore cru-

cientur. Poterunt enim & potuerunt post mortem esse illæ Animæ sine cruciatu alicubi, & pœnam Damni, nō autem pœnam sensus ferre, vt de Animis Abortiuorū, & infantium, qui sine Baptismo moriuntur iidem isti sentiunt. Denique glossema est locus ab istis, ex lib. 2. Maccabeorum citatus, non ipse libri textus. Est igitur hoc totum argumentum Bellarmini fallacia duplex. Prima. A non causa pro causa, quum liber Apocryphus pro canonico citatur.

Secunda A Petitione Principij, quum obscurum, & controuersum quidpiam per aliud obscurius, & magis controuersum probare quis nititur.

Porro responsio Bellarmini, & Innocentij primi, est inepta. Liber iste, aiūt, inter Iudæos non est Canonicus: sed est canonicus inter Christianos. Nam non possunt Christiani efficere vllum ex Veteris Testamenti libris Canonicum, qui sit, fueritve à Iudæis ex Canone expunctus, quoniam Canonem Veteris Testamenti acceperunt Christiani à Iudæis. Sed & illa altera eiusdem Bellarmini responsio, quàm est serialis, Nempe, liber iste Canonicus, est, quia legitur in Missa. Ergo & breuiaria, & legenda Sanctorum, & manifestè alij plerique impij libri sunt Canonici libri, quia eorum particulae, sicut & libri istius secundi Maccabeorum, leguntur in missa. Apage sis, mi homo, Deus tibi meliorem det mentem,

Quàm verò impudenter & malignè dictum Augustini lib. 2. cap. 23. contra Gaudentium contorquet Bellarminus, dum verba bona Augustini, *scribit*

brie legendum esse hunc librum interpretatur, ut
 dicitur sobrie legendus est liber Geneseos, & scri-
 pta Pauli sobrie legenda, pro eo, quod est diligen-
 ter, pensulatè, fallitur homo iste. Sobrie legèdus
 est liber II. Maccabæorum, quoniam errores va-
 rios & in doctrina, & in historia continet. In do-
 ctrina exemplum Raziæ cap. 7. & Iudæ Maccabæi
 cap. 12. In historia, quia cum libro primò Macca-
 bæorum & aliis in multis non consentit. Tale est
 cap. 2. & 3. huius libri secundi, si cum historia Iu-
 dæorum conferatur. Sed nec secum concordat,
 confer. cap. 9. cum cap. 1. ver. 13. Sed quid de istius
 libri autoritate agi copiosius hic necesse est, quum
 in prima controuersia de ea re Bellarminus ad
 nauseam vsque egerit? cui nos respondimus Ergo
 hic actum agit iste, & crambe repetita mors est.
 Nam & Bellarminus ipse agnoscit col. 1374. L. A.
 vera esse nostrorum contra hunc librum argumē-
 ta, nisi multa præsupponantur, que falsa sunt, velut
 idem esse corporum resurrectionem, & Animæ
 immortalitatem.

Item col. 1374. L. C. pœnituisse Milites Iudæ
 ante mortem, quia se donariis idolorum pollue-
 rant. Imo eos impœnitentes in illo certamine pe-
 riisse docet expresse textus li. 2. Maccab. 12. ver. 40.

Falsa verò est Bell. consecutio, Nisi hæc præsup-
 ponatur, mancã esse Dñi nostri Iesu Christi, iteq;
 Pauli ipsius Apostoli ratio cinatione, Matt. 22. v. 32.
 & 1. Cor. 15. v. 32. sicut mæca est li. 2. Macc. 12. v. 46.
 cõclusio. Nã vis argumenti Christi Mat. 22. posita
 est in vocib. *Abrahami, Isaaci, Iacobi*, que totū *vo-*
s a pōv, quatenus corpore & animo cõstat, signi-

ficant: non vnā duntaxat istius personæ partem, qualis est anima, vel corpus: ergo quum Deus dicitur *Deus Abrahami*, de toto Abrahamo, id est, eius corpore & Animo est illud intelligendum. Argumenti Pauli 1. Corinth. 15. vers. 32. momentū & sedes posita est in repugnātia, & absurdo, quod sequitur ex eorum, qui negant resurrectionem, sententiā, si cum Dei præceptis conferatur. Hæc enim Dei præcepta iubent Sanctos piè viuere. Illa verò resurrectionem negantium sententiā habenas ad quoduis turpitudinis genus laxat, & ab his sceleribus impunitatem sceleratis pollicetur. Quæ duo pugnant aduersis frontibus.

Cæterum quid venit huic in mentem, vt col. 1374. L. A. §. *Ad secundum*. diceret Animam rationalem esse veram formam corporis. Nam hoc plane est, & ἀθεόλογον, & ἀφελόγον. A philosopho, quia quum forma rem denominet: corpus ab Anima sine rationali, siue irrationali nequaquam denominatur. Est enim alia propria corporis, quæ corpus est, forma, nempe corporeitas. Nec aliter sensit lib. 2. de Anima Aristoteles capite primo, vbi Animam definit. Nec enim eam vocat μορφήν formā corporis: sed ἐντελέχειαν. i. vim mouentem corpus. Est idem ἀθεόλογον. Nam sequeretur corpora vel omnia, vel humana definire esse corpora, quum Animā rationali carerent, si illa Anima vera corporis forma esset.

Quod denique putat Bellarminus potuisse sacrificari pro iis militibus, qui se donariis idolorū polluerant, toto cælo fallitur. Erant enim facti Anathema, pro Anathemate autem sacrificare vetat

vetat Dei Lex expressè Ios. 7. Deut. 7. vers. 26. 13. vers. 17. Ergo aut ses aut Iudam Maccabæum facit manifestè Deo in isto sacrificio repugnantem.

Solutio ad sextum nostrum argumentum est omnino nihili, quia est fallacia A non causa, & falsa præsuppositione, eaque duplici, Primâ, Quod sententia cap. 12. lib. 2. Maccab. vers. 46. sit sacra Scriptura. Est enim priuata tantum opinio istius scriptoris: non totius Ecclesiæ etiam illius temporis dogma: sed Rabbinicum tantum delirium: videlicet Utilem esse viuorum orationem pro defunctis. Altera præsuppositio falsa est, scriptorem nimirum istum, aut illius temporis homines iam credidisse esse aliquem Animarum ignem Purgatorium post earum excessum à suis corporibus. Imò cogitavit tantum scriptor ille de Resurrectione, & Animæ humanæ Immortalitate contra Sadducæos, quorum error iam inter Iudæos notus & pullulans esse ceperat. Sed refellitur ab isto scriptore, qui procul dubio fuit ex secta Phariseorum, ex consequentia facti & præcepti Iudæ Maccabæi, Actor. 23. vers. 8. Quem huius loci verissimum scopum neque animaducenterunt, neque obseruarunt Sententiarij, & Doctores Papistici. Atque eadem hæc nostra responsio ad solutionem septimi nostrorum argumenti (quam affert Bellarminus col. 175. L. B.) valet, vt intelligat omnibus suis solutionibus responsum esse, quanquam propter ineptiam responsum nullum merebantur.

Nulla verò conscientia, nulloque pudore Bellarminus reliquos ex veteri Testamêto locos pro suo igne Purgatorio tuendo citat, quum ipse di-

fertè pag. 1375. L. C. 8. *Neque valet.* de iis locis sic feribat, *Præter hunc locum ex lib. 2. cap. 12. Macchæorum* (qui vnicus est, & Apocryphus) *alia sunt quædam. quæ solum probabiliter suadent esse Purgatorium.* Ergo, vel hoc ipso iam teste, illi Scriptura loci probabiliter ad huius rei, & ignis confirmationem inducuntur: non autem verè, non firmè, non necessariò. Nec enim quicquam ex his efficitur pro Bellarmino.

Locus Tobiaë cap. 4. vers. 18. Nihil de Purgatorio igne agit: sed de conuiuio pro liberis Insectorum defunctorum exhilarandis exhibendo, & struendo: quod idem in funeribus, & sepultura improborum Tobias fieri vetat. Debent enim liberi mortuorum piorum aliquem paternæ pietatis fructum ab aliis piis reportare.

Locus ex 1. Samuel. 31. vers. 13. 2. Samuel. 1. vers. 11. 12. cap. 3. versic. 35. & similes nihil de Animarum post hanc vitam afflictione, & Igne Purgatorio tradunt: ac ne per insomnium quidem: sed tantum ostendunt quanto animi dolore labentes, David, & reliquis populus in morte Saulis, & Abneris fuerint affecti, afflictique. Atque huius eorum tantæ tristitiæ testimonium fuit eorum ieiunium, vt in summis aliis calamitatibus fieri solet, Psal. 69. vers. 11. 35. vers. 13. Id quod ipsum aperte Nicolaus de Lyra ibidem tradit. Quod Patriarchæ in terrâ sanctam corpora sua deferri voluerunt, velut Iacobus & Iosephus, Genes. 49. versiculo vicesimo nono, 50. versiculo vicessimoquinto, idcirco factum est, vt suam in Dei promissionem fidem de possidenda olim à sua posteritate Chananzæorum terra

terra testarentur, & rem, cuius ea terra fuit illis Symbolum, Nempe vitam æternam se ex eadem Dei promissione spectasse, ac sperasse proderent, licet alibi, quàm in ea Chananæorum terra, morerentur, Hebr. ii. ver. 14. 15. 12. vers. 22.

Locus ex Ps. 38. ver. 1. Ps. 66. v. 12. non magis ad Purgatorium Ignem confirmat, quàm ædificatio turris Babylonicæ, de qua est, Genes. xi. Itaque alij Psalmi pene infiniti horum locorum mentem explanant, velut Ps. 6. & 44. vers. 23. Est autem ea, vt piorum viuorum afflictiones ab impiis in hac vita, non autem post hanc vitam commemorentur, interpretate Paulo, Roman. 8. ver. 36.

Locus ex II. 4. ver. 4. & 9. ver. 18. non magis ad hanc disputationem pertinet, quàm *Magnificat ad Matutinas.* vt Prouerbiis Monachorū in ipsis refellendis vtar. De Viuorum enim verè piorum afflictione differit, ad quos, hoc ipso postea teste, infra lib. 2. cap. 1. Purgatorium nullo pacto pertinet, quæ illis in his terris eueniunt: non autem de statu Animarum post hominum obitum, & mortem, agit Isaias.

Locus ex Mich. 7. ver. 8. ne longa quidem manu ad hunc locum, & argumentum collimare potest. Agitur enim de Ecclesiæ totius in his terris versantis afflictionibus propter sua peccata: de statu Animarum post hanc vitam ne 2^o quidem. Sed Bellarminum insigniter impudentem esse oportet, qui hos pro se, suoque Igne Purgatorio locos proferat. Verùm semel pudoris lineas transiliunt.

Locus ex Zachar. 9. vers. 11. agit de Iudeis reliquis adhuc in captiuitate Babylonica versantibus, quos esse quoque ex tam misera conditione liberandos pollicetur Dominus propter foedus cum illis suum. De pœna animarum humanarum post hanc mortem nihil omnino traditur. Itaque ipsi scholastici in huius loci explicatione variant. Nam eum alij de inferno accipiunt, sicut Thomas in tertia secundæ, quest. 52. Art. 6. Alij de Limbo Patrum, vt testatur hic Bellarminus. Alij de Purgatorio Monastico, quoniam vbi illud fundent, non habent.

Locus ex Malach. 3. vers. 3. nihil ad hanc disputationem de igne purgatorio post mortem spectat, teste Bellarmino, hoc loco, qui fatetur illic agi de pœna viuentes, non autem Mortuos homines purgante. Itaque omnes istę Bellarmini rationes sunt duntaxat phaleræ, & tenebræ, quas sciens, & prudens hominum oculis offundere, & obiiicere conatur: vt eos excœcet, si potest. Nam sunt fallacię omnes: A non caussa, & falsa interpretatione, quemadmodum omnes vident, & ipse antea probabilia tantum hæc esse, non vera, vel firma argumenta professus est.

Ad Cap. 1v.

IN locis omnibus, quos ex Nouo Testamento, profert Bellarminus, hoc in vniuersum obseruandum, Nimirum inesse in singulis illis duplicem fallaciam, A non caussa Vnam, quia falsam manifestè pro vera, interpretationem substituit, sicut in his locis, quos iam ex vetere Testamento,

eos corrumpens, citavit: quemadmodum ostendimus. Altera totius huius capituli fallacia generalis est a petitione Principij. Fingit enim, & præsupponit, Ignem suum Animarum Purgatorium Christo, & Apostolis notum fuisse, quem ex ipsorummet Sententiariorum scriptis constat de-
mum post annum Domini 640. receptum, probatum, admissum in Ecclesia ex cuiusdam Brunonis Siculi Abbatis somniis, & visionibus. Atque hic locus primû in fornacibus, & crateribus Æthi-
næ montis fuit collocatus: nunc autem ubique esse dicitur, etiam in culina Papæ Romani.

Illud est secundo loco observandum generaliter in hoc capite, Nullum ex Nouo Testamento testimonium à Bellarmino afferri, quod, ipso teste, varias controuersias non producat: varias, & contrarias suæ sententiæ interpretationes non habeat: denique non sit anceps, ambiguum, incertum, & ad Bellarmini sententiæ confirmationem contortum, & deprauatum.

Tertiò est animaduertendum, Quòd si cætera Pontificiæ doctrinæ dogmata sic probentur, omnino incertum per incertius, obscurum per obscurius confirmatur. Id quod & ineptissimum genus est probandi, & totam Pontificiam doctrinam ridiculam efficit, & omnibus propinat subsanandam.

Verum singulos, quos profert Bellarminus, locos perpendamus. Primus est ex Matthæi 12. versu 32. Ait Christus de peccato in Spiritum Sanctum, quod est omnino irremissibile, *Næque in hoc, neque in futuro seculo remittetur.* ergo quædam peccata in futuro seculo remittuntur. Respõdeo, Primû

negat Augustinus lib.6. contra Iulian. cap.5. (quæ iste falso citat) ex hoc Matthæi dicto effici, quædã igitur peccata post hanc vitam à Deo remitti, & purgari. Deinde hæc collectio Chiliastarum hæreticorum errorem confirmat, qui docent & Diabolorum, & Damnatorum hominum peccata in futuro illo seculo remitti. Denique hæc locutio, *Neque in hoc, neque in futuro seculo*, habet tantum *ἐν τῷ αἰῶνι*, & maiorem asseuerationem denegandæ veniæ in æternum. Sic Marcus 3. ver. 29. nihil autem affirmat, velut si Pater filio suo dixerit, Nisi rectè studueris, neque viuo, neque mortuo, tibi cibum vllum præbebo. Quis inde colligat, mortuis cibos præbendos? Certè rectè nemo. Bellar. ipse, col. 1378. L. D. Est igitur hæc collectio, fallacia A Figura Dictionis, vbi affirmatio tribuitur negatiuæ prorsus locutioni. Id quod ipsemet Bellar. fatetur, col. 1378. L. B. §. *Respondeo*.

Quod autem hic vbique sumit, Peccata etiã in futuro seculo remitti, in eo planè Chiliasta hæreticus, & contra Patrum omnium sententiam sapit, & scribit, qui hanc vitam solam esse Pœnitentiæ domicilium, & locum affirmant. Fulgentius, lib. de Fide ad Petrum, ca. 2. Bernardus Serm. 75. in Cantica. *Non relinquitur*, ait, *tibi hostia pro peccatis mortuo in peccatis*. Augustin. lib. Meritis peccator. cap. 28. Ex operibus enim suis hinc excedentes homines siue pij, siue impij, statim à Deo indicantur, & ipso mortis momento, Apocal. 14. vers. 13. Ergo fundamentum Bellarminicæ sententiæ est falsum, & petitio Principij, quæ est summa fræus & manifestissima fallacia. Hæc & vera, & breuis, & facilis

facilia nostra solutiones omnes Bellarmini ad nostrorum argumēta confutant, licet longas. Neque verò inepte loquitur Dominus, quum æternitatē describit à temporis cuiusvis remotiōe, declarātq; vt ineptus iste nugator ineptē vult. Itaq; plane nugatur homo Monachus, præsertim dū Marcū Euangelistam interpretem Matthæi Euangelistæ esse negat. Conferantur loci Matth. 12. vers. 32. & Marc. 3. vers. 29. ipsa horum verborum, *Neque in hoc, neque in futuro seculo*, & vera & manifesta explanatio apparebit, quæ istorum sententiam de peccatis in alio seculo remittendis prorsus tollit.

Secundus locus à Bellarmino laudatus est ex 1. Corinth. 3. vers. 15. quem ipsemet confutat, quod eundem & obscurum, & varias interpretationes admittere testatur longissimis verbis. Imo col. 1384. L. B. apertē negat Ignem Pauli esse Purgatorium Ignem. Sic omnem suæ doctrinæ certitudinē labefactat Bellarminus: & fidē facit verū esse, quod diximus, nēpe eū incertū & obscurū dogma fūi de Purgatorio igne probare per incertiora adhuc, atque obscuriora argumēta. Quæ fallacia est Petitio Principij. Sic igitur argutatur iste, Paulus ait, quorundā opus & ædificationē in ecclesia esse per Ignē à Deo probandā: ergo est Ignis Animarū post hanc vitā Purgatorius. Respōdeo, Primū esse fallaciā A non cōsequēte. Quæ est enim ista cōsecutio, obsecro? Deinde falsa est interpretatio. Ignis enim apud Paulū doctrinā, & vim Spiritus Sancti significat, quæ probat ædificationē Pastorū ecclesiæ, seu eorū doctrinā, vtrū cōgruat suo fūdamēto; nēpe Christo, an non. Sic Ignis sumitur Hier. 23. v. 39. Mar. 9. Locus ipse Pauli v. 11. nostrā interpreta-

tionem confirmat Augustinus tamen etiam per ignem varias viuorum afflictiones intelligit in Enchiridio cap. 68. item lib. De fide & operib. ca. 16. ex I. Petr. 4. vers. 12. Quare locus iste neque cœlum, neque terram in hac disputatione attingit, & est prorsus ἀπὸ τοῦ τόπου. Neque enim hic à Paulo agitur de igne materiali qualis est istorum ignis Purgatorius: sed Metaphorica est hoc loco ignis significatio. Itaque ipse Bellarminus in hoc loco ad suum propositum accommodando valde sudat, & laborat: ac tandem ne hilum quidem proficit, vt hîc vident omnes. Nam quod de fundamento sex opiniones diuersas recitat, frustra agit & æstuat, quia Paulus ipse docet hoc fundamentum supra quod extruitur, esse solum Dominum nostrum Iesum Christum I. Corinth. 3. vers. 11. Quid igitur nodum in scirpo quærit Bellarminus? Nisi vt facilem Pauli sententiam iste tenebris inuoluet, & obscuret? Denique ita impudens est iste, & vxcors, vt in eâdem columna sibi manifestè contradicat. Nam Caluini sententiam damnat col. 1381. L. A. quam tamen eadem col. L. D. §. Sexta idem hic amplectitur, & probat, nempe vt Christus sit illud fundamentum: fœnum & stipulæ, sint hominum traditiones, quæ recipiuntur: aurum & argentum sit sana doctrina cum Dei verbo seri pro consentiens, quæ prædicatur. Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?

Quod ignorat iste, Quid Dies Domini significet, ex more facit, qui vilitas & Sacra Scripturæ familiares phrasas & ignorat, tam

est bardus Theologus : & res notissimas cuius Christiano inuoluit, vt solus sapere videatur, & magna animi ostentatione se, suamque sententiam omnibus præferat. Sed iste dies, Domini Dies apud Paulum non dicitur 1. Corinth. 3. vers. 13. Itaque hoc ad verba Pauli de suo addit Bellarminus. vt vincat, fraudemque faciat : sed simpliciter ait Paulus, *Dies enim declarabit* cuiusque opus. Dies autem iste est tempus quoduis, quod factæ ædificationis examē postea affert. Dies Domini etiam est quoduis tempus, quo Deus explorat aliquid aut agit in hac hominum vita Ps. 27. v. 14. Matth. 24. vers. 43. 25. vers. 13. Et in quam varias se formas mutet Bellarminus, sitq; miser, vt falsum dogma suum tueatur, apparet. Addit vocem *Domini*: mutat veterem & constantem omnium codicum lectionem. Nam præsens verbum & tempus *δοκασα* *λυπτεσθαι* mutat in futurum contra omnium librorum fidem, & legit iste, *δοκασα λυπεσθαι*. Suum ignem etiam Purgatorium post extremum iudicium fore negat. Denique hanc questionem de die Domini & quid sit, pertinere negat ad hoc argumentum, quam tamen verbis multis hinc tractauit, & ad nauseam vsque. Quid igitur longissima illa dissertatione de Die Domini, Bellarmine, tua fuit opus, si illa ad hanc materiam nõ pertinet, vt vis col. 1384. L. A. in Principio.

Ignis, qui (non hominum omnium quemadmodum iste, sed falso hinc scribit) sed solum docentium in ecclesia doctrinam probaturus est, quid sit & ignorat homo iste, & negat esse suum materialem ignem, ac Purgatorium: & postquam sese

vexauit plurimum, in Iohannis Caluini, & Petri Martyris sententia tandem acquiescit vi veritatis victus & coactus col. 1385. L. A. §. Tertio. Quare locum illum Pauli ex 1. Cor. 3. minime ignem Purgatorium confirmare fatetur hoc loco Bellarminus, vt: & supra col. 1384. L. B. disertis verbis.

In igne iam, qui ædificantes fœnum & stipulam in ecclesia probat, explicando, ad sudorem, & sanguinem vsque æstuat, anhelat, & laborat Bellarminus. Multorum sententias etiam veterum Patrum improbat, sed male, vt vnã suam illis præferat omnibus. Philosophatur, sed inepte, in verbi ^{significati-} propria quam ignorat significatione, & damnatum istud refert ignorantissime ad dolores corporis quos malè ædificantes passuri sunt post hanc mortem, falso. Denique veritatem ferre non potest iste, quum Pontificiis erroribus excæcatus habeat mentis oculos. Eò tandem rem reuocat, vt ignem istum & materiale esse velit, & demum post hanc vitam malè in ecclesia ædificantibus interrogari. Verum confutatur hæc sententia & interpretatio, Primum ex ipsis textus verbis. Nam eodem significatu sumitur Ignis, quum bene ædificantium & male ædificantium opus probatur. Atque non Ignis Materialis explorat, supra teste eodem Bellarmino, opus & ædificationem bene in ecclesia docentium: sed Lux verbi Dei, & virtus Spiritus Sancti. Ergo idem Ignis spiritualis, non autem Materialis probabit malè docentium in ecclesia opus. Falsa enim, ac curiosa doctrina, vi & spiritu oris Dei, & verbi ipsius examinatur & aboleretur

abolentur, 2. Theſſalon. 2. verſic. 8. utrobique enim metaphorica eſt in hoc Pauli loco Ignis acceptio.

Deinde refutatur Bellarmini hæc ſententia ab ipſo Bellarmino, qui ſupra col. 1383. & 1385. longis verbis contendit examen eorum, qui in eccleſia ſupra bonum fundamentum aurum, & argentum ædificarunt, fieri in hac vita, non poſt hanc vitam. Ergo & eorum, qui ſupra fundamentum idem, fcenum & ſtipulam ædificarunt in eccleſia, examen fiet in hac eorum vita, non poſt eorum mortem. Eſt enim in eo par utrorumque ratio.

Tertio, Quum dicat Paulus eos, qui male ſupra bonum tamen fundamentum ædificarunt, poſt examen de ſuo opere factum per ignem ſervandos oſtendit fieri hoc eorum examen in hac ipſorum vita. Præcedit enim hoc examen eorum ſalutem. Atqui ſtatim poſt mortem homines ſinguli vel ſervantur, vel damnantur à Deo. Quamobrem ante iſtorum mortem fiet per ignem operis eorum examen, non poſt eorum mentem.

Quarto, Nullus Ignis materialis poteſt Animã humanam à corpore ſuo ſeparatam attingere. Eſt enim illa ſpiritualis, & corporalia in res planè ſpirituales agere non poſſunt. At verò male docentium in eccleſia Animæ ſunt poſt eorum mortem à corporibus ſuis ſeiunctæ. Ergo Purgatorius Ignis Materialis eas afficere, attingere, ferire non poteſt.

Nec obſtant autoritates in contrarium prolatæ. Nam illæ partim fuerunt à Bellarmino

detortæ, velut tres priores nempe Cypriani lib. 4. epist. 2. Ambrosij in illum Pauli locum, & Hieronymi in cap. 4. Amosi: partim à Patribus iam isto, de Purgatorio igne, errore fascinati pronuntiate. Nec verò nobis Christianis quid Patres dixerint tam spectandum est, quàm quid rectè & verè senserint. Soli enim Dei verbo innititur fides Christianorum, id est, nostra.

Tertius pro Purgatorio igne materiali locus sumitur ab istis ex 1. Corint. 15. vers. 29. sic, Quidam in ecclesia pro mortuis baptizantur: ergo est ignis Animarum post hanc vitam purgatorius & materialis. Respondeo, Ipsemet Bellarminus suâ conclusionem refutat. Ait enim eum locum esse obscurum, & varias interpretationes admittere: imò nec prima frontè videri eò collimare & referri. Quid autè certi ex incerto colligi potest? Deinde verba hæc *pro mortuis* non de naturaliter mortuis accipiuntur, in quibus Anima sit à corpore separata: sed de hominibus viventibus quidem in his terris, verùm qui mortui sunt in peccatis, quales sunt omnes homines naturâ, & ante signum suæ adoptionis à Deo factæ sumptum Eph. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13. 1. Petr. 2. vers. 24. Sic Christus dixit sine mortuos sepelire mortuos Matth. 8. v. 22. Et quod excipit iste hanc mortuorum significationē nihil ad Pauli disputationem (quæ est de carnis Resurrectione, non de Animi vita) pertinere, Respondeo, Imò maximè, & commodissimè ad eam referri. Nam noster Baptismus est certissimum & à Deo institutum testimonium, & Mortem, & Resurrectionē Christi, & vtriusque fructus omnes

nes nobis per fidem, Christum in Baptismo induentibus, applicari. Illa verò & Mors & Resurrectio Christi propriè fuit in ipsius corpore. Ergo & nostra corpora morientur, & resurgent Philip. 3. v. 21. Quò spectat tota Pauli disputatio, 1. Cor. 15. Fructus verò & beneficia ex Morte, & Resurrectione Christi promanantia etiam ad Animas nostras pertinet, qualis est Carnis Mortificatio, Spiritus vivificatio, peccatorum nostrorum expiatio, Iustitiæ Christi, quæ plenissimè in ipsius Resurrectione apparuit, gratuita imputatio. Habet igitur Bellarminus facilem, & veram loci ex 1. Cor. 15. vers. 19. interpretationem, in qua non plus de igne materiali & Animarum post hanc vitam Purgatorio agitur, quàm de Turre Babylonica, aut Demetrii Regis navis, de qua Athenæus in Deipnosophistis, & Plutarchus in Demetrii vita.

Quàm verò insulsa est Bellarmini interpretatio, qui Baptizari hinc apud Paulum eos dicat, qui lacrymis ora rigant, dum mortuos lugent, & sic Baptizari pro mortuis apud Paulum sumi scribit? Itaque eam ipsam postea refutat idem col. 1391. L. A. & B. & ex Pauli verbis evertitur, qui docet eos, qui pro mortuis baptizantur, esse non alios, sed eos ipsos, qui mortui sunt in peccatis, nempe, utpote filij iræ Dei. Ephes. 2. vers. 3. Ait enim Paulus, *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* id est, dum essent in se mortui. Frustra enim Baptismum applicationis sibi Mortis & Resurrectionis Christi sibi factæ tesseram illam divinam sumerent, si nulla est carnis Resurrectio. Nō videt autem homo hebes, quum & Cyprianus, & Nazianzenus, &

alij lacrymas pœnitentium, vocant Baptisma, eos
 latius, & generalius accipere nomen Baptismi: nõ
 autem strictè, angustè, & propriè, vt hîc Paulus,
 quemadmodum locus ipse ostêdit, pro vero Chri-
 sti Baptismo, vbi Christum induimus, & eius be-
 neficia accipimus Galat. 3. vers. 27. Roman. 6. vers.
 4. 5.

Quartus pro Igne Materiali & Purgatorio lo-
 cus ab istis productus est ex Math. 5. vers. 25. Luc.
 12. vers. 58. sic, Iubet Christus, vt citò fratri & pro-
 ximo nostro reconciliemur: alioqui Deum & a-
 lios tam seueros in nos sentiemus, quàm sumus i-
 psi in fratres nostros duri & seueri, & præfracti: er-
 go est ignis Purgatorius Animarum, & is etiam
 Materialis post hanc vitam. Respondeo, Fallacia
 est A non consequente. Nec enim ex illis Christi
 verbis hic Ignis colligi potest. Deinde hanc suam
 conclusionem euertit Bellarminus qui totû hunc
 locum & obscurum, & incertum esse vult: ergo ex
 eo certi nihil colligi potest. Præterea illic agitur
 de Reconciliatione cum fratribus viuus, non mor-
 tuis: & de Dei seueritate & aliorum in duos in
 fratres, vti apparet Math. 18. vers. 32. Proverb. 25. v.
 9. qui hîc tam seueri viuunt & aliam experientur
 in hac vita. Laureolam autem in mustaceo & le-
 uidenti munere magnam quærit Bellarminus, dũ
 varias de Via, de Aduersario, de Tortore, de Car-
 cere, de Quadrante quæstiones mouet curiosè, in-
 utiliter, ineptè, nimirum vt facilem alioquin & a-
 pertum per se Matthæi locum suis nugis inuoluat,
 & obscuret: & vt è Musca faciat elephantem. Sed
 totum hoc vanæ animi ostêtationis gratia ab isto
 fieri

fieri quis dubitat. Via igitur, de qua Christus, est tempus quoduis ad reconciliationem, & pacem cum aduersario nostro & fratre ineundam adhuc nobis concessum. Aduersarius est homo quiuis & frater, qui nos offendit. Tortor est Minister Iudicis, (nec enim in Græco est tortor, vel carnifex *Δεσφόραξ*, sed simpliciter *ὑπέρτης* Minister seu Scruiens Iudicis, viator) qui sententiam Iudicis aduersus refractarium latâ seuerè exequitur. Carcer est locus, in quo qui non habet in ære, vnde satisfaciat Iudicis sententiæ, detinetur. Quadrans est vltimus nûmus, qui, donec quis è carcere exeat, est ex sententia Iudicis persolendus. Quid igitur nodum in scirpo quærit hîc Bellarminus? Nam veram illius Matthæi cap. 5. vers. 25. loci mentem explicasse, est totas Bellarmini nugas refutasse. Denique istius loci Matthæi cap. 5. ad Purgatorium Ignem accommodatio perspicuè refutatur ab Augustino, qui hunc locum de pœnis Gehennæ intelligit, non Purgatoriis in cap. 5. Matthæi.

Quod ad nonnullorum Patrum autoritates, quas hîc citat, illæ non vrgent. Hoc enim illæ solum docent, omnia, etiam minutissima quæque, peccata nostra coram Deo luenda esse, priusquam è potestate Satanæ, & ex Inferni dânatione, quam meremur, exeamus. Alludunt igitur tantum ad illud Christi dictum Patres, illud autem non explicant. At verò piorum omnia etiam minutissima peccata luit, ac persoluit Dominus noster Iesus Christus pro illis moriens: ipsi verò pij ea sua peccata, neque in hoc, neque in altero seculo luere

possunt. Quare piis hominibus inutilis est ignis iste Purgatorius. Impiis autem est omnino quoque inutilis, qui sunt in Inferno: quoniam in Inferno nulla est redemptio, nec ex eo liberatio. Ergo Purgatorius ignis iste nullis post mortem prodest: ac proinde est omnino inutilis & nullus. Sed ut Patres illi sic senserint, quid ad rem? Nos enim non ex hominum scitis & placitis, sed ex ipso Dei verbo scripto solum sapimus, ac fidem veram & doctrinam haurimus. Ergo ex aliquo aperto S. Scripturae loco suum illum ignem Animarum Purgatorium & materiale probet Bellarminus, & vicerit. Alioquin oleum & operam perdit, quum nobis Patrum errores pro Articulis fidei obtrudit.

Quintus pro Purgatorio locus à Bellarmino laudatus est ex Matth. 5. vers. 23. sic, Christus docet esse & varia offensus, quas in fratres committimus, genera: & varias earum offensus pœnas: ergo est Ignis & Materialis & Purgatorius Animarum post hanc vitam. Respondeo, Fallacia est ista probatio ab ignoratione Elenchi. Quas enim pœnas Christus ipse in hoc Mundo, & in hac vita sui ostendit, velut quæ à iudicibus, & à confessu infliguntur, eas iste ad seculum & tempus futurum post hanc vitam transfert vel malignè, vel ignorantè. Locus ipse per se manifestus est & facilis. Refutat enim Christus inanem & falsam Pharisaorum interpretationem de Homicidio. Solum enim Actuale Homicidium ex lege Dei Morali damnari docebant, & esse peccatum Mortale volebant. Reliquas in fratrem iniurias & offensus il-

li, quemadmodum & nunc Sententiarij, peccata tantum venialia volebant esse. Hoc utrunque refellit & in Pharisæis, & in Sententiariis Christus, & totum ignem Purgatorium qui pro venialibus duntaxat peccatis repertus est ab istis, tollit hoc pacto, ac exstinguit. Christi autem sententiæ Bellarminus acquiescere debuit: de temporalibus autem pœnis Animarum post hanc vitam ne per insomnium quidem tractat locus ille, sicut fingit iste cum corrumperens.

Sextus locus ex Luc. 16. vers. 9. sic, Iubet Christus ut nobis faciamus amicos etiam ex Mammona iniquitatis, & malè nobis relicta: ergo est ignis post hanc vitam Purgatorius Animarum. Respondeo, De elemosynis agit Christus, quæ & in hac vita, & à viuis in viuos fiunt, non à viuis pro Mortuis, nec post hanc vitam in Mortuos. Denique si qua est absurdissima loci vllius ad Purgatorium ignem applicatio, hæc maximè est, qui nec cœlum, nec terram attingit in hoc argumento, nec facit ad Rhombum Bellarmini.

Septimus locus est ex Luc. 23. vers. 42. sic, Christus promisit latroni fore, ut ipso suæ mortis die esset in Paradiso: ergo est locus, in quo Animæ piorum post mortem igne purgantur, ut veniant deinde in Paradisum. Respondeo, Imò locus ille manifeste Purgatorium tollit, quum doceat Animas piorum omnium statim, atque è suis corporibus excesserunt, in ipsum Paradisum, & Dei cœlum recipi: non autem in Purgatorio, aut circa Coccyti & Phlegethontis fluuiorum ardentium ripas, sicut iste putat, obuagulari, errare, & vexari,

Fabulas pro veritate nobis narras, Bellarmine & ab Augustino lib. 6. contra Iulianum cap. 5. confutatis apertissime, quem nullo pudore pro te citas & affers.

Octauus locus est ex Actor. 2. vers. 24. Christus doloribus mortis solutus ac liberatus est: ergo est Ignis Purgatorius post hanc vitam. Respondeo, Imo hic locus destruit omnino Purgatorium, quod Christus in ipsa hac vita, non autem post hanc vitam hos seu mortis, seu Inferni dolores pertulit. Ait enim circa finem diei more Hebræo numerandi, *Hodie mecum eris in paradiso*. Nec quicquid d r em facit, siue *Mortis*, vt Græci: siue *Inferni*, vt Latini, dolores legas. Hos enim dolores omnes Christus in hac vita sensit, & exhaustit. Ergo Purgatorius Ignis est in hac ipsa vita, non autem post hanc vitam, contra Bellarminum.

Nonus & vltimus locus est ex Philippens. cap. 2. vers. 10. Quædam subterranea genua flectunt coram Christo, ergo est Ignis Purgatorius post hanc vitam. Respondeo, Hoc argumentum nihil valet, teste ipsomet Bellarmino col. 1397. L. A. 9. *viuunt*. Nam illa subterranea sunt, Pisces, Vermes, Demones, Serpentes: omnia enim parent Christo etiam homini Ephes. 1. v. 21. Matth. 28. vers. 18. Apocal. 5. vers. 13.

Ad Cap. v.

Quædam Concilia pro suo Purgatorio & materiali Igne, qui piorum Animas à corporibus separatas affligat (id quod est omnino *ad uia-*
(or)

Ter) post hanc vitam profert Bellarminus. Vetus est coccylinus, sed à nostris, Iohanne Caluino, Petro Martyre, Beza, Kemnitio, Sadeele iam pridem compressus, & obmutescere iussus. Itaque actum agam, si, more Bellarmini, illa repetam tam discrete à nostris iam toties ædita. Tantum tria respondebo his omnibus Conciliis, quæ citat hoc capite Bellarminus, vt & vera P. Martyris solutio, (quam iste confutare conatur, quidem, sed non potest) appareat: & istorum Conciliorum vana esse de ea re decreta quibus pius agnoscat.

Primum igitur, quod istis & similibus aliis decretis obiicio omnibus est, illa rem prorsus secum pugnantem ac Impossibilem statuere, fingere, ponere, nempe Animas hominum à suis corporibus separatas posse Igne aliquo corporali torqueri, & affici. Id quod & hæc decreta statuunt, & fingunt: & ex illis consequi necesse est, & tamen prorsus est impossibile. Nam res spirituales à corporalibus non possunt attingi, vide libri sequentis caput XII. Nam quod de pœna damnatorum hominum etiam in Animis agens Sacra Scriptura, eam appellat *Ignem, sulphur, vermem*, Psalm. II. vers. 6. II. 30. vers. 33. 66. vers. 24. sunt istæ Metaphoricæ locutiones; non naturales: nec illi de materiali Igne, sulphure, verme agitur: sed de pœna spirituali, quæ sic per metaphoram & tropum appellatur.

Secundum obiicio, Quum cuiusvis nostri peccati merces sit mors, eaque æterna, quoniã à nobis persolui non potest, Genes. 2. v. 17. Rom. 5. v. 23.

nullo tempore Mors seu pœna illa nostri peccati finiri potest. Quare nec in igne Purgatorio, nec alibi. Aut vera erit blasphemia Origenistarum heresis, qui damnatos censet aliquando pœnam finituros, & seruandos. Ergo ista Conciliorum decreta non solum iam *ad ueritatem* statuunt: sed etiã blasphemum hoc, non esse uocem Dei de perpetua peccati nostri morte & pœna (nisi per Christi sanguinem expietur) ueram, ac firmam.

Tertium obiicio istis decretis omnibus, ea ponere rem pugnantem cum ipsis naturæ notitiis irrefragabilibus, nempe contradictoriæ orationis unam partem semper esse ueram, alteram falsam. Est autem hæc contradictio, singuli homines aut sunt fideles, aut sunt infideles. Nihil enim effugit hanc *diuisionem*, & bipartitam diuisionem. Si quis est fidelis, non uadit in Purgatorium, quoniam Christus pro omnibus ipsius peccatis mortuus est, 1. Iohan. 2. uers. 2. Roman. 3. uers. 25. 8. uers. 34. Nulla condemnatio restat fidelibus & iis qui sunt in Christo Roman. 8. uers. 1. Hodie mecum eris in Paradiso, ait Christus Luc. 23. uers. 43. Factum est, ut moreretur Lazarus pius & mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahamæ. Luc. 16. uers. 22. Infidelis non uadit in Purgatorium, sed, his ipsis testibus, in Infernum. Ergo si uera est contradicentium naturalis regula, nulli uadunt in Purgatorium: ac proinde illa Conciliorum decreta locum habere non possunt, quin ipsa Dei ueritas, quæ in nobis reliqua est, prorsus aboleatur. Id quod & sentire, & efficere, & uelle, est impium.

Petri verò Martyris Theologi eruditissimi solutionibus illis, & responsionibus tribus nihil potest dici, vel esse solidius. Itaque quicquid contrà obganniat & oblatret hìc Bellarminus, pij omnes & moderati vident, veram causam ostendi à Martyre, cur Ecclesia olim, & tamen sine vllò S. Scripturæ fundamento, pro defunctis orauit: & vt illæ preces Purgatorium ignem Papisticum neque necessariò confirment, neque verè. Sed non quid Patres dixerint, est à nobis piis spectandum & sequendum omnino: sed quid rectè & verè, & illud solum est amplectendum. *Scrutamini Scripturas*, inquit Christus Iohan. 5. vers. 39. *Ad legem & Prophetas*, inquit Dominus, Il. 8. vers. 20. Ergo solum Dei verbum scriptum, sit nostrè, id est, Christianæ fidei regula.

Ad Cap. v i.

In yniuersum ad Patrum autoritates. Respon-
 Ideo, Primùm sic argumentari, esse in genere fallaciam A non causa. Nec enim hominum autoritas potest esse dogmatum fidei Christianæ fundamentum, *Scrutamini Scripturas*, inquit Christus Iohan. 5. vers. 39. *Frustra me colunt homines tradentes hominum præcepta & mandata*, Matth. 15. v. 9. *Docet Petrus quædam inaniter esse à Patribus tradita*, quæ sunt propterea relinquenda, 1. Petr. 1. vers. 8.

Secundum, nos quoque pro nobis, vt ex cap. ix. apparet, habere Patrum autoritates. Ergo Patres in hac quæstione sunt testes pro vtraque parte, ac proinde varij, non secum consentientes, quorum

testimonia & fides propterea est nulla, imo variat

Tertium, Ista Patrum sententias tum Græcorum, tum Latinorum, esse duntaxat eorum rhetoricationes, non autem fidei confessiones, & dogmata, quæ illi rata habuerint: sed quæ hominum auribus tribuerint, vt eos commouerent.

Quartum, Nullam esse consecutionem à precibus pro defunctis, quas suadent nonnulli Patres, ad Purgatorium Papisticum, quod Bellarminus fuleit ex illis & struit. Nam piorum Animas etiam in cælis putabant beatiore fieri posse, vsque ad diem extremum iudicij, quo demum plenum sæe felicitatis cumulatum erant suntque accepturæ. Ergo pro illis precabatur ecclesia versans in his terris, vt beatiore fierent: & si quæ illis peccatorum nebula & notæ obstitissent, eæ prorsus delerentur. Chrysostom. Homi. 69. ad populum Antiochenum, Dionysius eccles. Hierar. ca. 7. parte 3. Ambrosius li. 7. epist. 8. Hieronym. epistola ad Delphinum Augustin. ca. 4. de cura pro mortuis & alij plerique. Denique ipsemet Bellarmin. libri sequentis c. 18. col. 1450. Sed quo Sacræ Scripturæ fundamento nixa hoc faciebat ecclesia? Certè nullo.

D. Martinus Kemnitius in examine Tridentini Concilij alias istius Patrum sententiæ rationes affert, quas studiosus lector apud eum requirat in tertia parte Examinis à pag. 89. vsq; ad plures sequentes. Ortam enim esse hanc opinionem docet partim ex Ethnicorum Poetarum & Philosophorum figmentis: partim ex Apocryphis libris, & postea Origenis omnium pene hereseon parentis, & hæc meridiana clarius probat vir ille eruditissimus.

Denique

Denique Augustinus lib. 1. Peccatorum meritis cap. 28. negat vllum esse medium præter cœlum & Infernum, locum Animarum. Lib. 5. Hypognoſticæ tollit manifestè Purgatorium. Bernardus Ser. 73 in cantica, Fulgentius, de fide ad Petrum cap. 2. docent in hac duntaxat vita, non post hanc vitam fructuosam esse pœnitentiam, & peccata deleri. Tota P. Lombardi de his Animarum locis post hanc vitam disputatio lib 4. Sententiar. Dist. 45. & 46. est incerta, anceps & dubia: & illic ipsimet Sententiarij prorsus inter se varij, & diversi.

Cæterum vna est Bellarmini responsio ad veras & solidas I. Caluini rationes li. 3. Institu. Christianæ c. 5. Nimirum hæc, *mentitur Caluinus, est impudēs*. Sic Seruetus Hæreticus olim Caluino se respondisse putabat, quū illi conuictum idē dixerat, *mentiris Caine, mentiris Caluine*, quemadmodū ex ipsa disputationis inter eos habitæ historia apparet. Sed, obsecro, quis te, Bellarmine, & Monacho, & Hesuita impudentior aut mēdacior esse potest? qui & linguam, & manum venalem habes: te Papæ mancipium iactes? te monstrum ex omnibus hæresibus conflatum ostendas? Nolo verò, etsi possum, in te quicquam grauius dicere.

Quod Ambrosium & Augustinum suum putat, fallitur, Augustini enim sententiā iā quæ sit ostēdimus, & lib. 21. c. 26. & in Enchiridio c. 69. plane dubitat, utrū Animæ piorū post hanc vitā torqueātur. Ambrosius & Sermo. 20. & in Pl. 36. de pœna in solidam pro piorum peccatis soluenda agit: sed de Igne isto purgatorio ne ȳpū quidē propterea meminuit, uti neque Missæ Pontificiæ. Demū tēpori-

bus Gregorij Magni, hominis supersticiosissimi, circa annum Domini. DC. inualuit valde hic de isto Materiali & Purgatorio Igne error: receptus tamen est vti iam annotaui, post annum Domini DCXL. ex fabulis anilibus, hominum dormientium somniis, Dæmonum, vt ipsemet fatetur col. 1407. L. A. apparitionibus, Brunonis ecclasi. Ergo qui post hæc tempora vixerunt scriptores, Purgatorium, vt dogma fidei certatim probarunt. Nam communis error facit ius.

Ad Cap. VII.

FAllitur in hoc capite toto cælo, toto mari, & tota terra Bellarminus, qui ratione confirmari posse putet illud, quod est, quemadmodum supra docuimus, contra rationem. Facit igitur idem atque si cum ratione insanire velit. Verum hominem istum ineptientem & balbutientem tamen audiamus. Sunt autem hæc istius rationes quinque, sicut ipse appellat.

Prima, sunt quedam Venialia piorum peccata: ergo est post hæc vitam ignis materialis, Animas purgas & affliges. Respondeo in tam paucis verbis est triplex fallacia. Prima a Petitione Principij. Petit. n. & sumit pro confesso, quod est inter nos controversum, Nimirum esse quedam peccata piorum Venialia. Secunda est a non consequente. Nec. n. hoc prius huius posterioris causa est. Nam non idcirco est aliquis ignis purgatorius post mortem, quia peccata piorum sunt venialia. Sanguis. n. Christi, non autem ignis iste, purgat piorum peccata omnia. 1. Iohan. 2. v. 2. Tertia fallacia est Ab Ignoracione Elèchi, quia migratio fit de genere ad genus. Facit enim Ignem hunc spiritualẽ, qui ex ipsius sententia est materialis, quum eum

docet vim habere, & attingere Animā humanā, à corpore separatam, quæ est spiritualis. At probat, ut putat, esse quædā Venialia piorū peccata ex Iac. 1. v. 15. sic: Ait Iacob, Cōcupiscētia gignit peccatū: ergo cōcupiscētia non est peccatū, Nā gignit peccatū mortiferum & mortale: Respōdeo, peccatum mortale à cōcupiscētia gigni nō posset, nisi & ipsa esset peccatū mortale. Vnūquodque. n. gignit sibi simile, Iob. 4. v. 14. 15. v. 14. H. 59. v. 13. Genes. 1. v. 21. Augustinus in Ioh. Tract. 44. ergo mala est collectio Bell. Verū addit, Iacobus ait peccatū à cōcupiscētia partū gignere mortē. Ergo cōcupiscētia ipsa non est peccatum gignens mortem, sed tantum est peccatum Veniale. Sic iste. Verum negatur ista consecutio ex regula, *Vnūquodque gignit sibi simile*. Deinde Iacobus agit de eo, quod apparet nobis hominib. peccati effecto: nō autem de eo, quod est apud Deū. Nā peccatū illud duntaxat cernitur nobis hominib. & putatur afferre mortē; quod actu fit, & externè cōmittitur: nō autē quod tantū mēte concipitur, & dicitur cōcupiscētia. Verum apud Deum, & re ipsa cōcupiscētia, tamē est peccatū gignēs nobis mortem ex lege Dei, Exod. 20. v. 17. Rom. 7. v. 17. Videt igitur Bellarminus, ut ex Iacobi loco à se citato, nullū eiusmodi peccatū piorum Veniale colligi possit, quale ipse fingit.

Locus ex 1. Corinth. cap. 3. ver. 12. nihil valet ad peccata ista Venialia stabilienda. Sed neque locus Augustini ex libro 83. quæst. 26. Nam etsi neque Dei neque hominum ratione peccata piorum sunt æqualia: tamen omnia, & singula piorum peccata sunt ipsa per se mortalia,

Genes. 2. ver. 17. Roman. 6. ver. 23. Ergo nullum est Veniale, quale iste fingit, id est, ipsum per se non mortale peccatum. Sed obiicit Bellarminus dictū Christi, Matt. 12. ver. 36. de omni verbo otioso nobis esse reddendam Deo rationem, quod peccatum tamē Bellarminus negat esse peccatum mortale. Respondeo. Nimis exiliter de Dei maiestate sentit iste, qui vel in re nobis leui Deum offensum non pluris æstimet, quàm si homo offendatur. Fallitur. Quod enim peccatum nobis leue videtur, illud, Dei offensione, graue est, & pœnam meretur æternam. Sic de fructu arboris vitæ edens Adam, (quod alioqui leue videri nobis potest) peccat grauissimè, Genesios, 3. vers. sexto. Sic die Sabbathi ligna quidam colligēs, occidi iubetur à Deo ipso, quia mandatum eius prætergressus erat, Numer. 15. v. 31. 32. Sic qui peccat aduersus vnum legis præceptum factus est omnium reus, Jac. 2. v. 10. Nec enim nostrum est Dei Maiestatem nostrastatera æstimare leuiter: sed quantum eam æstimat ipsemet Deus. Quare facit ineptè Bellarminus, qui hîc peccatum in Deum admissum in verbo otioso non pluris facit quàm si homo quispiam mortalis offensus eodem illo modo fuerit. & Dei maiestatem cum hominis *ad vna* confundit, & comparat. Vnde apparet nullius esse memēti prima ista Bellarmini pro suo Igne purgatorio ratio, & cauillatio.

Secunda est, Quum peccata piis remittuntur à Deo, tota pœna temporalis non semper *in* cōdonatur, ergo est Ignis aliquis Purgatorius materialis post hanc vitam, vbi illa pœna tempora-
lis

lis luatur plenè. Respōdeo, est hīc quoque fallacia multiplex, Prima A Petitione Principij & rei controuersæ pro confessa, Nempe pœnam peccati tēporalem à Deo non remitti, quum culpam dimittit. Secunda A Non consequente. Nam etsi hoc verum esset, quod præsupponit iste, tamen ex eo non efficeretur Ignis Purgatorius. Lucretur enim hæc pœna vel in hac vita tota per commutationē in afflictiones grauissimas, vt ait glossa in can. *Innocens* 22. quæst. 4. & car. *Presbyter* Dist. 82. vel per remissionem benignam à Deo factam in extremo mortis articulo, quoniam moribundi homines eā pœnam iam luere non possent, argumento cap. *quod quidam*. Extra de *Pœnitentia & remissione peccatorum*.

Denique quum corpus, sicut Anima, istius temporalis pœnæ pro peccato particeps esse debeat, vt pote Animæ comes & satelles: deberet quoque corpus, sicut Anima, esse in isto Igne Purgatorio, in quo tamen corpus nūquam est. Non ante mortem peccatoris: Effet enim Purgatorium in hac vita, non post hanc vitam. Non post mortem. Nam corpus hominis peccatoris post suam mortē manet in hac terra, iuxta hoc dictum. *Terra es, & in terram reuerteris*, Gene. 3. v. 19. & in suo sepulchro, donec in vltima rerū instauratione resurgat. Post resurrectionem autem, hoc ipso teste, nullum erit Purgatorium. Aut est necesse Purgatorium corporum esse in hac terra, & in sepulchris mortuorum: quæ omnia isti negant. Ergo hæc secunda ratio ipsa motu Purgatorij euertit manifestè, nedum stabilit.

At excipit iste, Pœnas peccati temporales sæpe à Deo in peccatis piorum retineri. Respondeo, Hoc ipsum esse falsum. Nam sicut ipsimet Sententiarij, & Canonistæ docent,

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit.

Aut nihil, aut totum te lacrymante, dabit.

Hoc ipsum colligitur ex sententia Leonis Papæ in can. *Sceleratior. De Pœnitentia Dist. 3.* Deinde in glossa in can. *Qui vult*, ad vocem. *Semper De Pœnitentia Dist. vi.* dicitur nunquam dimitti cuiquæ peccatum veniale, quin remittatur quoque eidem peccatum mortale. Ergo multo magis cui culpa peccati remittitur à Deo eidem quoque pœna eiusdem peccati condonatur, quod est omnino & necessario consequens. Nam ratione culpæ pœna datur. Ergo sublata culpa, id est, causa, tollitur quoque effectum, id est, pœna, glossa, in d. can. *sceleratior. De Pœnitentia. Dist. 3.*

Non obstat, quod Deus Dauidem puniuit, cui tamē peccatum remisit 2. Samuel, 12. v. 13. 14. Id quod totum iste Bellarminus sumpsit ex glossa Canonistarum in cap. *Quod quidam. Extra de Pœnitentia & remissionibus & can. Si peccatum Dauidis De Pœnitentia. Dist. i.* Respondeo ex Caluini verissima distinctione, & sententia, Dauidis pœna fuit non peccati satisfactoria: sed solum ipsius peccatoris medicina, sicut in cæteris piis. Itaque iis in hac vita, non post hanc vitam, vt iste iudicat, infligitur, Et ipsi Scholastici fatentur esse, quasdā pœnas peccatorum solum medicinales. Quid igitur iste hic in Caluinum debacchatur, & virus suum quomit, aut eius sententiam damnat? Dum id facit,

facit, suos omnes damnat. Quanquam quicquid hic blatterat, sumpsit & transcripsit ex Vignierij Institutione recens ante Bellarminū ædita. Itaque nihil habet, nisi vetera repotia, & cramben millies à nobis refutatam. Mihi autem bis idem repetere religio est. Itaque idem respondeo ad exemplum Mariæ sororis Aaron. Numer. 14. ad exemplum Prophetæ à Leone occisi 1. Reg. 13. Illius pœnam, etsi ipsum nō instruxit, ut potè disceptum ac laceratum: alios tamen Prophetas & pios superstites erudiuit, ne vnquam à Dei præcepto, vel latum v.iguem, discederent, quocunque prætextu. Fuerunt igitur hæ pœnæ peccati omnes dūtaxat exemplares atq; Medicinales. Eodem denique spectat dictum Augustini in Ps. 50. & Tracta. 114. in Iohannem.

Denique insulsus est Bellarminus, qui dissimilē & aliam quam mortē, scribat esse pœnam peccati Actualis, & Originalis. Contra Paulus Roman. 6. ver. 23.

Tertia ratio Bellarmini sumitur ex fabulis Poëtarum & dictis Ethnicorum scriptorum, etiam, si Deo placet, ipsorummet Mahumetanorū, ne quid ad Purgatorij confirmationem, & laudem desit, Hi omnes, ait iste. Purgatorium esse concedunt, & agnoscunt, ergo est. Responsio, si quis Bellarmine tuam hanc rationem non summe pius legat, impium esse tē, & quidem meritò, fatebitur, qui fidei Christianæ fundamenta ex scriptis Ethnicorum & Infidelium quæras, & ponas, quæ sunt ex solo Dei verbo haurienda. Hoc ipsum quoque ve-

rum esse probat, quod vobis pij viri iam pridem, & nouissimè M. Kénitius verissimè obiecit, vetrū ignem Purgatorium esse Satanae somnium merū, sed prius Ethnicis, postea vobis ab eo reuelatum. Hoc tu iam miser, tanta vis est veritatis, confirmas manifestè. Verū hoc argumentum Bellarmini est, fallacia A non causa fidei pro causa ab eo posita, Deinde falsa præsuppositione. Illi enim Ethnici vitæ æternæ, & inferni vestigia à Deo hominum mentibus impressa retinuerunt, & in illis suis scriptis expresserunt: de Purgatorio verò igne ne per insomnium quidem cogitarunt, quod Bellarminus tamen in omnibus istis vult & fingit.

Quarta ratio est & ipsa quoque ineptissima, & falsissima, atque fallacia A non causa pro causa, nimirum ab apparitionibus Dæmonū, qui in specie notorum hominum nonnullis apparentes confirmarunt esse ignem istum Purgatorium. Respondeo, Ex Is. 8. vers. 19. & 20. Ad legem & Prophetas. Non petet homo cōsiliū à mortuis. Itaque Luc. 16. vers. 29. & 31. Respondet Abrahamus Pater fidelium, mortuis non esse credendum, sed legi dūtaxat, & Prophetis Dei; non aliis.

Vltima Bellarmini ratio totam Christi, & ipsius Apostolorum doctrinam blasphemiae accusat, quasi reddat homines ad bene agendum desides, quum nullum Animarum post hanc vitam ignem Purgatorium statuatur. Respondeo, Malle nos sentire cum Christo & Apostolis quicquid illis impiè obiiciatur à Bellarmino, quàm cum ipso, quantumvis suam doctrinam laudet, & commendat, & in ea gloriatur.

Ad Cap. VIII.

Iam vero nostris argumentis, quæ vocat, responde-
dere nititur quidem, si potest: sed nō potest. Pri-
mum profert locos ex S. Scriptura, qui pro nobis
faciunt. Vnus est ex Ps. 127. vers. 3. vbi & textum
adulterat iste, & commutat. Nam locus ille nihil
ad Purgatorium planè pertinet. Ait David, Deū
omnia suis dilectis, tanquam dormientibus, vltro
largiri: & præsertim generis posteritatem. Quid i-
stud totum, obsecro, ad Purgatoriū. Nihil. Sed vt
videatur iste in oculis suis Magnus Hercules, mō-
stra sibi ipse fingit, quæ nulla sunt, vt ea debellet.
Itaque aniles fabulæ sunt, quod iste scribit, illic de
vltima & generali carnis resurrectione agi. Disse-
ritur enim de piorum hominum felicitate, qualis
illis in hac vita obtingit à Deo, non autem post
hanc vitam. Nec erat illi cupressio, & ostentationi
Bellarmini de notitia linguæ Hebrææ hic locus.

Alter locus est ex Eccles. cap. 9. vers. 12. sed nec
locus iste ad ignem Purgatorium pertinet. Osten-
dit enim quid in hac vita homines sentiant: non
autem post hanc vitam, irridetque inanem homi-
num laborem in aliis rebus, quam in vno Dei me-
tu, querendis. Fatuus est iste, & nos ex suo ingenio
& pede metitur, qui scribat nos sic Sacræ Scriptu-
ræ locos deprauare, vt nostram sententiam con-
firmemus. Habemus alios, & eos quidem apertis-
simos pro nobis.

Nec plus momenti habet locus ex eodem Ec-
clesiaste cap. xi. vers. 3. sumptus. Agit enim de be-
nificencia in pauperes, quæ in hac vita exercetur:
& cuius fructus etiam apud Deum non perit.

Matth. 25. ver. 40. Ad Purgatorium autem Ignem nihil ista pertinent. Etsi ex hoc loco Patres colligebant vnumquemque iudicari, & permanere in eo statu, siue bono, siue malo, in quo moriens à Deo inuenitur.

Tertius locus ex Ezechiele cap. 18. vers. 12. iam quadrat. Nam ostendit Deum planè peccata omnia suis, dum moriuntur in fide Christi, seriàque Pœnitentia, remittere non quædam tantùm: neq; eorum pœnam retinere, & culpam tantùm eis cōdonare. Id quod isti fingunt, vt suum Purgatoriū tueantur, res nimirum indiulso nexu cohærentes à seipsis diuellunt Pœnam, & Culpam. Nihil ad hoc P. Martyris argumentum respondet Bellarminus: sed ait, col. 1409. L. C. se iam cogi fateri duo absurda ex sua sententia de Igne Purgatorio sequi, Vnum hoc, nimirum illa tradi obliuioni à Deo, quæ tamen Deus aliquo temporali præmio remuneratur. Quo quid absurdius, & falsius? Nam quæ Deus remuneratur, illa Deus non obliuiscitur, Exod. 20. ver. 5. Matth. 25. ver. 40. Hebr. 11. ver. 6. Alterum absurdum, & blasphemum, quod ex sua sententia cogitur fateri, & agnoscit consequi, est, Bona impiorum opera non fraudari apud Deū sua post hanc vitam mercede. Quis hanc tam immanem blasphemiam ferat? Primum falsum est, Impios facere vlla bona opera, quum vera fide careant, quæ bonorum operum est mater, Galat. 5. ver. 6. Iacob. 2. Deinde ecquod est in iis præmium, qui in toto corpore, & tota Anima à Deo vexantur: quemadmodum post hanc vitam à Deo affliguntur impij? Denique ecquæ posset esse miseria,

vbi

vbi esset præmiū? Sed iuxta regulā S. Scripturæ, Abyssus Abyssum ciet, error hic de Purgatorio Igne, velut Hydra infernalis, varios alios errores peperit: imò infinitos.

Quartus, & Quintus Locus ex Marc. 16. ver. 16. Qui crediderit, seruabitur, qui verò non crediderit, condemnabitur. Item ex Ioan. 3. versi. 36. Matt. 25. solum duo Hominum omnium ordines recitantur: ergo tollitur ex Dei verbo Purgatorium. Nihil respondet huic quoque loco Bellarminus: tantum contra suæ totius scholæ dogmata fatetur, fidem ex se iustificare, & saluare. Id quod tota Sententiariorum schola damnat. Atque etiam falsum est. Non enim ipsa, & per se fides, sed Christus per fidem à nobis apprehensus saluat nos, & iustificat, 1. Corinth. 1. ver. 30. Rom. 3. ver. 24. 25.

Sextus Locus est ex Luc. 23. ver. 43. Latro per fidem seruatus est absque Purgatorio: ergo & reliqui fideles: quare nullum est Purgatorium. Respondet primò Bellarminus, Pœna istius Latronis fuit tanta, vt satisfecerit Deo pro omnibus, id est, infinitis suis peccatis. Respondeo, Imò ne pro vnus quidem peccati pœna Homo satisfacere potest: tanto minùs pro omnibus. Christus enim solus satisfecit pro nostris peccatis, & id potuit: Nemo homo potest. Deinde respondet Bellarminus, Hoc fuit priuilegium in Latrone isto. Contrà respondeo, Vt de Abrahamo, sic de isto pio Latrone, quæ scripta sunt, scripta sunt propter nos, Roman. 4. v. 24. vt sciamus, Nos omnes in Christum credentes seruari absque vllò post mortem patiendo supplicio, & Purgatorio.

Septimus locus ex Roman. 8. ver. 1. Nulla condemnatio restat iis qui sunt in Christo: Ergo neq; Purgatorium iis restat. Bellarminus hinc fugit preter casam. Ait enim illic agi de Concupiscentia Carnis: non de condemnatione. Respondeo, Imò tota illa prima pars capituli octavi vsque ad ver. 5. agit de condemnatione, quam coram Deo meretur peccatum per se. Ergo nugatur Bellarminus, & fugit.

Octavus locus est ex 2. Corinth. cap. 5. versic. 1. Docet Paulus Animas piorum postquam his terrenis corporibus liberantur, statim in cœlum recipi: ergo nullum est Purgatorium iis reliquum, vel necessarium. Bellarminus negat aperte ipsa textus verba, nēpe hoc dici, & asseri, quod à Paulo disertè asseritur, & nos docemus. Locus inspiciatur. Ergo nugari, & obuagulari est, quod agit Bellarminus: non respondere. Denique addit, idem Paulum nihilominus velle, ut illi pij per Ignem post mortem transeant, ex 1. Corinth. 3. Respondeo, Hoc ipsum esse diuinare, & locum Pauli corrumpere. Sed, uti suprà docuimus, 1. Corinth. 3. agit Paulus de eo Igne, quem pij ædificantes in hac solum vita sentiunt.

Nonus locus est 2. Corinth. 5. v. 10. docet Paulus Dei de nobis iudiciū fieri ex operibus nostris in hac vita, non post hanc vitam, quorsum igitur Purgatorium? Respondet Bellarminus, Quia merentur pij in hac vita, ut Deus in purgatorio eorum misereatur. Quare non tollit ille locus Purgatorium. Respondeo Bellarmino, Primò falsum esse, Homines, siue in hac, siue in futura vita de Deo

Deo quicquam mereri, Luc. 17. v. 10. 2. Tim. 1. ver. 9. Deinde hæc solutio mentem Pauli oppugnat. Vult enim nos ex his operibus (inter quæ præcipue est fides) statim post mortem cuiusque, vel per Christum absolui, & assumi in vitam æternam, & reportare præmiam à Deo promissum: vel statim ob nostra peccata damnari. Illam autem Dei sententiam, & illius executionem in aliud tempus differri negat Paulus. Contra verò docet Bellarmini solutio. Ad eundem scopum nempe tollendum Purgatorium collimant, Roman. 2. ver. 6. Galat. 6. ver. 7. 8. Apocal. 2. versic. 23. Ps. 62. vers. 13. Nec aliud in Enchiridio Augustinus cap. 110, docet, quam nos hoc loco.

Decimus locus est Apocal. 14. v. 13. Beati mortui, & quidem statim, qui in Domino moriuntur: ergo nullum est Purgatorium, ubi Animæ ab ista beatitudine retardentur: vt sententia de Purgatorio statuit. Cæcutit hoc loco Bellarminus, & fluat, variat in solutione. Modò probat, quam reiicit postea. In summa Perfectos absque Purgatorio saluari concedit. Atqui omnes, & singuli fideles sunt perfecti. Philip. 3. ver. 15. Ergo fideles nulli vadunt in Purgatorium. Sed neque infideles. Ergo nulli homines. Et sic fit, & apparet inutile Purgatorium.

Ad Cap. ix.

PATRUM, qui Purgatorium, istum Papistarum post hanc vitam Ignem, oppugnant, testimonia quoque proferimus: illa refellere vult Bellarminus: saltē conatur, si potest. Verum non potest. Quamobrem illum audiamus.

Profertur igitur locus ex libro primo Cypriani

contra Demetrianum, ubi negat Cyprianus post hanc vitam pœnitentiæ locum vllum restare: ac proinde vlla nostra peccata post hanc vitam deleri. Respondet Cyprianum agere de satisfactione pro culpa, quæ præcedit peccatoris iustificationem, & quæ dicitur de Congruo: non autem de ea, quæ dicitur Meritum, & Satisfactio de Condigno. Respondeo Bellarmino, Has de Congruo, & Condigno pro peccatis satisfactiones non modò Cypriano: sed & Augustino, & aliis Patribus omnibus, qui Cyprianum multis seculis secuti sunt, prorsus ignotas fuisse. Sunt enim nouitia Scholastica, & Sententiariorum vocabula, & commenta, toti piæ vetustati ignota. Augustinus primo libro de Gratia, & Libero Arbitrio, capite quinto, Meritum de Congruo, aut satisfactionem, ait esse dogma Pelagianum, & libro secundo, cap. 8. Idem Bernardus Sermone primo, in annuntiatione B. Mariæ, & Serm. 1. in Psalmum, *Qui habitat*. Ergo frustra fingitur Cyprianus de eo, quod prorsus ignorauit, locutus. Deinde hæc verba Cypriani ibidem, *Hic vita (æterna) aut amittitur, aut tenetur*: ostendunt eum nullum omnino satisfactionis peccati vlli post hanc vitam relinquere locum. Atque ita hæc istius solutio, & satisfactionis distinctio, est merum subterfugium, & *υποφωτισμένη*, & falsum.

Alter locus est ex Chrystostomo, Homil. 2. de Lazaro, *Qui in hac vita peccata non abluerunt, postea consolationem nullam accipiunt*. Respondet Bellarminus, Agi à Chrystostomo tantum de peccatis mortalibus. Respondeo Bellarmino, Imo genera-
liter

liter loquitur Chrysostomus, de quouis genere peccati: nec istam inter peccatum Mortale, & Veniale distinctionem nouerat Chrysostomus.

Tertius ex Ambrosio lib. De Bono Mortis c. 2. Qui hic nō accipit, remissionem peccatorum, illic non erit inter Beatos. Respondet Bellarminus, diuinatque illic solum de peccatis mortalibus agi. Respondeo Bellarmino generalia esse Ambrosij verba, & locum ipsum refutare hanc solutionem, ac *Ἐὐδὴν ἁρπυγῶν*. De omnibus peccatis agit Ambrosius.

Idem Ambrosius in cap. 23. Lucæ & Serm. 36. ait nusquam de Petro aut alio pio legi, eos Deo satisfacisse: ergo nullus locus, quale est Purgatorium, est confingendus, vbi pij Deo satisfaciunt, Bellarminus de Saperda pisce interrogatus, respondet de lente planta. Nam recurrit ad falsam satisfactionis pro excusatione interpretationem: neque P. Martyris mentem, qui locum hunc aptissimè contra Purgatorium profert, vidit homo hebes. Nam verissima est consecutio, Quoniam nulli pij pro suis peccatis satisfaciunt Deo, ergo nullus locus est fingendus, vbi illi satisfaciunt Deo.

Alius locus est ex Augustino in Tractatu 49. in Iohan. *Bonis*, inquit, *requies statim post mortem datur*: ergo nullum iis superest Purgatorium ad eundem. Respondet Bellarminus, Hanc Augustini sententiam non de omnibus bonis & piis viris intelligendam, sed de quibusdam duntaxat. Respondeo, Imo sunt generalia Augustini verba. Ait enim ibidem, *Habent omnes*

Animæ, quum de seculo exierunt, vel gaudium boni vel tormenta mali. Ergo nullum medium locum relinquit Augustinus, vt isti.

Sextus locus ex Augustini lib. 5. Hypognosticor, cap. 5. Serm. 14. de verbis Apostoli, lib. 1. cap. 28. de meritis peccatorum: vbi disertissimè negat Augustinus vllum esse medium locum inter cœlum, & Infernum Animabus hominum post hanc vitam relictum. Respondet tria, sed falsa Bellarminus. Primum Augustinum tantum agere de locis æternis, in quibus futuræ sunt animæ semper. Respondeo, loquitur locus citatus in genere de receptaculis animarû humanarû omnibus post hanc vitam siue iis in quibus illæ ad tempus, siue in perpetuum sunt futuræ: quæ loca duo duntaxat esse post hanc vitam affirmat Augustinus. Ferit hic locus & vulnerat hoc telum mirè & grauitè Sententiarior, & ignem Purgatorium prorsus extinguit. Secundo loco respondet Bellarminus, assignare locum tertium paruulis non baptizatis præter cœlum, aut infernum, esse errorem Pelagianorum. Respondeo, Ergo est ipse, & quidem reuera, Pelagianus, & omnes Hefuitæ, qui præter cœlum & infernum locum Paruulis non baptizatis constituunt, & collocant. Tertio respondet Antequam Christi aduentum fuisse tertium locum destinatum recipiendis Piorum animis, Nempe Sinum Abrahamæ Luc. cap. 19. vers. 23. qui locus & Infernus, & Cœlû non esset. Respondeo, Hoc aperte negat Augustinus lib. 2. cap. 38. Evangelicarum Quæstionum Sinus Abrahamæ, ait, est secretum Patris, quò post passionem resurgens assumptus est Christus.

8us. Ergo est cælum ipsum Actor. 1.v.ii. & Paradisus ille, vbi cum vidit Paulus 2. Corinth. 12.v.4.

Septimus locus ex eodẽ August. 19. Ps. 31. Ignoscit & condonat peccata piorum Deus, nec ea vult advertere aut in ea animadvertere: ergo illis nullo alio Purgatorio loco est opus. Respondet Bellarminus, loquitur Augustinus tantũ de pœnis æternis, quæ peccatis debentur. Respondeo, Imo & David in illo Ps 31. & Augustinus ex eo, de quavis pœna loquitur, quæ piorum peccatis debetur, teste & interprete Paulo Ro ma. 3. qui verior est interpretes, quàm Bellarminus. Deinde si Deus condonando peccata piorum, illis pœnam totam æternam remittit, multo magis & temporalem: quæ minor est. Denique tota vera peccatorum pœna est æterna, quia persolui à nobis non potest. Ergo quum eam remittit Deus, totam peccati pœnam veram condonat. Pœnæ verò temporales nõ sunt propriæ pœnæ peccati, nec satisfactoriæ: sed tantũ pœnæ exemplares aliis, vel ipsis peccantibus medicinalis, vti supra docuimus.

Octavus & nonus locus est ex Augustini Epist. 54. ad Macedonium: Epist. lxxx. ad Hefichium. Nullus est post hanc vitam corrigendæ vitæ locus, vbi enim & in quo statu Deus aliquem inuenit, in eo iudicat, vt beatus vel miser maneat. Respondet Bellarminus ineptè, Nimirum etsi nõ est vllus vitæ corrigendæ post hanc vitam locus, esse tamen locum supplicij ferendi. Respondeo Bellarmino, loquitur Augustinus de correctione, quæ expiet & fit vsui peccatori pœnas ferenti, quam post hanc vitam esse negat: ergo & Purgatorium negat, &

quidē verē. Itaque ipsemet Bellarminus col. 1413^o
 LA. fatetur omnia, quæ post hanc vitam fiunt, ni-
 hil addere ad meritum, aut demeritum, ac proinde
 neq; ad satisfactionē peccati. Nā meretur, qui pro
 peccato satisfacit, quod fieri in Purgatorio volūt.

Decimus locus est ex Theophylactō in Matth.
 cap. 8. Animæ piorum, ait: statim post mortem in
 manu Dei sunt, & eò deferuntur, vti Anima Laza-
 ri, quæ statim fuit ab Angelis in cœlū delata, Luc.
 16. v. 22. Respondet Bellarminus variè, suo more,
 Primum negat agi à Theophylactō de locis omni-
 bus & receptaculis omnibus Animarum, quæ duo
 tantū constituit, non plura, Theophylactus. Dein-
 de concedit agi de omnibus locis Animarum, quæ
 fatetur tantum esse duo. Verū ait ipse Purgato-
 rium istorum locorum esse partem. Nimirum in-
 ferno ergo eos, qui sunt in Purgatorio, esse in in-
 ferno fatetur. Respōdeo. Hoc iā si verū est, quod
 hic scribit Bell. & se & superiora omnia, & omnes
 suos refutat. Nā si qui sūt in Purgatorio, sūt in in-
 ferno, nūquā inde exhibūt, quia in inferno nulla est
 redēptio, Ps. 6. v. 6. Ac sic est iā inutile Purgatoriū
 Bellarmini.

Locus vndecimus est ex Hieronymo in cap. 1x.
 Amos. Hieronymus Animarū humanarū post hanc
 vitam duo tantum receptacula agnoscit, Cœlum
 nēpe vel infernum. Respondet Bellarminus locū
 Hieronymi nihil ad mortem naturalem pertinere
 sed tantum ad speculationem, per quam in his ter-
 ris, Anima ad tempus abstrahitur à corpore. Re-
 spondeo, Totus Hieronymi locus hunc refutat,
 ostendit enim quales fuerint in hac vita nostræ
 de Deo,

de Deo, vel impiis rebus cogitationes, talem fore exitum quoque & statum Animæ post hanc vitam. Deinde ad Philosophos itidem spectaret illâ Hieronymi sententia, qui plurimum sunt cõtemp-
latini: At de solis Christianis agit Hieronymus. In summa mentiri mavult Bellarminus, quàm veritati & sanæ Christi, & Patrum doctrinæ acquiescere, tam est impudens. Ex superioribus autem apparet Purgatorium istum ignem: & locum à Pontificiis extractum, fuisse à Patribus extintum & dirutum, & nos niti autoritate Patrum in eo prorsus tollendo.

Ad Cap. x.

Quomodo verò ad nostras rationes respondere Bellarminus conetur, iam videamus.

Prima est hæc, Post culpæ remissionem nulla manet peccati pœna. Hæc enim ex illa est, velut ex sua causa, Ergo sublata causa, id est, culpa, tollitur effectû, i. pœna peccati, siue æterna, siue tẽporalis, vide glossâ in ca. *Sceleratior. De Pœnitẽtia. Dist. 3.*

Respondet variè Bellarminus, suo more, quia quid verè respondeat, non habet. Primum enim negat omnẽ pœnã remitti: deinde cõcedit: negat, quia paruuli & infantes qui baptizantur, affliguntur, inquit, à Deo. Respõdeo, Quoniã & ipsi habent peccatum & hæc pœna, si nondum his ipsis Infantibus est ad medicinam, est & tamen aliis instructio iam adultis ad emendationẽ, & exemplû ad suũ peccatũ detestadũ. Cõcedit remitti pœnã æternã peccati, culpa remissa: sed eã cõverti tñ vult in tẽporalẽ, quæ satisfacit Deo pro peccato: ac proinde quæ hic vel post hanc vitam sit à piis luenda. R. In hac re-

sponsione triplex est error & peccatum. Primum pœnam vllâ peccati remissa culpa, tamē retineri: nec valet exceptio, remitti pœnam quoniam æterna conuertitur in tēporalē. Nā quum hæc pœna à Deo, ex istorum sententia, exigatur non, remittitur pœna. Nec enim qui exigit remittit. Dissiunguntur hîc præterea quæ Deus coniunxit, contra Christi præceptum, Mat. 19. v. 6. Esse verò pœnam & culpam peccati, res à Deo coniunctas apparet, Genes. 3. ver. 14. Is. 53. v. 4. Secundum peccatum est Conuerti solum pœnam peccati in temporalem per Christi beneficium: non autem omnino tolli. Contrà Is. 53. v. 5. 11. Nec enim Deus bis idem exigit, Nempe à Christo, & à nobis pœnam peccati, Nah. 1. v. 9. Tertium peccatum Bellarmini est, satisfieri à nobis Deo posse pro nostris peccatis. Imo solus Christus est nostra satisfactio, cæque plena, Roman. 3. versu. 24. 25. 1. Iohan. 2. versicu. 2. Tit. 2. ver. 14.

Secūda nostra ratio, omnis culpa & pœna piis remittitur per Christi sanguinem, atque illius beneficij tanti & pleni sacramentum est Baptismus: ergo aut nullus est locus pœnæ peccati hinc post hanc vitam: aut falsa est baptismi significatio, Tit. 2. ver. 14. Respondet iste variè hîc quoque, vti suprâ. Nam primum concedit Baptismus tollere omnem culpam, & pœnam futuri seculi: atque differtè etiam, Purgatorij. col. 1414. L. B. Quid igitur restat, quò minus Bellarminus, in nostra castra transeat, sua deserat, & Purgatorium suum abdicet, quod Baptismus tollit, ipso teste? Deinde tamen hoc ipsum, quod tam manifestè asseruerat, statim

statim negat, tam est varius, incertus, & malæ fidei scriptor. Ait enim ex Epistola ad Hebr. 6. v. 6. 10. v. 26. 27. relinqui Baptizatis peccantibus Ignē purgatorij tantum, non merè æternum, etiam peccantibus in Spiritum Sanctum, de quo peccati genere illic agitur, Hebr. 6. v. 4. Quæ Bellarmini sententia prorsus est blasphema, & loci vtriusque interpretatio ista ex Epistola ad Hebr. c. 6. v. 6. 10. v. 26. plane falsa, teste Christo, & Iohanne, qui negat peccatū in Spiritū Sanctū esse vnquā remissibile, Mat. 12. v. 31. I. Ioha. 5. v. 16. & pro eo vsquam satisfieri posse.

Tertia ratio nostra est, tantum detrahitur Christo, quantum sibi, suisque operibus & satisfactioni tribuūt homines, ergo blasphema est opinio, quod in Purgatorio satisfacimus Deo pro nostris peccatis. Contrā Respondet Bellarminus ex Danielis 4. v. 24. Philip. 2. v. 12. nos posse redimere peccata nostra. Respōdeo. Fallitur Bellarminus. Illa enim S. scripturæ testimonia docent quid hominum tantum ratione, non Dei ratione præstare possimus, & debeamus. Sed vt alios placemus & ædificemus, hæc nos agere oportet, quæ his in locis commemorantur.

Quarta ratio nostra. Non est duplex satisfactio pro nostris peccatis offerenda Deo. Iā verò Christus pro nobis Deo satisfecit, Roman. 3. v. 24. Ergo nos pro iisdē nequaquā oportet satisfacere Deo. Deus enim his idem non exigit, Nah. 1. v. 9. Quod si nulla est nostra satisfactio pro peccatis nostris: neque Purgatorium est vllum, quod est omnino consequens. Respondet Bellarminus variè, quia

verè non potest. Tres solutiones affert, pessimam
 eligit, nimirum Actualem pro nostris peccatis sa-
 tisfactionem coram Deo esse eam, quam nos ipsi
 præstamus Deo: non autem eam, quam Patri exi-
 buit Christus. Sic iste col. 1415. L. D. §. *Tertius*, qua
 sententia quid magis impium, & blasphemum cogi-
 tari, nedum scribi potest? Quid enim aliud est
 hoc velle, quàm cum Iudæis Christum, Christum
 esse negare? cum Pelagianis, gratiam Dei ex caus-
 sis nostræ salutis expungere? In summa, quâ pror-
 sus Christum Christianis tollere, & adimere: Proh
 pudor, & nefas? Et hæc doctrina inter Pontificios
 toleratur: hæc ut de Christo Iesu docerent, nati
 sunt Iesuitæ. Dum hæc scribit iste, Corypheus in-
 ter suos cæsetur, qui publicè propterea flagris cæ-
 dendus est, & è cœtu Ecclesiæ prorsus eiiciendus.
 Audiant verò pij viri quid contra S. scriptura de
 Domino nostro Iesu Christo doceat. Christus igitur
 ipse, Matth. 26. v. 28. Marc. 10. v. 45. ait se, non
 autem nos dare Animam suam, & sanguinem suum
 effundere in remissionem peccatorum. Petr. Act. 2. v. 36.
 4. v. 12. Nō est in alio quoquam, quàm in Christo,
 salus & remissio, 1. Petr. 2. v. 24. Christi vibicibus
 non nostris, sanati sumus. Paulus 1. Corinth. 1. ver.
 30. 1. Timot. 2. v. 5. non alium, quam vnum Christum,
 nostram redemptionem apud Deum esse testatur.
 Iohannes in 1. Epistola c. 2. v. 2. Vnum Christum
 esse propitiationem & Purgationem peccatorum
 nostrorum & omnium, & omnem scribit. Deni-
 que tota S. scriptura idem docet, ut Bellarminum
 hunc omnino impium esse oporteat, qui hoc ne-
 get, & contra scribere audeat. Sed hoc Romæ, vbi
 Iudæis

Iudæis & Turcis sua quoque superstitio libera est: scribebat, non Genevæ, ubi pios sermones & doctrinam piam esse oportet. Nec tantum est hereticus Bellarminus: sed Athens: & peior Turca, qui hoc sentiat.

Quod ad Quintam rationem, quam ipse ex suis sumit, neque nos eam admittimus, neque nos illa vitimur: sed isti. Ergo inter se digladiantur, & pugnant. Cæterum vtrumque falsum est, quod hic asserit iste, Nempe & nos apud Deum mereri posse, & pro peccatis nostris vel ex parte, vel infolidum satisfacere posse Deo. De quo utroque iam satis diximus.

Sexta ratio, quam ex suis sententiariis quoque Bellarm. affert, nihil ad nos, inter se dimicent ipsi, ostendit tamen Purgatorij fundamenta quæ collocant ipsi, inter eos, id est, inter Sententiarios nutare, luxari, & incerta esse. Itaque dum illa labefactant ipsum quoque Purgatoriû evertunt. In summa, contra omnem sacræ scripturæ fidem & Patrum autoritatem, supra allegatam, vult, tenet, sentitque Bellarminus, Pœnitentiæ locum post hanc vitam hominibus superesse, qui fuit verissimus Chiliarum error, & erroris fundamentum.

Ad Cap. xi.

Confessionem de Purgatorio esse dogma fidei Christianæ probaturus Bellarminus, quattuor regulas præmittit, velut suæ conclusionis futuræ certissima fundamêta. Verû his fundamêtis, quod facillimû est, sublatis, totû ipsius ædificû & collectio ruit, ac perit. Quales sint autem istæ regulæ videamus. Primum illud observandum, duas

solùm regulas constituendas fuisse, vel potius vnicam tantum, hanc nempe, nihil esse dogma fidei Christianæ, quod non sit vel expressè, vel ex analogia fidei veræque consecutionis lege, in verbo Dei scripto comprehensum. Quicquid autem ex hominum meris traditionibus vel expressè, vel ex bonæ consequentiæ legibus asseritur, illud nequam fidei Christianæ dogma esse debet, vel potest. Textus verbi Dei expressus (nam suas illas regulas Bellarminus ex nullo Sacræ Scripturæ loco probat) qui vtramque nostram assertionem probat, est Deuter. 12. vers. 8. *Non facies quod tibi bonū videbitur.* Iob. 22. vers. 22. *Recipe ex ipsius Dei ore legem.* II. 29. vers. 11. *Frustra est apud eos timor meus ex mandatis hominum.* Matth. 15. vers. 9. *Frustra volunt homines tradentes doctrinas hominum.* Coloss. 2. vers. 23. *Est eiusmodi cultus $\epsilon\delta\iota\lambda\omicron\upsilon\delta\pi\omicron\sigma\eta\epsilon\iota\alpha$ à Deo damnata.* Ergo in solo Dei verbo scripto fundantur fidei Christianæ dogmata: non in hominum traditionibus. Quare quum Purgatorium Pōtificium neque expressè, neque ex fidei analogia sit in Dei verbo scripto, neque debet, neque potest esse fidei Christianæ dogma, vt rectè sensit P. Martyr.

Regulæ verò priores duæ à Bellarmino scriptæ, possunt admitti, si verba hæc demus, *cum ecclesia nempe Romana declaratione.* Duæ posteriores sunt omnino, & $\acute{\alpha}\pi\lambda\omega\epsilon$ falsæ, vti iam docuimus, ac proinde reiiciendæ prorsus.

Quod verò ad primum Bellarmini fundamentum, vt probet nempe confessionem de Purgatorio esse fidei Christianæ dogma, est nullum. Nam viginti illi loci ex S. Scriptura, quos prætexit, fuerunt

runt à nobis suprà cap. 3. & 4. confutati copiose, & verè.

Vnde secundum fundamentum, quod ex primo pendet, nullum quoque est. Nam ruit, primo ruente. Tertium & quartum fundamentum, nullius sunt momenti, quoniam ex sola hominum traditione fidei Christianæ dogma cadunt, & sumunt. Id quod fieri minimè debet, aut fas est, vel etiam potest. Nam & nos ipsi, sicut apparet ex cap. ix. & x. Patres pro nobis habemus, qui Purgatorium instud negant. Qui autem illud affirmant, hi dubitanter tantum, non autem asseueranter illud probant, quemadmodum apparet ex Augustini Enchiridio cap. 69. lib. de fide & operibus cap. 16. lib. 21. Ciuitate Dei cap. 26. Hypognoctic. cap. 5. lib. 5. & aliis eiusdem libris. Nec valet consequentia, Patres nonnulli tradunt orandum esse pro Mortuis: ergo Purgatorium post hanc vitam admittunt. Nam Patres idcirco id tradiderunt, quòd existimarent, sicut iam docuimus, Animas piorum etiam in cœlo ipso maiorem per nostra suffragia felicitatem posse consequi, quum eam vsque ad diem vltimum iudicij crescere crederent.

Quàm verò illud Bellarmini est ineptum, omnia fidei dogmata contineri in S. Scriptura non esse necesse col. 1419. L. B. item, In Genesi cap. 23. vers. 19. & vers. 3. fieri mentionem Purgatorij, aut, contineri tacitè in his verbis, *Quinque surrexisset Abraham ab officio funeris*. Nam in textu, & veritate Hebraica hæc verba non sunt, etsi in deprauata versione vulgari leguntur, ineptè à quopiam sciolo addita. Quàm immane flagitium est istius

eiufdem Bellarmini ex Dei præfcripto Sacrificia in Leuitico fieri, & describi, quæ (vt miffa Pontificia) fierent, & offerrentur pro Viuorum & Mortuorum peccatis delendis. Imò Mortui attactio erat in illa Lege scelus, quod à Templi aditu arcebat. Et quis Dæmō Bellarmino hoc reuelauit? Est ne verò maior vsquam vllius hominis, quàm istius, & Monachi, & Hefuitæ, impudentia, qui scribit B. Paulum disertè Purgatorij Pontificij, (quod adhuc ne in visceribus quidem matris suæ erat) meminisse? Miluium se Bellarminus tam facile, & verè scripserit, quàm hæc affirmat. Sed quid Satanæ mancipium, & gulæ, ac culinæ seruus pro ea tuenda non dicat?

De Græcis quod iste garrit, Eos, Veteres præfertim, nouisse Purgatorium, fallitur, aut mentitur. Agnoscunt illi preces pro mortuis, non autè Purgatorium Pontificium, de quo etiam nunc Græci dubitant, & cum Latinis, & ipsis Pontificiis certant. Ac depositus fuit Marcus Ephesinus Episcopus: & ipsemet Imperator Constantinopolitanus suis fuit exosus, & ab iis desertus, quòd in illo Concilio Florentino Purgatorium Ignem esse, cum Latinis consensissent. Ad Dionysij Areopagitæ autoritatem respondeo, quod nuper, A precatione pro defunctis ad Purgatorium nullam esse ex Patrum sententia consecutionem. Apparet ex Augustino, qui licèt concedat, & credat firmissimè præcādum esse pro defunctis, lib. 20. cap. 24. Ciuitat. Dei. Enchiri. cap. 110. Quæst. 2. ad Dulcitium: tamen dubitat de Purgatorio, lib. 21. cap. 26. Ciuitate Dei, Enchiridij cap. 69. Hypognostic. lib.

lib. 5. cap. 5. vbi etiam illud negat, item Serm. 14. de Verbis Apostoli. Denique quod pro coronide totius istius libri addit iste, error est, grauissimus: & tamen maximum istius Ignis Purgatorij fundamentum, Nimirum Animas eorum, qui sunt in Purgatorio, ibi affligi sensu voluptatū corporearum, quas in hac vita perceperunt: & earum etiam desiderio in Purgatorio post hanc Vitam tangi, ac teneri. Quid Mahumeti Alcoranus peius, obsecro, docet, dum ait in futuro seculo Veneris, & gulæ voluptates esse, & desiderari. Item, Easdem Animas in Purgatorio scire, & affligi sensu mortis vxorum suarum, liberorum, amicorum, aliisque calamitatibus, & infortuniis, quæ hîc hominibus sibi olim notis, & charis contingunt. Sic disertè iste col. 1420. L. D. §. *Dicaigitur*. Hæ nux sunt, hi errores pessimi, & profanissimi, & tamen sunt Purgatorij Pontificij basis, qua semel euerfa, Purgatorium, (quod huic superstruitur) euertitur, fitque prorsus nullius vsus. Nec enim Animæ illic affligentur. Itaque frustra fuerit. Euerto verò hanc Purgatorij basin, doceoque Animas defunctorum hominum, siue piorum, siue impiorum, nullo rerū quæ hîc fiunt, sensu affici omnino post hanc Vitā, & prorsus. Locus est ex Dei verbo, Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domine moriuntur, etiam dicit Spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis.* Job. 3. ver. 17. 18. Post mortem omnes quiescunt ab huius vitæ laboribus, & quæ hîc sunt aduersa, non sentiunt. Idem confirmatur Ps. 39. ver. 7. & aliis S. Scripturæ locis quamplurimis.

Quod ait ad postremum, Animā humanā esse

formam corporis sui, est falsum, iamque confutatum. Est enim Anima humana forma Hominis, seu Suppositi, non autem corporis. Et hæc quidem ad primum istum librum dicta sunt.

Ad Libri Secundi De Purgatorio.

Cap. I.

Est Pylus ante Pylum, sequitur Pylus altera post hanc, inquit in Odyssæa Homerus. Quæ sententia à Plutarcho ad vsuras seu fœnus refertur, & ad confusionem, quæ ex inepta aliqua sententia oritur. Hac mihi in sequentis libri refutatione liceat uti præfatione. Est enim totus hic liber secundus, qui longissimus est, & XIX. constat capitibus, ineptus, inutilis, nugarum manifestissimarum plenus, de quo verè dixerim.

Post nugas, nuge: nugas proponit easdem

Iste liber vacuo qui fluit à cerebro.

Verùm in hoc libro iste Mandrabuli in morem hiat, & sua somnia iactat, nimirum hominis ægri, certè cerebri malè sani commenta, & portentosa quæ prorsus omittere animus fuerat, ne bonas horas in istis ineptiis Bellarmini legendis perdant, bonique viri. Sed ne ex nostro hoc silètio laudem, victoriam, & triumphum caneret sibi, & capteret Bellarminus, visum est ad ea breviter respondere, Primùm in generali, deinde in Speciali ad singula capita.

Ac quidem in Generali, hæc imprimis tria, Primum, Non entis nullæ sunt qualitates, & Circumstantiæ: Purgatorium autem Pontificium nullum est: ergo neque sunt vllæ ipsius circumstantiæ. Quare falsa est tota sequens de Circumstantiis Purgatorij

gatorij disputatio. Secundum, Quod nullo S. Scripturæ loco traditur, id à Theologo Christiano neq; tradi potest, neq; definiri debet. At istę circūstatię de Personis, de loco, de tēpore, de genere pęnæ in Purgatorio, & similibus, nusquam in S. Scriptura traduntur: ergo tota hæc de istis rebus tractatio neque à Christiano Theologo tradi potuit, neq; definiri. Est enim mera diuinationio. Tertium est, Quod obiicio, Quod ex meris Ethnicorum commentis, & terculamentis, quia sine fide in Christum vixerunt, est profectum, cum disputatione de fide, & pro fidei Christianæ articulo, miscendum, aut statuendum nequaquam est. Atqui hæc omnes Purgatorij Circumstantiæ ex huiusmodi meris Ethnicorum scriptorum somniis, & terroribus conscientia sunt ortæ: ergo neque in disputationes Theologicas inferendæ erāt: neque pro fidei Christianæ dogmate proponendæ. Ex quo apparet non modò inutilis, verum etiam blasphemus in Deum totus iste Bellarmini secundus de Purgatorio labor, & liber. Omitto istorum inter se de iisdem rebus in hoc argumento contradictiones, imò vnus, & eiusdem aduersus seipsum vacillationes, diuinationes, & similes ineptias.

In Speciali iam de Personis, quibus Purgatoriū cōuenit, videamus, de quo Bellarminus hoc capite laborat. Nos eum ista animi ærumna, & labore liberemus ex Dei verbo scripto. Primum quātam sibi crucem, & aliis figat, qui septem diuersas hominum de hac quæstione sententias enumeret, (quos errores ipsemet appellat) luce meridiana clarius apparet. Nam ex absurdo nihil, nisi absur-

dum, sequi potest: & ex falso, falsum. Quum igitur sit & falsa, & absurda de Purgatorio Igne doctrina, certè quàm multa ex eadem absurda, & falsa consequantur, vident omnes; teste Bellarmino. Imprimis autem error Origenistarum pessimis, per quem æterna tum Piorum Vita, tum Impiorum mors tollitur, ex hac de Purgatorij Ignis sententia vel stabilitur, vel confirmatur. Quàm sit igitur ipsa impia, apparet.

Certè quàm varia sint opinionum de Personis Purgatorio addicendis diuortia, & monstra, declarant hæc tam variæ sententiæ. Omnes absque villo Sacre Scripturæ loco: omnes diuersæ: quædam inter se contrariæ. Nam alij collocant omnes homines in purgatorio: alij etiam ipsos Diabolos: alij solos Catholicos: & eos alij omnes: alij solùm Bonos: alij etiam malos. Quis, obsecro, hæc tot inter fratres istos Monachos dissidia placabit?

Sentit ipse Bellarminus col. 1425. L. B. Eos solos in Purgatorio futuros, qui in peccatis Venialibus moriuntur: ergo cum iis consentit, qui omnes verè pios in Purgatorio fore tradunt. Atqui hos ipsos refutat suprâ, col. 1428. L. A. Est enim sextus error, quæ ipse reiicit, velut portetum. Verùm Bellarmini sententia coincidit cum eo errore. Nam omnes verè pij & viuentes, & morientes in sese spectati viuunt, & moriuntur in peccatis, Ps. 143. ver. 2. Ps. 53. ver. 3. Romanor. 3. vers. 10. Illa verò peccata omnia eorum propter Christum sunt venialia. Nam illis propter Christum cõdonatur, vt est Roman. 4. ver. 25. Certè etiam ex ipsius Bellarmini sententia, propter eorum fidem in Christi-

stum, sit peccatorum hominum istorum pœna ex æterna temporalis. Ergo omnes pij, & verè pij in Purgatorium vadēt ad luendā pœnam istam temporalem. Atque hoc pacto Bell. ex suo ipsius suffragio & calculo est hæreticus, & ipsius sententia, error. At nulli in istud Purgatoriū pij eūt. Nā omnes peccatorū eorū pœnas & totas in se trāstulit Christus, & pro iis perfoluit Matt. 8. v. 17. 11. 53. v. 5. & 6.

Ad Cap. 11.

In hoc capite, cuius tamen argumentum nihil ad nos pertinet, (qui Purgatorium istud negamus) sibi contradicit mirè Bell. Ait enim hīc ex ecclesi. 9. v. 5. ex Hieronymo in Ecclesiasten Mortuos nihil nōsse rerum earum, quæ hīc geruntur. At superiore libro cap. xi. in fine tradit Animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio, affici sensu voluptatum, quas hīc viuentes per corpus senserunt: affligi ex morte vxorum, liberorum, &c. quæ mira est eiusdem scriptoris repugnantia, & contrarietas.

Alia repugnantia, Quòd locum Ecclesi. 9. v. 10. quem pro se, suæque sententia citat, ibidem euertit ipse ex Luc. 16. Vult enim ex Ecclesiaste, Mortuos post hāc vitā nihil amplius rerū, quas hīc agimus, scire. Vult contra ex Luc. cap. 16. ver. 27. eos scire, & curam etiam earum habere.

Alia repugnantia, Quod locus ex Ecclesiaste à se citatos qui de sepulchro agunt, interpretatur de Purgatorio: at contrā manifeste verba ostendunt agi in illis de Inferno, & iis, qui sunt in Inferno: non in Purgatorio.

Alia repugnantia Bellarmini, Quod locos tum ex S. Scriptura, tum ex Patribus Chrystostomō Homil. 2. de Lazaro: Hieronymo in cap. 9. Ecclesi.

Damasceno lib. 2. de Orthodoxa fide, qui vllam omnino peccatorum expiationem fieri post hanc vitam posse negant, affert & profert, vt post hanc vitam in Purgatorio peccata expiari posse doceat. Vertiginis spiritu procul dubio agitur in hoc capite Bellarminus, qui hæc scribat tam secum pugnantia: ex odio Lutheri, quem mortuum canis iste arrodere voluit.

Ad Cap. III.

NVgæ nugerrimæ sunt, quæ toto hoc capite continentur, & hominis otio & suo, & nostro abutentis est ista litteris exarare, Vtrum Animæ post mortem seu post hanc vitam mereri apud Deum possint, quas constat ex dicto Christi expressissimo Luc. 17. vers. 10. 2. Timoth. 1. vers. 9. nec in hac vita, nec post hanc vitam mereri posse. Sola enim Dei gratia seruamur per fidem Ephes. 2. vers. 8. Tit. 2. vers. 11. 3. ver. 4. Augustinus lib. de Gratia & libero Arbitrio cap. 7. Deinde quàm ista & argumenta, & argumentorum solutiones Bellarminicæ omnino aduersantur Spiritui sancto disertè hoc à nobis certo credi iubenti, Apocali 14. ver. 13. Mortuos in Domino requiescere in Purgatorio, nec alibi vsquam vexari, ac fatigari. Quare omnes istæ Bellarmini solutiones sunt à nobis prætermittendæ. Nihil enim ad nos. Ipsi Sententiarij mutuis sese vulneribus in istis rebus nihili confodiant, quæ sunt disputationes hominum mente carentium, quemadmodum docet Paulus 1. Timoth. cap. sexto. ver. quinto. qui priuati sunt veritate, & quæstui habent pietatem. Nam ex isto

isto Purgatorio Pontificiis est quæstus multo vberimus. Est enim totum culinæ eorum fundamentum. Ergo pro focis & haris, & pro sua offa pugnat Bellarminus. Nam ploratur lacrymis amissa pecunia veris. Verùm hîc notandum est Bellarminum in omnibus suis solutionibus nullo Sacræ Scripturæ loco suam sententiam, aut solutionem confirmare. Credat igitur ista, quæ scribit Bellarminus, qui volet. Quod si mihi luberet, iocandi, & dicis caussa, in istis quisquiliis cum Bellarmino immorari, facile tum ex eo ipso, tum ex suæ scholæ dogmatibus omnes eius solutiones confutarem, doceremque, Animas Christianorum tam bene & proprie posse mereri & demereri in Purgatorio Pontificio, quàm in hac vita merentur, & demerentur. Primum, quia quum Animæ sunt in Purgatorio, sunt adhuc in via, non in termino. Nâ qui sunt in isto Purgatorio, non sunt adhuc comprehensores, sed tantùm viatores. Nec enim mediis hominum piorum status constitui potest.

Nec valet solutio Bellarmini, nimirum Animas Purgatorij esse in termino quantum ad gloriæ augmentum col. 1429. L. A. Est enim falsa. Nâ etsi tales Animæ sunt, ut iste vult, certæ de sua salute, uti Anima B. Virginis Mariæ erat in hac vita certa de sua salute: tamen propterea non sunt adhuc in perfectissima gloria, quâ ante resurrectionem expectant, atque etiam sunt habituræ: ac proinde non sunt adhuc in termino augmenti suæ gloriæ: sicut nec Anima B. Mariæ in his terris adhuc erat in termino suæ gloriæ: imo ne Christi quidem ipsius Anima. Præterea Animæ Purgatorij adhuc

sunt, & versantur in pœnâ: ergo non sunt in termino augmenti suæ gloriæ. Nam pœnâ percellio pugnat cum perfecta gloria, Apocal. 7. vers. 17. 26. vers. 4.

Secundo, Animæ Purgatorij habent charitatem crescentem: ergo sunt in statu merendi. Nam quo gradu crescit charitas, eodem gradu & meritum Thomas ubique: sed in 4. Sentent. Distinct. 26. quæst. 1.

Tertio, Animæ Purgatorij sunt adhuc in fide, nondum fruuntur ipso Dei aspectu: ergo mereri possunt tam bene, quàm si essent adhuc in hac vita. Est enim par utriusque status ratio 2. Corinth. 5. vers. 6. 7. 8. Sed me his sordibus coinquinare nolo. Ista tantum dicis causa scripsi.

Ad Cap. IV. & V.

QUod ad quæstionem, quam hic tractat Bellarminus, nō magis certa est eius definitio, quâ superiorum, quæ omnino falsæ, & incertæ appa- ruerunt. Sed hæc utrū Animæ Purgatorij sint certæ de sua salute, adhuc magis incerta est, pro- pter tria, quàm præcedentes.

Primum propter grauissimam eorum, qui de ea dubitant, illique contradicunt, autoritatem, nempe Lutheri, Dionysij Cartusiani, Michaelis Baij, Iohannis Gersonis, Iohannis Rossensis. Hi sunt e- nim maiorum gentium in ista schola senatores & dij: reliqui, quos pro se, contrariâque sententia ci- tat Bellarminus, sunt minuti, & dij minorum gen- tium.

Secundum propter falsa fundamenta, quæ sta- tuit & ponit Bellarmin. pro sua sententia, nempe, quod

quod Animæ Purgatorij mereri nō possint. Quod
sui Iudicis sententiam de se latam sciant, coram
quo nondum comparuerunt. Hæc enim duo fun-
damenta sunt falsa, præsertim, quum Bellarminus
affirmet Dei Iudicium particulare de vlllo fieri,
non posse probari ex vlllo S. Scripturæ loco col.
1432. L. A. B. Non ex locis communiter allegatis;
nimirum ex Iohan. 5. vers. 22. ex Hebr. 9. vers. 27.
non ex locis ab ipso citatis, nempe ex ecclesiastici
cap. 11. v. 23. 29. quia non tantum est liber Apocry-
phus, sed etiam hi ipsi loci sunt ex falsa versione
suppositi: non ex Luc. 16. & 23. vers. 42. quia sunt
ad hoc argumentum extranei & ἀπὸ τοῦ ἰσχυροῦ.

Tertium propter contradictionem, quam in
hac ipsa sententia tuenda Bellarminus habet. Vult
enim iustos statim à morte ad æterna gaudia rapi
Luc. 23. vers. 42. id quod verum est: & tam en iustis
paratum esse Purgatorium, in quo prius diu vexē-
tur, quam in illa gaudia recipiantur: id quod est
priori prorsus contradictorium & repugnans.

Prætermitto quod ex fabulis, & mortuorum, id
est, Dæmonum visionibus hæc sententia Bellar-
mini eruitur, & in iis fundatur, quas fabulas habet
Gregorius Magnus lib. 4. Dialogor. cap. 36. & 38.
Beda lib. 5. Histor. cap. 14. & 15. quibus omnino si-
mile habet Plutarchus aliud in libro de defectu
oraculorum. At hoc totum genus probationis dā-
nat Isaias Propheta ca. 8. v. 19. & Christus ipse Luc.
16. vers. 29. & 31. sub persona Abrahami Patriarchæ.

Denique ipsa incertitudo & dubitatio Bellar-
mini in hac quæstione definienda, docet totā istam
decisionem esse incertā. Dubitat enim, vtrum hoc

particulare Dei iudicium, per quod Animæ in Purgatorium detruduntur, fiat statim, an diu post mortem col. 1433. L.A. Dubitat de loco, ubi sit à Deo, vtrum ubi animæ corpus relinquunt col. eadem L.B. an alibi. Dubitat de eo, qui pronuntiat tale iudicium, vtrum sit Christus, an Angelus. Si Christus, vtrum in forma Dei, an hominis. Dubitat de scientia Animarum Purgatorij, vtrum sit certa, an tantum sit præsumptio, quod non damnabuntur in Infernum. Ipse enim tantum coniecturas pro iis affert. In summa, cum Bellarmino agere velle, est cum insano insanire velle, & stulto secundum suam stultitiam respondere, quod fieri vetat Solomo Prouerb. 26. vers. 4. Sed hæc degustanda fuerunt, & à nobis patefacienda, quæ etiam ad ineptiam & falsitatem sequentis capituli demonstrandam valebunt, & à nobis afferuntur. Vnum hoc dicam, nihil verius in toto hoc argumento à Bellarmino dici, quàm quod cap. v. ait, totum officium pro defunctis esse falsum, ineptum, male & perperam ex Psalmis confarcinatum.

Ad Cap. VI.

Quid magis totam de Purgatorio isto Igne Pontificio doctrinam euertere potest, quàm quod hîc scribit Bellarminus? Neque ex Dei verbo, neque ex ecclesiæ definitione intelligi posse. An sit, & ubi sit istius Ignis Purgatorij locus. Opiniorum hîc à Bellarmino recitararum non modo varietas, sed etiam contrarietas ostendit neque vllum esse istum locum, neque vsquam. Atqui materialis

terialis est Ignis iste : ergo locum materiale & corporalem habeat necesse est: quem si non habet, & nusquam est, nec est, ex regula Augustini in epistola ad Bonifacium, corpora quæ nusquã sunt, omnino non sunt.

Quàm verò est impudens, vel ineptus Bellarminus, qui definire velit, quod neque S. Scriptura, neque Patres definiunt. Est enim hoc impudentis Theologi. Est ineptus, qui quærat & alicubi esse velit, quod nusquam est, nisi in Utopia Mauri, & in faucibus Chimææ Homericæ, monstri planè fabulosi.

Pudere verò istum, & eius sequaces oportet, dū ista de sue fidei articulo maximo, nempe Purgatorio, tam dubia affirmant & scribunt, quæ nec locū in tota S. Scriptura vllum pro sui confirmatione habent: nec ipsorum Patrum, qui de loco isto scribunt, certam sententiam: nec ipsius Bellarmini, nisi coniecturalem solū & probabilem, vt ipse ait, definitionem. Quid igitur, si Gregorius, si Beda, si Laurentius Surius, nihil scripsissent, locus iste Animarum tam necessarius ignotus omnino fuisset? Quàm igitur grauiterrime errarunt & infelices fuerunt Apostoli, Euangelistæ, Christus ipse, qui quum ante Gregorium & scriptores illos vixerint & obierint, locum istum Purgatorij: & hoc dogma fidei prorsus ignorarunt. Denique quicquid hîc congerit iste, ex Institutione Vignierij, & Thomæ Rancidis in li. 4. Sententiar. Dist. 45. frustis & repotiùs compilatum & transcriptum est.

Ergo quod ad Paradisum seu cælum, & Infernum, hæc duo Animarum post hanc vitam rece-

ptacula agnoscimus, nempe cœlum fidelibus destinatum: Infernum autem Infidelibus. Luc. 23. v. 42. Matth. 23. vers. 41. & 46. Cœlum, qui est locus totius huius mûdi supremus, & cœlum cœlorum, in quod ascendit Christus Actor. 1. vers. 9. Pl. 115. vers. 16. Ephes. 4. vers. 10. Hebr. 7. vers. 26. Infernûs, qui est infimus totius huius Mundi locus, Tartarus, Abyssus dictus, in quem non ascenditur, sed descenditur, Luc. 8. vers. 31. 16. vers. 23. 2. Petr. 2. v. 4. Lombardus ex Isidoro lib. 4. Sentent. Dist. 48. cap. 5. in fine Apocal. 9. ver. 11. 20. vers. 3. Anselmus in libro de Imagine Mundi, Bernardus in Sermone de obitu Malachia.

Tria verò hæc loca, nempe Limbum Patrum, Limbum Puerorum, Purgatorium, neque agnoscimus, neque S. Scriptura tradit. Et certe rationes, quas pro his stabiliendis profert hic Bellarminus, sunt omnino ineptæ, nullæ, falsæ. Ineptæ, quia nutantes & dubias Patrum sententiâs pro vero eorum & fidei dogmate allegat iste. Nullæ, quoniam ex nullo Sacræ Scripturæ loco promuntur. Falsæ, quia ponit iste Animam veri Samuelis à Maga & Pythonissa euocatam apparuisse Sauli. Id quod pro sui Purgatorij summo fundamento ponit. Hoc autem est falsissimum. Nec videt iste simulacrum externum Samuelis à Satana Sauli obiectum, dici Samuelem, sicut idolum Iouis dicitur Iuppiter. Baalis, Baal. Liber Ecclesiastici est Apocryphus, nec vlla ex eo doctrina duci potest. Quod prædicit futura iste Samuel Diabolicus ex Dei permissu facit, vt docet in eodem argumento Paulus, Deum dare Satanæ potestatem ædendi miracula

cula 2. Thessal. 2. vers. 10. & 11.

Solutiones verò Bellarmini sunt meræ diuinationes Rabbinicæ de Animabus capite deorsum verso è terra ascendentibus, quum arte Magica euocantur, de latria reuerentiali, & cæteris rebus, quas hic comminiscitur Bellarminus. Ergo ex istis fundamentis nec Purgatorium, nec Patrum, nec Puerorum loca habet, aut colligit iste.

Ad Cap. VII.

Post quatuor nugas superiores & hic & sequenti capite alias duas addit, ne plenus nugarum cumulus huic libro, sicut dixi, deesset. Sed quum nihil ex Dei verbo afferat iste, sed mera somnia, omittatur.

Ad Cap. VIII.

Est Pylus ante Pylum, sequitur Pylus altera post hanc. Nugæ post nugas, nugas proponit easdè, Scriptor, & insani prorsus homo cerebri. Negat quum vult, suorum scripta, vti quod de Traiano scripsit Damascenus in oratione pro defunctis: quum vult, eadem *ἑρμῆος* & deificat, vt ex Bellarmini nutu & calculo tota hæc res stet, aut cadat. Quod citat ex Matth. 17. Eliam & Mosen apparuisse, cum Christoque collocutos fuisse, fuit illud omnino & semel factum, & plane extraordinarium, & ad veri Christi agnitionem necessarium. Sed apparitiones, de quibus iste agit, sunt fueruntque ad blasphemiam in Christum doctrinâ confirmandâ fictæ, & illusoriæ Satane artes:

non Dei operationes. Oleum & operam perdam, si reliqua Bellarmini in hoc capite persequar. Illud meminerit ipse, quod est Pl. 78. vers. 39. *Spiritus vadens est, & non rediens*: qui locus totam istam quaestionem falsam, & inutilem reddit, vti quoque est.

Ad Cap. IX.

Quod disputat Bellarminus de Tēpore, quod durabit Purgatorium, eadem futilitate, falsitate, & nugacitate nititur, & fulcitur, qua superiores quaestiones. Porro etsi falsa est Origenis sententia, tamen ex falsis fundamentis ab isto refutatur, quale est hoc.

Primum, Peccata esse actus liberi arbitrij. Falsum hoc. Sunt quidem spontanei arbitrij, non liberi actiones, vti suo loco ostendemus, & nostri demonstrant in disputatione de libero Arbitrio.

Secundum fundamentum falsum est, Peccata omnia à sola Anima perpetrari. Contra Iacob. 1. vers. 15. Nam etsi peccati conceptio, quae & ipsa peccatum est, fit à sola Anima: executio tamen & illius perpetratio fit à corpore, & corporeis organis vt plurimum, & in multis peccatis. Quare & ipsa corpora deberent esse in Purgatorio, vt Animæ, quoniam & ipsis poena temporalis pro peccatis debetur, quum nullam tamen ante resurrectionem in suis sepulcris luant.

Tertium falsum est, corpora à suis Animis separata, & iam effecta insensibilia, in suis sepulcris poena sensus tamen puniri, sicut Animæ in Purgatorio.

gatorio, Sunt enim ista corpora insensibilia & a-
rta & c.

Lutheri sententia verissima est, Nullum esse
piis in Domini fide morientibus reliquum post
hanc vitam Purgatorium, quia fides purificat nos
totos coram Deo & à peccato originali, & Actua-
li, & Mortali, & Veniali Actor. 15. vers. 9. 26. vers.
18. Reddit enim nos fides coram Deo sanctos pror-
sus, & inculpato Ephes. 1. vers. 4. Psalm. 65. vers. 4.
Ergo tales, qui nulla pœna nec æterna, nec tempo-
rali affici mereamur: præsertim quum fomes pec-
cati per mortem exstinguatur in hominibus piis,
teste etiam hîc Bellarmino: & sit sanguis Christi
& mors plena pro tota peccatorum nostrorum pœ-
na tum in Animo, tum in corpore satisfactio, 1.
Iohan. 2. vers. 2.

Habitus autem malos remanere in voluntate
piorum post hanc vitam quod hîc sentit Bellar-
minus col. 1445. L. B. est non modo falsum: sed e-
tiam illi eiusdem Bellarmini sententiæ contra-
rium, fomitem peccati post hanc vitam exstin-
gui. Quomodo manet habitus, si tollitur fomes &
dispositio ipsa prima ad malum? Ista non cohæ-
rent. Itaque quid dicat, non habet Bellarmi-
nus: sed tantum ait, *Credibile est*, quasi dictato-
ria quadam potestate, aut tertius de cœlo Cato
delapsus ius de rebus celestibus decernendi ha-
beat.

Purgatorium restare pro peccatis Venialibus
falsum est, tum quia nulla sunt alia Venialia pec-
cata, quàm mortalia: tum quia peccata omnia in
nobis credentibus delet mors Christi Roman. 3.

vers. 24. 25. 5. vers. 1. 8. vers. 1.

Denique nihil definit Bellarminus de quæstione à se proposita, id est, de Tempore, quo durat Purgatorium, A soti sententiam refutat: ipse verò nec hoc, nec sequentibus capitibus quicquam de re tam necessaria asserit: imo rem istam totam esse incertissimam tandem fatetur, & agnoscit. Cur igitur in ea se, & alios inuoluit, quæ definiri non potest?

Ad Cap. x. & xi.

Delirat homo iste, qui certa de re incerta tradi posse affirmat. Nā & res ipsa Purgatorium & illius locus, & quæ pœna in eo toleretur, & quādiu, sicut ex superiore disputatione manifestum est, testaturque Bellarminus ipse, sunt res prorsus incertæ. Quid igitur nobis iste hęc sua oracula tanquam ex Delphico Apollinis tripode fundit, & pronuntiat, quum sese ignorare fateatur, utrum hæc pœna Purgatorij, quæ Ignis appellatur, sit verè Ignis, an non: utrum Ignis iste possit agere in Animas à corporibus separatas: utrum Diaboli, an prorsus nulli pœnas istas inferant: utrum acerbior, & magna sit ista Purgatorij pœna. Hoc qui ignorat, sicut ista latent Bellarminum, quomodo quicquam certi de hac Purgatorij pœna definire potest. Mustellam, Bellarmine, esse te oportuit, qui hæc scribas, id est, Animal absque vlllo iudicio: non autem hominem, & λογικὸν ζῷον.

Quàm verò sibi contrarius iste est capite sequenti,

quenti, nempe XI. qui disertè affirmat Ignem Purgatorij esse corporeum & materialem & elementalem, de quo tamen ipse cap. x. apertè sic scripsit, *dubium esse, an Ignis Purgatorij proprie, vel metaphoricè dicatur Ignis*, & postea cap. 14. col. 1449. L. B. eandem dubitationem retinet. Quid est secum pugnare, si hoc non est? Cæterum fundamenta sue sententiæ, quæ sumit Bellarminus, omnia sunt falsa, & fallacia A non caussa, quia non ex Dei verbo scripto sumuntur: sed solùm ex vanis hominum somniis, & iis etiam sibi ipsi contrariis, vti apparet ex sententia Gregorij Magni lib. 4. Dialog. ca. 29. & libr. 15. *Moralium* cap. 14. sibi repugnante.

Autoritas Sententiariorum nullius est momenti, quia sine Dei verbo hoc affirmant. Autoritas Gregorij nulla, quia ipse sibi cōtradicit, quicquid in librariorum culpam istam transcribere velit Bellar. Frustra. Nam omnes Gregorij codices vocem *Incorporeum* retinent. Autoritas Augustini hinc nulla est, quia nihil cap. 10. lib. 21. *Ciuitate* affirmat Augustinus. Sacræ Scripturæ autoritas hunc non inuat, quæ pœnam damnatorum vocat Ignem. Vox enim Ignis metaphoricè in Sacra Scriptura & tropicè, non propriè sumitur, vti & vermis, & sulphuris Is. 30. versic. 33. 66. vers. 24. Idem respondeo ad locum Matthæi cap. 25. vers. 41. Ignem sumi tropicè. Autoritas Sapientiæ non probat cap. 11. vers. 17. primum quoniam est liber apocryphus: deinde quoniam de pœna, quam vii. i homines sentiunt illic agitur: nō de ea, quam post

hanc vitam tolerant. Probatio ex Ignis eruptionibus, quæ sæpe apparent in monte Ætna, Vesulvio, & monte Chimæra, nihil valet. Fiunt enim eiusmodi eruptione ex causis naturalibus, vt est in Poëmate Sulpicij, quod Ætna inscribitur. Non eueniūt istæ Ignis eruptiones ex pœnis, quas Animæ humanæ post hanc vitam sentiunt. Pœnæ aiunt exhalare Ætnam, quum Atlas, vnus ex Gigantibus, (quem illic sepultum & oppressum à Ioue scribunt) mutat & conuertit latus: quæ certè sententia, licèt fabulosa, verior est, quàm hæc Bellarmini anilis & blasphema.

Ad Cap. x i i.

IAM verò verissima & robustissima fraus est Bellarmini, qui *ἄδωρ*, sed inutile, *φάρμακόν* commiscitur, vt argumentum (à quo totum Purgatoriū euertitur & opprimitur) eludat, non tollat. Est enim hæc contra totam hanc doctrinam ratio & machina fortissima, nempe animas à corpore suo separatas affici non posse ab igne materiali, & aliis rebus corporalibus. Nam quandiu cum suo corpore hypostaticè vnita manet Anima humana, propter *συμπάθειαν* coniuictorum, & vnionis seu vinculi istius arctissimi societatem, potest Anima à rebus corporeis per corpus suum affici: sed à suo corpore separata non potest. Hoc sensit Durandus in 4. Sentent. Dist. 44. Quæst. vlt. & Augustinus: sed neuter repulit hoc telum. Bellarminus Gordianum istum nodum, quo prorsus constringitur, scindit, non soluit. Fatetur enim omnino sciri non posse, quomodo Anima humana à corpore

pore separata possit affligi ab Igne corporeo: hoc est, fatetur se & suos nostris argumentis sic irretitos, vt elabi nequeant. Nam quod affert, Inexplicabilem quoque esse rationem vnionis Animæ hypostaticæ cum corpore, verum hoc est, (licet Damascenus in Dialectica hoc arcanum explicare conetur) sed hoc ipsum ineptum est, & ἀπρόσδι-
 ον *Gr* ad hanc quæstionem. Nam etsi ratio vnionis istius hypostaticæ & modus est inexplicabilis: effecta tamen istius vnionis facile explicantur. Verùm nulla hypostatica est vnio Animæ Purgatorij cum isto Igne Purgatorio vt ab eo affici possit. Sed & in suscepto errore perseuerat iste, dum ait Animam humanam esse formam corporis sui, & humani.

Ad Cap. XIII.

VAnitate ipsa vanior est homo iste Bellarminus, qui suum, & suorum hominum insanorum somnium, secretum & arcanum Dei nondum reuelatum appellet, nimirum vtrum à Diabolis vexentur in Purgatorio Animæ humanæ, an à solo isto Igne Materiali. Si vexantur Animæ, quum Purgatorium sit pars Inferni, teste hoc ipso superiore libro: quemadmodum in Inferno, sic in Purgatorio Animæ à Diabolis vexabuntur. Atque ita certum est, A quibus illæ torqueantur. Quod tamen non torqueantur Animæ Purgatorij à Diabolis, patet, quoniam Diaboli nusquam in Dei verbo traduntur ingredi, aut esse in isto Purgatorio, quia est locus filiis Dei destinatus. Sic se-

ipsum fatuitate iam superat, qui istā quæstionem de re, quæ omnino non est, proponit, & relinquit indecisam: quam præstabat prorsus prætermittere, quàm dubiam relinquere.

Ad Cap. xiv.

Quanta sit Purgatorij pœna fatetur iste ignorari, nec definiti posse. Sic hoc libro cap. x. §. finali. Et tamen hîc eam definit ex somnio Bonaventuræ, cui magis iam, quàm Thomæ suo Deo, credit. (Sic varius est iste) Aliquam nempe pœnâ Purgatorij esse minorem aliqua pœna huius vitæ. Quid hac incōstantia, præsertim in homine Theologo, turpius? Quid denique attinebat Rancida Thomæ Aquinatis hominis portentosæ superstitionis somnia recoquere nobis? Nihil enim habet hic Ihesuita, nisi à Jacobitis ex Thoma, & Franciscanis ex Bonaventura transcriptum sine pudore, sine iudicio, sine fronte. Denique tota istius doctrina in hoc fundamento posita est, *mibi placet, credibile est, ex mortuorum, id est, Dæmonum revelationibus constat* hanc sententiam esse veriorē. Quæ obsecro, fidei Christianæ fundamenta, & dogmata sunt ista.

Ad Cap. xv.

Non hîc nobis iucundæ Lusciolæ cantum, sed veterum cucullorum coccysum Bellarminus miser occinit, quoniam aliud non potest. Quæ hîc habet, omnia ex Lombardi li. 4. Sentent. Dist.

45. & ipsius commentatoribus ineptissimis Thoma, Durando, Bonauentura, Biele, sibi que contrariis descriptis quæ crambe repetita mors est. Ipse noui nihil affert. Quis verò, Bellarmine, hoc vetus nescit, *occidit miseros crambe repetita magistros.* Quæstio est vtrum viuorum suffragia seu ecclesiæ defunctorum profunt.

Primum nimium generaliter proposita est quæstio. Nam hæc indefinita æquipollet vniuersali. Vniuersalis autem hæc propositio, & vniuersaliter sumpta, nempe, quòd ecclesiæ suffragia omnibus defunctorum profunt, est falsa. Nec enim profunt vel in Cælo, vel in Inferno iam existentibus defunctorum. Et cap. xviii. ipse Bellarminus hanc propositionem generalem explodit, & refutat. Ergo restringenda fuit hæc quæstio, & propositio. Hoc est primum huius loci vitium.

Secundum, Quòd vtrum ecclesiæ suffragia defunctorum profunt, an non, dubia ac prorsus incerta est ipsorummet Scholasticorum sententia. Nam alij ea prodesse negant Biel quæst. 2. Artic. 3. Propositione sexta: alij prodesse volunt, vt ille: alij prorsus ampliant & dubitant, sicut apparet ex Durando libro quarto Distinctione quadragesima quinta quæst. tertia. N. tertio & quinto. Magister ipse Sententiarum libro quarto Distinct. quadragesima quinta capite quarto, incertus est plane. Ergo iste vel affirmare non debuit, quod ex eadem schola alij doctiores isto negant: vel sic tanquam ex tripode certa obtrudere, de quibus ipsius præceptores dubitant.

Tertium, Quòd nec iste, nec vlli ex ista

schola probant, vel Dei verbum afferunt, vel fundamentum ostendunt, cui hæc sententia innitatur; suffragia defunctis prodesse. Vtrum id fiat igitur ex mera Dei promissione, vtrum proueniat ex fide, an potius ex charitate nostra inter nos, non explicant.

Denique, quod Bellarmini huius sententiæ rationes omnes hîc ab ipso explicatæ sunt falsæ. Id quod ex sequentibus apparet. Nam prima huius ratio est hæc, Ecclesia tota habet inter se communionem & capitis cum membris, & membrorum ipsorum inter se. Ergo ecclesiæ suffragia profunt mortuis. Respondeo, In hoc argumento triplex est fallacia, Prima ex parte prædicati, quod est *suffragia ecclesiæ*. Secunda ex parte subiecti, quod est *Defunctis*. Tertia ex parte ipsius enuntiationis & connexionis prædicati cum subiecto suo. Omnes autem ducuntur Ab Æquiocatione, & Ab Ignorantia Elenchi, & Migratione generis ad genus.

Prædicatum, & subiectum sunt ambigua & generaliora, quàm oportet. Nec enim omnia suffragia ecclesiæ profunt, nec omnibus defunctis profunt, etiam teste Bellarmino cap. 16. & 18. Deinde non habet ista communio ecclesiæ omnes defunctos pro membris, (id quod tamen habet generalis Bellarmini assertio) sed tantum verè fideles. At veris fidelibus mortuis nulla ecclesiæ suffragia profunt, quoniam in Domino sunt mortui, & quiescunt à suis omnibus laboribus: & opera eorum, non autem aliorum, sequuntur eos, ex quibus iam sunt sani Apocalyp. 14. versic. 13. In attributione

butione fallacia est. Nam ista communio mem-
 brorum Ecclesiæ inter se propter Christum non
 habet easdem præstationes, & eadem officia inter
 viuos & mortuos fideles, (quoniam vtrorumque
 est dissimilis & separata omnino conditio) quæ
 sunt inter viuos inter se: aut inter hęc quidē mor-
 tuos, & in alio seculo viuentes fideles. Ergo qui
 propter istam fidelium communionem concludit
 esse paria viuorum erga mortuos, quæ viuorum
 inter se, officia, toto cœlo errat. Profunt autem
 fidelium viuorum suffragia & auxilia aliis fi-
 delibus viuis ex Dei promissione, qui nos vi-
 uos pro aliis viuis orare iubet, Iac. quinto versu-
 culo decimo sexto. Nō profunt autem eadem vi-
 uorum fidelium suffragia fidelibus mortuis. Ratio
 est, eaque duplex, Prima, quod talis oratio pro de-
 functis neque præceptum neque promissionem
 Dei in vllō Sacræ scripturæ loco habet. Altera ra-
 tio est, quod ad Mortuos homines non perue-
 niunt ea, quæ hęc à nobis Viuis fiunt. Ergo neque
 ea sciunt, neque intelligunt, neque ab his iuan-
 tur mortui.

Secunda ratio Bellarmini est, Christus viuos &
 mortuos morte sua profuit, atque etiamnum
 prodest fidelibus Viuis & mortuis: ergo &
 singuli fideles Viui & mortui, suis suffragiis
 profunt aliis fidelibus viuis & mortuis. Respon-
 deo. Hęc Bellarmini argumentatio est &
 vera in Dominum nostrum Iesum Christum
 blasphemia, & fallacia A non consequen-
 te. Fallacia quidem, quia non sequitur, vt,

si Christus, qui caput est Ecclesiæ (quæ & in his terris est & in cœlis) prodest viuis & mortuis fidelibus: singuli fideles vim & virtutem eandem habeant, qui sunt duntaxat huius Ecclesiæ membra. Alia enim est capitis virtus & potestas: alia singulorum membrorum. Paulus hoc docet, Ephes. 4. ver. 16. Coloss. 2. ver. 19. Pari modo non sequitur, vt, si in corpore humano Caput sensum, & motum brachiis & pedibus sumministrat, brachia & pedes eundem sensum, & motum cordi, Iecori, ventriculo suppeditent.

Blasphemia verò est in Christum, quia singulos fideles æquiparat, & exæquat Christo ista sententia, quem tamen & solum & vnum duntaxat Pater constituit caput Ecclesiæ, primogenitum ex mortuis, & primas tenentem in omnibus Coloss. 1. ver. 17. Dedit enim illi nomen quod est supra omne nomen, Ephes. 1. vers. 21. Philip. 2. versu 10. viuis & mortuis profit, ac dominetur Christus Roman. 14. v. 9. Ergo habet Bellarminus luculentam ad suum argumentum secundum pro suffragiis responsionem.

Tertîa ratio & vltima Bellarmini est ineptissima, & nihili. Sic enim ait, Viui Viuis profunt, Mortui mortuis: Mortui etiam viuis ergo & viui mortuis quoque suis suffragiis. Respondeo Bis peccat hic Bellarminus, fallacia nempe A non consequente. Nam tribus etiam illis membris prioribus concessis, non sequitur tamen quartum & vltimum, quia dissimilis est

lis est huius ratio vnus à cæteris tribus. Viui enim viuos possunt iuuare: Mortui mortuos, si quod illi habent inter se commercium. Sed mortui etiã si viuos iuuare posse concedantur (quod tamen falsum est) quia sciunt, vt aiunt isti, & vident in facie Dei ea; quæ in his terris gerantur: propterea tamen viui mortuos iuuare non possunt. Nam qui hîc viuunt prorsus ignorant; quæ in altero seculo, & apud mortuos gerantur. Ergo non valeret consecutio. Altera huius rationis fallacia est **A** Petitione Principij. Petit enim & præsupponit falsa hæc duo, Nempe mortuos à mortuis iuuari, itemque Viuos à mortuis. Nam falsum est sanctorum mortuorum qui sunt in cælo precibus, eos qui sunt mortui & in purgatorio, iuuari, vt rectè, non temere sensit; scripsitque Dominicus **A** Soto in lib: 4. Sentent. Dist. 45. Quæst. 3. Artic. 2. falsum est, Viuos à mortuis iuuari, quia vt rectè sensit Biel ibidem. Quæst. 2. Mortui nesciunt quæ hîc gerantur. Nam negant Augustinus lib. de Cura pro mortuis cap. 13. & Thomas hîc Articulo quarto, mortuos sanctos videre in Dei facie ea, quæ fiunt in his terris. Præterea quoque id negat Durandus, ibidem quæstione quarta N 8. Negat itidè additio in tertia secundæ 72. Artic. 1. consequens hoc esse, vt etsi mortui nouissent, aut cognoscunt, quæ hîc gerantur, propterea tamen nos viuos iuuarent, aut iuuent.

Non valet autem collectio Bellarmini, Elias mortuus 2. Reg. 13. mortuum suscitauit: ergo mortui mortuos iuuant. Respondeo, Hîc

agitur de suffragiis mortuorum pro mortuis afflictis: & locus prolatus ex 2. Reg. 13. nihil de eo tangit: sed tantum docet Vi diuina corpus mortuum excitatum, non suffragiis Elizæi mortui, sed ad sepulchrum Elizæi. Exemplum Abrahami ex Luc. 16. est parabola, quæ nihil *deumōc* ponit.

Exemplum Oniæ est ex libro Apocrypho, nempe lib. 2. Maccabæorum cap. 15. Itaque nihil valet & concludit.

Exempla reliqua ex Augustino, Theodoro, Gregorio Magno, & Petro Damiano citata nihil probant, primum, quoniam fidei probatio, nequaquam petenda est à mortuis, & visionibus istis, II. 8. v. 19. 20. sed à lege, & Prophetis. Deinde quoniam sunt istæ Diabolorum illusiones, & apparitiones, non veræ verarum & fidelium hominum Animarum ostensiones. Denique quia magnam partem fuerunt confictæ, vel ex incerto auditu tantum acceptæ, non ab vllis oculatis testibus relatæ istæ miraculosæ narrationes & apparitiones. In summa falsæ sunt omnes, quoniam doctrinam verbo Dei comprehensam tollunt, Nempe nostrorum omnium peccatorum remissionem in vnus Christi Domini nostri sanguine quærendam.

Vera est autem Thomæ Aquinatis sententiæ in secundæ. Qu. 83. Artic. 3. Animas Purgatorij non orare pro nobis, nec earum suffragia nobis viuus prodesse: quare neque nostra quoque illis profunt, ex æquo iure. Nam refutationes quas affert hîc Bellarminus, nihil valent, quia nihil contra affert Bellarminus ex Dei verbo. Verum pro Thoma est textus sacræ Scripturæ apertus, Apoc. 14.

cal. 14. ver. 13. Beati mortui qui in Domino moriuntur, Luc. 16. ver. 22. Lazarus statim atque mortuus est, defertur ab Angelis in sinum Abrahamæ: ergo sunt meræ nugæ tres Bellarmini rationes contra Thomã. Et hoc ipsum sensit istemet. Ait enim pro toto suæ cõtrarię sententię fundamento. *Non est incredibile*, col. 1452. L. A. item, *Probabile est*, L. C. Deinde suam sententiam retractat. Ait enim, *superfluum est nos vivos ab his mortuis suffragia petere*: item *Ignorant, quæ hic gerimus*. Ergo mortui nos vivos non iuuant, & sic ruit totum tertię rationis Bellarmini ab enumeratione 4. modorum, quibus homines ab hominibus iuuantur, fundamentum: ac proinde tota illius tertia ratio.

Porro rationes nostrorum refellere conatur iste, sed inutiliter quia non potest. Itaque elabatur tantum, non refutat.

Prima ratio est ex Eccl. 9. v. 7. mortui nesciunt, quæ hic fiunt: ergo pro nobis non orant. Respondet iste, istam mortuorum ignorantiam restringi ad bona terrena, quæ hic habebant. Respondedo Bellarmino, falsa est ista solutio. Loquitur enim textus allegatus generaliter, & negat vllos mortuos quicquam rerum omnium scire, quæ in his terris gerantur. Confirmator nostra sententia ex Apocalyps. decimo versu, versu decimo tertio. Psalm. tricessimono nono, versiculo duodecimo.

Secunda ex Ambrosio lib. 1. de Patriarchis, officium hoc à nobis deferendum est mortuis, vt eorum cadauera sepeliamus. Idem Augustinus

lib. de Cura pro mortuis, cap. primo secūdo tertio.

Respondet Bellarminus ex alio Ambrosij loco nimirum ex oratione de obitu Valentiniani ubi orat pro mortuo Valentiniano Ambrosius. Respondeo Bellarmino, Primum est solita illo seculo rhetoricatio, vti & apud Nazianzenum pro fratre Cæsaris, & Gorgone sorore, & apud Basilium, de 40. Martyribus. Deinde non ait suas preces & suffragia prodesse isti Animo vt redimatur: sed tantum, vt testetur ipse Ambrosius quantum dilexerit viuum Valentinianum Imperatorem.

Tertia ratio nostra est ex Hieronymo in Epistolam ad Galat. capite sexto. versiculo quinto. Post mortem nec lobus, ait, nec Daniel prodesse nobis potest. Respondet Bellarminus primū ambigū, *Vel dic hoc, vel dic illud*, atqui Theologia dogmata & solutiones certas esse oportet, non ambiguas, qualia fuerunt Apollinis oracula qui propterea *delicias* dictus est. Deinde falso respondet P. Hieronymum loqui de extremi iudicij tempore duntaxat. Respondeo, Verba Hieronymi hoc refutant. Generaliter enim loquitur & de iis, qui nunc ante extremum iudicium moriuntur. Itaque ait ibidem Hieronymus refutari dogma illud (quod appellat vetus) quo suffragiis viuorum mortuos iuari posse homines antea existimabant. Falsum enim esse docet ex illis verbis Pauli. Itaque canonizata est hæc Hieronymi sententia in can. *mandatum relata* XIII. quæst. II.

Quarta ratio nostra est, vnusquisque onus suum portare debet: ergo pro se satisfacere: aliqui

minuetur defunctorum gloria ab ipsismet Pontificiis. Galat. 6. v. 5. 2. Corinth. 5. vers. 10. iustus ex sua fide seruabitur, non ex aliena, Habac. 2. ver. 4. Respondet Bellarminus melius est, vt quisque pro se satisfaciatur, si potest. Sin minus, per alium. Qui sunt in Purgatorio pro se ipsi non satisfecerunt. Respondeo Bellarmino. Hęc tota respōsio est blasphēma, Nempe Quenquam pro se satisfacere ipsum posse. Contrā Christus pro nobis, non nos pro nobis, satisfecit 1. Iohan. 2. ver. 2. Roman. 3. ver. 24. 25. Deinde falsa quoque ex istorum dogmate. Nam qui sunt in Purgatorio ipsi pro sese satisfaciunt quum pœnas suorum peccatorum luant in Anima.

Quinta ratio, Incertum est nobis viuentibus Vtrum sunt Animę pro quibus oramus, in Purgatorio; imo saepe sunt in inferno, vel in cœlo, pro quibus tamen non est orandum; ergo incertę & inutiles sunt preces nostrę pro defunctis. Respōdet iste præstat superesse suffragia pro defunctis, quam iis deesse. Respōdeo Bellarmino, quum verę preces, & Deo gratę, ex fide certa non vagariatur, Ps. 116. v. 1. fides autem certa sit de eo quod agit: non autem vacillet, & dubitet: debent quoque preces nostrę esse certę, non incertę. Alioqui sunt peccatum, quia sine fide fiunt, & eum Animi dubitatione Roman. 14. versiculo 23. Prouerb. 28. versu nono & cap. *Quoniam* Extra de *Prescriptionibus*. Ex quo fit, vt quum preces pro defunctis nostrę sint vagę & incertę, sint Deo ingrata.

Sexta, quisque ex sua fide iustificatur,

non ex aliena: pro suo peccato punitur, non pro alieno, iuxta illud Ezechiel. 18. vers. 19. *Filius non portabit iniquitatem Patris*: ergo supernacanea & inutilia sunt defunctis, nostra pro iis suffragia. Respondet iste falso, nempe iuari à viuis nobis defunctos, si ipsi velint à nobis iuari. Pendet enim hoc ex defunctorum consensu. Falsæ solutionis falsam confirmationem affert ex Exod. 20. vers. 5. Nam locus iste nihil ad hanc de suffragiis viuorum pro defunctis quæstionem pertinet. Respondeo Bellarmino, vtrum vtilis & profutura sint viuorum pro defunctis preces, non pendet ex consensu, voluntate, & arbitratu defunctorum ipsorum, vel etiam viuorum: sed omnino pēdet ex Dei verbo, promissione, & præcepto. Sed quum Deus neque preces à viuis pro defunctis fundi sibi iubeat; neque se eas si fiant, exauditurum polliceatur, plane, prorsusque sunt superuacaneæ, & inutiles defunctis hominum hinc viuētium preces. Et quod negat Bellarminus, par esse alium pro alio punire, & alij pro alio benefacere, fallitur. Nam iustitia distributiua vetat, ne vel alius pro alio puniatur, (pœna enim persequitur suos autores, & criminis reos solùm) vel alius pro alio honoretur ac præmio afficiatur. Aristoteles lib. v. Ethicorum ad Nicomachum. Deinde tam expressè ait S. Scriptura, *Iustus ex sua fide viuit*, Habac. 2. versic. 4. quàm hoc, *filius non portabit iniquitatem Patris*. Denique cuique reddetur secundum suum, non autem alienum opus, 2. Corinth. 5. vers. 10. Ezech. 18. vers. 19. Et hæc quidem fundamenta omnia istius erroris euer-

euertunt, nempe viuorum in his terris suffragia prodesse mortuis ac defunctis: ac proinde Purgatorium omnino tollunt.

Ad Cap. XVI.

QUærit Bellarminus, Quot sint genera suffragiorum, quæ pro defunctis à viuis offerri possint. Respondet esse tria hæc, missam nimirum, orationem, & opera pœnalia, qualis est Eleemosyna, Ieiunium, Peregrinatio. Respondeo, Nugatur hoc, & duobus capitibus sequentibus Bellarminus. Nam quum nulla sint suffragia, quæ ex Dei verbo pro defunctis à viuis Deo debeant, vel possint offerri, frustra de speciebus istorum suffragiorum quaritur, & quibus defunctis illa profint, & vt profint. Nam non entis nullæ sunt qualitates. Deinde nullum ex tota Sacra Scriptura locum affert pro se Bellarminus, in hisce capitibus totis tribus: sed tãtu in Patres duos, & præterea Dæmones, qui in suis apparitionibus sub forma & specie defunctorum hominum reuelarunt id, & dixerunt, vt hominum idololatriam auerterent, Christi beneficium abolerent. Præterea iste sibi ipsi aduersatur, & suis, dum orationem separat à pœnalibus operibus. Nam à Sacerdotibus Confessionariis, Preces, & oratio indicitur pro pœna & satisfactione peccati. Nihil autem valet Bellarmini astutia & effugium, quòd oratio, quatenus est Impetratoria, separatur à Pœnali opere, & satisfactione peccati. Sic col. 1454. L. A. Nam omnis

oratio indicitur à cōfessionariis vti pœna peccati satisfactoria, quatenus est coram Deo, & à Deo impetratoria, non aliter. Nam alioqui foret inutilis oratio illa, si nihil à Deo impetraret. Quare aut tunc non esset indicenda oratio: aut etiam, quâ impetratoria est, pœnalis, & satisfactoria est pro peccato, contra istum. Denique præcipuum opus, & magis satisfactorium pro defunctis iste reiicit. Est autem rei ablatae restitutio: quum tamen Bellarminus negat iuuare in Purgatorio Latronem, aut furem defunctum. Contrâ verò Augustinus, *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* sicut etiam est in can. *Si res.* xliii. quæstione 6. Augustinus Epistola quinquagesima quarta ad Macedonium. Est enim furtum verissimum, rem alienam quam scias, per te, vel per tuum heredem retinere, & non restituere, & ex his apparet falsa Bellarmini sententia.

Ad Cap. xvii.

SVperuacanea est & hæc quæstio, Quis possit iuuare animas purgatorij. Nulli enim possunt, quum neque sit Purgatorium: neque Deus istis precibus quicquam in suo verbo polliceatur. Itaque nullo Sacrae Scripturae loco suam, suorumve sententiam iste confirmat. Præterea si vera esset istius sententia, omnes fideles iuarent. Animas Purgatorij, quia sunt omnes in Christo iusti, & iustificati. i. Corinth. sexto, versu vndecimo: vel nulli omnino eas iuarent, quia nulli sunt in sese iusti, Psal. decimo quarto, versic. tertio. Romanor. tertio, versic. decimo. Vtraque sententia ex istorum dogma-

dogmate falsa est. Nam pauci duntaxat Animas Purgatorij iuuant Christiani. Denique homines istos inter se varios esse, & discrepantes in hac questione breuissima, apparet. Paludanus enim contradicit Afoto, Afotus Paludano; ex eadem tamen vterque schola, tanta est discordia. & ambitio fratrum, & quidem in re nihili, & nulla.

Ad Cap. xviii.

Solis Animabus, quæ sunt in isto Purgatorio profunt, ait iste, suffragia Ecclesiæ, non beatis, non damnatis. At qui hic idem Bellarminus, & de Beatis, & de Damnatis dubitat. Nam per Ecclesiæ suffragia, & Beatorum gloriam augeri, & Pœnas Damnatorum mitigari in Inferno scribit: saltem, Vtrum id fiat, in dubium reuocat. Cur id verò: Duplici de causa. Vna, Vt ingenium ostendet suum, ac venditet, qui possit de re quavis etiam certissima, velut quæstione quapiam Quodlibetaria, in vtramque partem disputare. Altera causa est, Vt ostendat Nullum esse fidei Christianæ dogma inter Sententiarios tam certum, quod fixum, ratum, ac firmum sit. Ergo sunt isti ex eorum numero, de quibus secunda Timothei tertio, versiculo septimo scribit Paulus, semper discentes, & quærentes, sed nunquam ad cognitionem veritatis peruenientes. Verùm stata, & rata est Dei de hominibus ex hac vita migrantibus sententia, quæ eos vel cælo, vel Inferno addicit. Nec suffragiis vllis illa mutari, vel immutari potest. Vbi enim ceciderit arbor, ibi manet.

bit, Ecclef. II. ver. 3. *Qualem, & Vbi te intenero,*
ait Dominus, *talem, & ibi te iudicabo,* Ezech. 18.
ver. 20. 21. 22. can. *Novit Deus,* & can. *Si auerterit.*
De *Pœnitentia*, Dist. 4. Quare tota istorum homi-
num Theologia est quæsitiva, & dubitativa, non
autem certa, & resolutiva. Sed quid istis laqueis
conscientias hominum perturbare fuit opus?

De Purgatorij Animabus, *Quæ, & Quibus* suf-
fragiis viventium iuuetur, grauis inter istos quæ-
stio est, incerta, difficilis, perplexa, dubia, & eorum
Synodo aliqua dignissima, *Vtrum omnes nimi-
rum Animæ, quæ sunt in Purgatorio, Ecclesiæ suf-
fragiis subleuentur, quodcumque illud sit, siue
commune suffragium, siue particulare, an aliqua,
& eæ tantum, quæ id meruerunt. Quænam sunt il-
læ quæ id meruerunt. Vtrum sola suffragiorum
acceptatio facta in Purgatorio ab aliqua Anima
pro se, efficiat preces pro alia Anima factas ipsi
acceptanti utiles. Vtrum communia pro omni-
bus Purgatorij Animabus, Ecclesiæ suffragia æ-
qualiter omnibus, & singulis profunt: an aliis plus,
aliis minus: Quibus plus, quibus minus, & Cur. V-
trum peculiaria pro vno tantum aliquo facta suf-
fragia solum illi vni profint, an etiam aliis. Si aliis
quoque, quæritur, Vtrum illius tantum cognatis,
an etiam extraneis. Si cognatis, Vtrum æqualiter
omnibus, & simul: an verò primùm Propinquo-
ribus, veluti Parentibus, & fratribus germanis:
postea verò iis, qui sunt cognati quidem, sed re-
motiore gradu. Si extraneis etiam profunt, quæ-
ritur, Quibus. Si non est amplius in Purgatorio
illa Anima pro qua oratur, Cui illa oratio prode-
rit?*

rit? An sit inutilis omnino. Si Vtilis, cui potissimum, & Cur. Si est Vtilis talis oratio, Vtrum Vni tantum alij Animæ, an pluribus. Deus bone, quale pelagus, quale barathrum quæstionum, quàm immensum, Quis Bellarminus, quis Dæmon, quod pectoris Pontificij scrinium hanc tantam quæstionum seriem, & voraginem explicabit? Nos igitur istas curiosis Sententiariorum animis cruces figamus, pruritus, & aculeos relinquamus, vt sese vexent.

Ad Cap. XIX.

Quid de Corporum sepultura, & quàm piè sentiamus, & ex Dei verbo, satis testantur nostra omnium scripta, mores nostri, & quæ à nobis in illorum corporum funeribus deducendis honestas, & reuerentia seruetur. Blasphemias ordinis in Deum, quasi sit sepultura, & opus istud Meritorium apud Deum: Cantum Sacerdotum, quasi Animis defunctorum ad peccatorum expiationem prodesset: Cereimonias supersticiosas de Cereis in media luce ad deferendos defunctos accensis: de Campanis tonantibus: de tintinabulis sonantibus, & corpus præcedentibus: Avaritiam Sacerdotum, & Monachorum, qui ad illa funera, sicut corui ad cadauera, statim propter quæstum aduolant, & concurrunt: Pompas denique inutiles, & ambitionis plenas sustulimus: quæ cum à tota viri Christiani vita abesse debent: tum imprimis ab eius morte, in qua nostræ, & humane miserie, & infirmitatis vestigia certissima extant. Ille nos accusat, quòd sancto funerandi officio:

sanctè , & ex Dei verbo , sine superstitione : sine ambitione fungimur , & utimur. Ipse & blasphemias in Deum , & superstitionas ceremonias , & Auaritiæ , & Ambitionis plenas pompas retineri iubet.

Rationes audiamus. Sicut enim in Animis piorum ad Purgatorium detrudendis , fuit impius : sic in eorum corporibus sepeliēdis est in Deum planè blasphemus.

Prima istius ratio est res bona , ergo damnandus est Calvinus , qui blasphemias , superstitiones , auaritiā , & ambitionem , sepulturis Christianorum additam damnat , & tollit. Respondeo. Aliud est damnare sepulturam piorum : aliud vitia illi ab hominibus auaris , superstitionis , & ambitionis adiuncta. Probat , laudat , commendat honestam sepulturam Calvinus : Vitia tantum Sacerdotum , ac Monachorum Pontificiorum reprehendit. Qui artificis vitia damnat , non damnat artem. Est enim aliud ars , aliud vitium artificis.

Secunda ratio Bellarmini, Ritus omnes ; quos Monachi , & Sacerdotes propter superstitionem , (cuius sunt summi patrones) & Auaritiā : (nam illis bonus est odor lucri ex re qualibet , non ex Lotio tantum , sed ex cadaveribus) præcipiunt obseruari in sepeliendis Christianis ; sunt antiqui , & sancti : ergo sunt retinendi. Respondeo , Non sunt sancti , quia magnam partem ab Ethnicis hominibus & superstitionibus sunt in Dei Ecclesiam transf-

translati, velut Cerei, Pompæ, Tituli, februa anniuersaria: & in Deum ipsum blasphema: ergo non sancti. Non sunt antiqui, quia posterioribus temporibus magna rituum istorum pars reperta fuit, quæ non erat Apostolorum temporibus in sepeliendis Christianis, velut Cerei, Cantus Missæ.

Deinde non quicquid est antiquum, pium est, quoniam est antiquum. Nam & Homicidium, & Idololatria est antiquissima: neque tamen ista sunt pia, vel sancta, vel honesta. Ergo est Peccatio Principij, & mendacium tota hæc ratio Bellarmini.

Tertia ratio Bellarmini, apparet ex istorum rituum, quos Calvinus damnat, enumeratione, eos esse, & sanctos, & antiquos. Respondeo, falsum est. Nam qui ritus sunt honesti, & sancti in sepulturis, eos & retinuit, & retinendos docuit Calvinus. Sed qui sunt blasphemi, superstitiosi, auaritiæ, & ambitionis fomēta, eos duntaxat vir ille pius resecurit, & abscidit à tam sancto piorum officio, quod viuos mortuis præstare oportet.

At vero Pontificij Sacerdotes corui & Auari hanc sibi opimam prædam statuunt, Nimirum ex cadaueribus & funeribus piorum. Et quum cæteri sint propterea in luctu & mœrore, soli ipsi lætatur & cantillant. Nec maiora illis quàm ex cadaueribus, funeribus istis anniuersariis spolia. Imo, tam sunt isti vacordes vt ex loco ipso, vbi cadauer se-

pelitur, ad sepulti Animam magnum quoddam beneficium sentiant prouenire, quo ipsius peccata, & peccatorum pœnæ leniantur, condonentur, deleantur. Longe enim feliciores esse Animas uolunt, quarum corpora in ecclesia, Id est, intra Basilicæ & Templi alicuius septa, & sub eius pavimento conduntur: quàm quæ in communi aliorum cœmeterio. Quod refutatur ex capit. *Sacris*. Extra de *Sepulturis*, Augustino libro primo, capite duodecimo. de *Ciuitate Dei*. Libro de *Cura pro Mortuis* capite secundo. cano. *Animæ defunctorum* XIII. quæst. II. Inde tot quæstiones inter eos exortæ, vanæ tamen, Qui in ecclesia sepeliri debeant, aut possint. Qui in ea ipsa ecclesia prope altare possint. Qui in Cœmeterio solum. Qui extra Cœmeterium. Quorum funera sine cætu Sacerdotum deferri debeant. Quot Cerei adhibendi, & reliqua eiusmodi inania, & plane superstitiosa, quæ tractat Durandus lib. 1. *Enchiridij* capite quinto. Num. 11. 12. 13. 14. 15. quasi fidei Christianæ arcana. Sed ista omnia sunt vanitas vanitatum.

Corpora mortuorum ex more Regionis lauantur, vel non lauantur. Ethnici ea quoque lauant, ut sordes abluerent. Galli Christiani non lauant.

Honestus comitatus in deferendo caduere laudandus est, & à nobis adhibetur. In Templis sepelire corpora fidelium natum est ex superstitione ea, qua crediderunt Animas ibi defunctorum sepulcorum hominum Deo magis commendari à Martyre, cui templum illud est dicatum.

dicarum. Itaque tollendum est. Deferre corpora
piorum cum cantu & lætitia, fuit mos barbarus
Thracū: si cantus & Psalmi prodesse mortuo cen-
sentur, blasphema est superstitio. Nihil ex ista pō-
pa defunctorum Animæ iuuantur, ait Augustinus
lib. de Cura pro mortuis, cap. 2. Itaque & hoc e-
liminandum est procul.

Ex eadē superstitione profectū est, Quōd Lā-
pades, & Cerei in mortuorū funeribus adhiben-
tur. Itaq. explodēdū est ex funerib. Christianorū.

Sacrificium pro expiatione peccatorum eo-
rum qui mortui sunt, offerre, Nempe Mis-
sam, est impium. Solus enim Christi sanguis
ca delet, & ante ipsorum mortem deleuit; Rom.
1. vers. 6. 7. 8. Ps. 64. 65. vers. 4.

Septimo à sepultura die, octauo, 30. & Annuer-
sario repetitum illud pro mortuis Sacrificium, est
eiusdem blasphemiae in Christum repetitio, &
accumulatio detestabilis.

Tituli, qui eriguntur, ex mera iam ambitione
sunt. Nam etsi Racheli in terra tunc peregrina e-
rexit titulum Iacobus; Genes. 37. id fecit, vt suam
erga uxorem singularem beneuolentiam testaretur:
& suam de hac terra à suo semine postea pos-
sidenda fidem: non vt exemplum omnibus daret.

Eleemosynæ pauperibus semper quidem fieri
debent: sed in Mortuorum funeribus cur potius
siant, quam alio tempore, nulla ratio est. Imò, si
mens istorū spectetur, his eleemosynis abutuntur
in Christi dedecus. Nam iis tribuunt ex parte pec-
catorum illius, qui ex hac vita decessit, remissio-
nem ac redemptionem. Quātum autem his elec-

mosynis tribuunt, tantum Dei gratia Christi beneficio & sanguini detrahunt.

Porro inane est, quod iste nobis hunc librum Augustini de Cura pro Mortuis transcribit. Quis enim ignorat quæ illic scripsit Augustinus? sed chartas implere voluit, vt nobis & lectoribus laborem adderet: sibi verò maius pretium à typographis corraderet. Tertia & quarta vtilitas, quas defunctis tribuit Bellarminus ex sepultura, falsa est, vt i supra cap. 15. ostendimus: sed crambe repetita mors est.

Respondet Bellarminus ineptè & falso ad nostrorum argumenta. Argumentum vnum est ex Eccles. 9. vers. 5. *Mortui nesciunt quid hic agatur.* Respondet Bellarminus, Dictum hoc intelligi de corpore defuncti, qui nihil sentit, si leceatur, aut ctemetur. Respondeo Bellarmino. Inò sententia loci illius de Animo, non de corpore defuncti manifestè agit. Ait enim *Mortui nihil amplius sentiunt.* non autem ait: *nihil amplius sentiunt.* Scientia verò, & cognitio ad Animum hominis pertinet: Mortui non sentiunt: tamen hoc referretur, ad animum: quoniam in nobis propriè Animus, seu sensus communis sentit: non autem corpus, aut organa corporea sensus. Quare est Bellarminus ineptus Physicus.

Alterum nostrorum argumentum est ex Decretali Innocentij III. cap. *sacris.* ext. De *Sepul- turis.* Respondet Bellarminus agi illic de vtilitate ad salutem æternam, quam vllam negat ex sepultura, & iis, quæ in ea fiunt, ad animas peruenire. Respon-

Respondeo Bellarmino duo, Primum sumptam esse illam Innocentij I II. sententiam ex Augustini libro de Cura pro Mortuis cap. 2. & repetitur eadem sententia in can. *Anima defunctorum* 13. qu. 2. At verò Augustinus non de salute Animæ, sed corporis defuncti commodis agit. Itidem & Innocentius, Addit enim, *Vt iustis sepultura nulla vel vilis non obest: sic impijs celebris & speciosa non prodest.* Itaque glossator ipsius istius capituli *Sacris* in summa capitis docet agi de ossibus defuncti: ac proinde de illius corpore, non animo. Secundum respondeo, Bellarminum sese & superiora sua omnia refutare, si neque corporis sepultura, neque ea, quæ sunt in ea, profunt Animabus defunctorum ad salutem æternam, & peccatorum remissionem. Sed excipit iste, Ea tantum prodesse illis per accidens. Excipio ego, ergo illa omnino prætermittenda sunt, quæ & sumptus magnos afferunt (velut sepeliri in Templo, habere tot coruos Sacerdotes in Silicernio & conuiuio, tot Monachos, tot cercos, quæ omnia magno sumptu consistunt) & per se, teste hinc Bellarmino, Animabus defunctorum non profunt.

Idem respondeo ad solutionem Bellarmini ad tertium nostrum argumentum. Nam de corporibus & eorum commodis aut incommodis agit Augustinus, non de salute æterna. Et si hæc Animæ non profunt per se, sunt prætermittenda, quia quæ per accidens profunt, incerta sunt, & sæpe non profunt. *Multa enim cadunt inter calicem, ait ille, supremæque labra, quæ istâ accidentariâ utilitatem, & subleuationem Animæ impediunt, ac*

remorantur. Sed quis vnquam istam salutis æternæ, & illius causæ accidentariæ & essentialis distinctionem vel fando audiuit?

Ad locum Matth. 25. quod ibi sepulturæ Christus non meminit, neque sepeliendorum mortuorum, nihil responderet. Primum variè, & ambiguè, suo more. Deinde nihil. Ergo manet verum, etli essent opera aliqua nostra meritoria, tamen sepelire mortuos non esse opus meritorium, contra quàm isti docent, quoniam interea non recensetur.

Quartum nostrum argumentum est ex Concilio celeberrimi (quod vicinum Niceno primo fuit) cap. 34. vbi Cerei de die in cœmeteriis accendi vetantur. Respondet Bellarminus hoc à Concilio prohiberi, quatenus fit ex more, & imitatione Gentiliam, non si ex alia causâ fiat. Item quia inde credant homines corpora post mortem aliquid sentire. Respondeo, Quemcunque ad finem spectet ista cereorum accensio in funere & fiat, fit ex imitatione Gentilium, vt apparet ex Herodiani historia, Virgilij lib. 6. Æneidos, Isidori lib. xi. Etymolog. *Funus*, ait, dictum est à funibus, quos ante feretrum papyris cera circumdati accensos ferabant, & Iusti Lipsij libro Electorum. Ergo repudianda est, vtpote idololatriæ seges. Sic enim præcipit Tertullianus, vti libro de *Idololatria*, vt quicquid ab Idololatria promanauit, fugiant Christiani. Deinde respondeo, falsum esse, ideo prohibitos fuisse cereos in funeribus à Concilio, ne homines existimarent sensum in mortuo corpore manere. Hoc enim nemo vnquam, nisi Bellarminus iste, sensit

sensit aut scripsit. Denique Concilium disertè loquitur de Spiritibus hominum, non corporibus quos inquietari istis superstitionibus ait, non iuari, vt iste sensit.

Quintum argumentum nostrum est, diffidit de defuncti salute, qui toties pro eo orat. Respondet iste, Paulus sapius pro se orauit, 2. Cor. 12. Respõdeo isti, Hoc respondere esse tergiuersari. Nam de mortuorum & pro mortuis precibus agimus: iste nobis viuorum preces pro se, & pro viuis regerit, vt preces commēdet pro mortuis, perinde atque si de lente interrogatus, de squilla respondeat. Aut sanus esto, Bellarmine, aut taceto. Nam sic agere, quemadmodum agis, est nugari, & obuagulari.


Sextum argumentum nostrum non soluit. Est ex Ambrosij libro primo cap. 9. de Abraham. Iubet Ambrosius nos contentos esse officio funerandi mortuos, sicut fuit Abrahamus eo contentus. Respondet iste Ambrosium duntaxat de fletu coercendo, & moderando præcipere. Respondeo isti. Imò Ambrosius, vult nos in eo imitari Abrahamum, qui tumultata vxore Sara, & humo demandata, nihil amplius egit, non Missas, non Sacrificia, non Ieiunia, non eleemosynas obtulit pro ea. Sed nec Saram cum Cereis, cum lampadibus, cum cantu, cum monachis comitantibus sepeluit: verum honestè cum toto familiae comitatu: Sicut & Christiani temporibus Apostolorum, Stephanum protomartyrem sepelierunt, sine Cereis, Tintinabulis, Cantu, Missis, Monachis. Sic igitur & nos veri Christiani, Abrahamum patrem

1254 RESP. DANÆI AD VI. CONTRO.
fidelium, & Christi Apostolos imitantes, nostros
defunctos sine istis funeremus, & humemus. Et
hæc quidem contra Pontificium Purgatorium,
quæ est mera Animarum piarum laniena, fornax,
caldaria falsa, ficta, commentitia, ad sacerdotum
auaritiam tota comparata. Laus Deo Patri, Filio,
& Spiritui sancto in æternum. Amen. Amen. Do-
mine Deus istos Pontificios errores omnes eucl-
le, vt tibi, tuoque Christo constet sua gloria.

Absolui anno Domini clo. d. xcv. die 15.
mensis Aprilis. Casserone. Ego Lambertus Da-
næus scripsi ipse, anno ætatis 62. ineunte.

AD RO-




AD ROBERTI
BELLARMINI
SEPTIMAM CON-
TRROVERSIAM,
QVÆ EST DE ECCLESIA
TRIVMPHANTE:

Responſio.

Ad præſationem.



NULLVS est in omnibus istis con-
 trouerſiis & Diſputationibus,
 (quas aduerſus nos Orthodoxos
 & Euangelicos tractat hic hære-
 ticus Bellarminus) nullus, inquã,
 est plauſibilior ad nos calumniãdos locus, quã
 hic de ueneratione Sanctorum. Itaque in eo se
 totũ mouet, debacchatur in nos, iactat, in nobis
 falſo criminãdis ſeſe Bellarminus oblectat, mul-
 ta contra nos ſingit, amplificat, deprauat noſtra
 dicta, & modò ſuo iudicio vincat, eſt illi ſatis.
 Nam ex eorum numero eſt, de quibus ſcribit Ber-
 nardus, *Probatum illi quidpiam eſt, mori magis eli-
 git, quã conuerti*, in Cantic. Serm. 66. & in eum
 competit, quod idem ait in Præſatione in Pl.
*Qui habitat, Imitator eſt inimici, quicumque de Scri-
 pturis Sanctis aliquid non ſanctè uſurpat. Detinet e-*

nim veritatem Dei in mendacio.

Ergo nos in hominum odium statim, & ab initio istius disputationis rapere conatur Bellarminus, quasi sanctos defunctos minus honoramus, quam & Deus eos honorari præcipiat, & ipsimet velint. Fallitur, nosque manifeste calumniatur. Ac quidem Deus Pl. 112. vers. 6. iubet *Memoria perpetua sit iusti*: Prouerb. 10. vers. 7. *Memoria iusti erit, ait, benedicta.* Sic & in ore iusto & perpetuo, sempérque habemus: & eorum memoriam reuerenter colimus & seruamus. Ipsimet sua scripta, quæ Dei verbum sunt, aut Dei verbo consentanea, legi & à nobis euolui iubet, Philip. 3. vers. 1. 2. Petr. 3. vers. 1. Colos. 4. vers. 16. 2. Petr. 1. vers. 19. Suas virtutes, quatenus ipsimet Christum imitantur, nobis exemplar sanctæ vitæ esse volunt, 1. Corinth. 11. vers. 1. 2. Thess. 3. vers. 7. Sic nos quoque eos, & imitari, & vitæ sanctitatem exprimere conamur. Verùm adorari se, inuocari post mortem, cultum sibi institui disertè verant. Act. 14. ver. 13. etiam Angeli ipsi beati Apocal. 19. vers. 10. 22. vers. 8.

Vnde Arnobius li. 3. Cōtra Gentes, Intelligūt, inquit, se honorari cōmuniter cū suo rege, atq; in illius venerationibus se contineri. Bernardus in Sermone de Triplici genere Bonorum ait, nos sanctis defunctis debere tantum imitationem: Augustinus in libro de Vera Religione cap. 55. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia, si piè vixerint, non quærunt tales honores. Alexander Alensis scripsit Quæst. 92. Solū Deum adorandum & inuocandum: Sanctos autē magis

magis se habere & tenere ex parte orantium, quam ex parte eius, qui oratur. Bonaventura in lib. 3. Sententiar. ait, cauendum est, ne dum Marię matris excellentia ampliatur, Filij gloria minuat.

Ergo non spernimus Sanctos viros, qui in fide Christi defuncti sunt, quemadmodum Caiani, & Eunomiani fecerunt, vt iste fingit nos ealumnians. Non negamus sanctos, qui in Christo mortui sunt, cum Christo esse, sicut Colonienfes Sententiarij obiiciunt. Non negamus denique Sanctos, qui in cęlo sunt, vnus nobiscum Ecclesię membra esse, quemadmodum Vicelinus putat. Sed eos non inuocamus: verum eorum sanctos mores probamus, & imitamur.

Mire verò impudens est homo iste, qui manifestissimam suam, & suorum in Sanctis innocendis, & eorum tum Reliquiis, tum imaginibus colendis idololatriam negare audeat, aut Dei cultum appellet. Qui persecutiones ab Antichristo Romano, & illius asseclis in nos has blasphemias exosos excitatas pias nominet, & persuadere velit. Res ipsa clamat, Turcę ipsi & Iudæi testantur nihil esse Christianorum istorũ idololatria tristius, aut scedius & manifestius. Et vt hanc ecclesię Christianę pestiferam labem tueri velit Bellarminus, collaudare, commendare: non autem eam abstergere ab Ecclesia, detestari, tollere, & damnare studeat?

Cõqueritur de M. Luthero Bellarminus quasi durius aliquid de Papistis, & eorum sententia scripserit, quàm in ea sit, dum eos & Mariam

Christo ipsi exæquat, & Sanctorum reliquias pro Deo ab iisdem coli scribit Lutherus. Audiat verò suos ipsemet Bellarminus, vt desinat conqueri. Verum enim esse intelliget, quod de Papistis dixit Lutherus. Biel in canonem Missæ tradit Deum Patrem, quum habeat iustitiam, & Misericordiam, iustitiâ sibi retentâ, dedisse Mariæ misericordiam exercendam. Idem Bernardinus scribit in suo mirabili. Nam ait à foro iustitiæ Dei appellandum esse ad forum misericordiæ matris. Antoninus Archiepiscopus, Florentinus parte 4. Tit. 15. ait necesse esse, vt iis pro quibus aduocans est Maria, seruentur & iustificentur. Prosa in eorum Templis de Maria hæc cantatur *Roga Patrem, Iube natum, Iure matris impera.* Quo quid horribilius? Imò ipsemet Bellar. in hac Præfatione B. Mariam vocat cœli Reginam, ne alium testem quæramus pro Luthero. De Reliquiarum cultu, vide Durandum lib. 7. enchiridij cap. 1. v. 2. 3. 6. Quare nihil affingit Lutherus Papistis: sed quod res est, & ipsi dicunt, verè recitat, & refert.

Nec immeritò Philippus, aut viri Polyhistores, Centuriatores Magdeburgenses grauissime de hac Ecclesiæ labe, lue, & corruptela, manifestâque idololatria conqueruntur: quum propter eam & Iudæi maximè Christianam ecclesiam oderint: & Saraceni seu Mahumetani primum ab ea discesserint, quemadmodum & nostrâ, & illorum historiæ testantur.

Calvinus autem adhuc iustiùs in istos idololatrias, id est, Pontificios inuehitur, quòd quum tam solidè vbiq; in suis opusculis, & commentariis

tariis hunc errorem confutavit, pontificij tamen iam non ignoranter, sed malioſe in eo perſeueret, ac eum in dies augeant.

Quod autem negat Bellarminus ſe, & ſuos ſacrificia Sanctis defunctis facere, confutatur ab ipſa rerum experientia, quum res ipſa id doceat, & quum iſti ſanctis ſuis Tempora, Cultum, Altaria, & officium cuique ſuum (& cultum eum in ipſos ſanctos terminari dicat iſte) dedicent, conſecrent, erigant, inſtituant.

Postquam noſtrorum in ſuos, & de ſuis mendacia coarguere non potuit, defugit ad aliud commentum. Obiicit enim nobis conuitia, quæ & in Sanctos, ut ipſe ait, beatos à nobis fieri vult: & in ipſos pontificios, ut nos illis exoſos reddat. Verum præuaricatur iſte. Quis enim maiora conuitia unquam euomuit, quam iſte in nos? Et qui nos norunt, vident, & ſciunt, Nos nequaquam conuitiari didiciſſe, ſed argumentari, & pati graues iſtorum iniurias in nos propter Dei gloriam, quam tuemur, factas.

Profert Deſiderium Eraſmum, qui in colloquijs *Naufragium, & Peregrinatio religioſa*, Pontificiæ iſtius ſuperſtitionis mala attingit, & impietates recēſet. Quid verò falſum in eo ſenſit, aut ſcripſit D. Eraſmus? De cælo nihil. Nam cælum inter ſanctos diuiferunt iſti, & totius huius Mundi gubernationem ipſi Deo ademerunt. Alius pluuiæ, alius ſerenitati præſt: alius bellis, alius paci: alius morbis, alius ſanitati: alius brutis pecudibus, alius hominibus: Alius mari, alius terræ & aridæ præſidet: Ergo verum dixit Eraſmus. De Maria nihil falſum.

Nam isti ademptam Domino nostro Iesu Christo potestatem & dignitatem Aduocati in Mariam matrem transtulerunt, quam ianuam cœli, thesaurariam, omnium desolatorum aduocatam, hominum apud Deum mediatricem impie cantillans, stellam maris, spem egenorum, clauigeram cœli prædicant ac faciunt. Quæ maiores in eam blasphemie congeri possunt? Quis istos apud Deum magis est accusaturus blasphemie, & idololatrie, quàm B. Maria, uti Iudæis de Mose exprobrabat Christus? Ait enim, Nō ego vos accusaturus sum apud Patrem, sed Moses, in quem speratis, Iohan. 5. ver. 41. 42. 43.

Quod contra Lutheri de causa sanctificationis & Iustificationis differētis sententiam de bacchatur iste, ineptum est, & ἀποστροφικόν. Dixit Lutherus eandē esse Iustificationis, & Sanctificationis Mariæ causam, quæ & cæterorum piorum, Nempe solam Dei per fidem in Christum gratiā. Recte. Nam & gratis à Deo acceptatam eam fuisse testatur Gabriel Angelus, qui eam salutauit. Ait enim *χαίρει χαριτωμένη*, Luc. 1. ver. 28. *Ane gratis dilecta.* & ver. 30. *εὐφραίνεται χάριτι ἐν τῷ σπείρι σου.* *Es in gratia apud Deum.* Quid igitur hac Lutheri sententia verius? Ipsamet Maria Deum esse suum seruatorem agnoscit. ver. 47. non se, non sua opera, ut isti. At contra obijcit Bellarminus nobis Chrysostomi & Anselmi dictum vnum, item Bernardi, qui plura, & maiora B. Mariæ tribuunt. Respondet. Verior est Angeli Dei, & ipsius B. Mariæ de se confessio, quàm istorum trium. Fuit enim Gabriel Angelus verax, fuit & Maria. At tres hi solita-

solitarij & palliduli Monachi fuerunt homūcio-
nes rhetoricantes, & suis affectibus indulgentes.
Sed sicut qui plus etiam Christo ipsi tribuit, quā
ipse Christus velit, in eum blasphemus est, inquit
Cassianus: sic qui plus honoret Mariam, quā i-
psa coli vult, eam dedecorat, non honorat.

Anachoretas, & putidulos alios aliquot Mona-
chos & eos etiā superstitiosos nobis producit Bel-
larminus, quos nostris Doctōrib. orthodoxis &
sanctis viris præfert. Erat grauitur Monachus i-
ste, & hic habet locum, *Mutuo muli scabunt.* Fri-
cat enim, & aspergit laudes istius salis Monachus
Monachos, vt se illis vel impie commendat.

Porro quid Magdeburgenses Centuriatores,
quid Caluinus peccat, si, quum est necesse, nāuos
hominum piorum commemorant, ne illi vel Dij
fuisse, vel Christo mediatore non eguisse existi-
mentur? Id quod de illis impie Pontificij scribūt,
& sentiunt. Nam & S. Scriptura, & Abrahami
Gen. 12. Isaaci cap. 26. Iacobi cap. 29. Moysis, Aa-
ronis, Dauidis, Petri, & Pauli nāuos & peccata
refert, vt eos homines, & verē homines fuisse in-
telligamus in Dei ipsius gloriam, & Christi lau-
dem. Ergo quum hoc nostrum studium damnat
Bellarminus, ipsam sacram scripturam damnet
necesse est, quum eodem collimemus.

Sed & hæc, quæ de Abrahamo, Sara, Rebecca, Ia-
cobo, Sephora, Moſe, citat ex Dei verbo. Calui-
nus, quis nō videt eorum esse peccata, quæ dam-
nat in illis ipsemet Dei Spiritus sanctus? Ergo aut
brutum te hominem esse oportet, qui hæc defen-
das: aut a Deo qui peccata graua virtutes esse

dicas, & velis. Reliqua, quæ Bellarminus in Sanctos Noui Testamenti contorta conuitia dicit à Caluino, sunt ab hoc ficta, commēticia. Nec enim carnifices, aut laruas eos Caluinus appellat: sed homines deceptos istâ sanctitatis & pietatis falsa specie, velut larua, ab astutis & auaris hominibus, pontificiis, Monachis & episcopis (qui magnum ex isto errore quæstum faciunt) fascinos conueritur pium illud Iohannis Caluini pectus. Nā modo pius est, & salutis fratrum, Christi gloria est amans. Ergo honorem, qui debetur sanctis ex Dei præcepto, & ipsorum sanctorum voto, sanctis ex defunctis deferentes, idololatriam, blasphemiam in Deum, superstitionem maximam, (quæ ipsorum colendorum prætextu à Bellarmino hic defenditur, & augetur) ab eorum oculis, auribus, sepulcris, & reliquiis seu ossibus procul arceamus, remoueamus, abigamus, & impediamus, quantum possumus. Sic enim Deo sua laus asseretur.

Ad Cap. 1.

QUod scribit ille de eorum errore (si qui tamen tales vnquam fuerint Christianum fide defunctorum Animas negant post hanc vitam esse felices, beatas, in paradiso, in sinu Abrahamæ, & cum Christo, hoc nihil ad nos attinet, neque vel longâ manu nos ferit. Quamuis enim & Luthe-

Lutherum, & Calvinum obtorto collo, & iniuros eò pertrahere, satagat & conetur Bellarminus, frustra laborat. Legatur locus Caluini ab hoc ipso citatus, ex eo ipso tota hæc calumnia refutabitur apertissime. Ostendit enim Calvinus tollendam esse in his questionibus ac coercendam curiositatem (Id quod Bernardi exemplum Serm. 3. de omnibus Sanctis docet) non autem dubitandum, aut negandam esse piam, Animarum beatitudinem. Quod ad M. Lutherum, extant eius scripta luculenta, ex quibus tam multis ne apicem quidem vnum ipse, aut litterulam protulit: tantum ex impudentissimi & mendacissimi Apostata, & hostis Luthero infestissimi Staphyli ementia quadam consarcinatione fueum facit, qui ait, Lutherum hoc dixisse, sed non scripsisse: legantur Lutheri commentaria in Genesim, quæ citat iste: ex illis ipsis planè impostor vterque & Staphylus, & Bellarminus apparebit. Sunt igitur istæ meræ in Lutherum, & Calvinum calumnia.

Sed & in Tertullianum quoque, quem vel intuitum pertrahit in eam, quam hic damnare vult, sententiam. Distinguit enim Tertullianus inter statum Animarum, qualis nunc est, & qualis post extremum iudicium futurus est: ac proinde locum illis alium nunc constituit: alium post resurrectionem. Verum iste, ut se magnum Herculem ostentaret, varia monstra fingit, quæ debellat. Illa tamen nulla sunt: & furfuræus est Hercules iste.

Porro neque rationibus & argumentis his egemus, quæ profert Bellarminus: neque illius ad

hæc argumenta solutiones curamus. Nihil enim istorum, qui pias Animas cum Christo in Paradiso felices esse negant, sententia ad nos pertinet, aut nos attingit. Sed vt iste magnus quidam Palaphatus videatur, & argumenta pro hæreticis istis comminiscitur: & ad ea à se conficta respondet, velut Echo vox, aut Presbyter Martinus qui & se interrogat, & sibi respondet. In quem autem finem hæc ille disputet, non explicat. Verum ex eo sibi concessio vult effici: ergo sanctos mortuos esse vocandos, id quod nullam consecutionem habet, & inf. ca. 5. col. 1490. lib. sese detegit, ac explicabit.

Dicta Patrū, quæ allegat iste, eò tantū spectant omnia, vt doceant Animas piorū hominum ante resurrectionem nondum consecutas esse plenam suam in cælo felicitatem, etsi tamen iam felices sunt & beatæ. Denique si Bellarmino credimus vti Cratino Poetæ, & Crispino cuidam mendacii, omnes Patres in hoc fidei Pontificiæ dogmate errarunt, qui, vt iste mentitur, negant felices esse pias Animas post hanc vitam. Soli verò Bellarmini, velut Tiresiæ vatis Anima sapit, & ipse supra Patres omnes, quos alibi tanti facit, recte iudicat: adeo vt etiam si id sensissent Lutherus & Calumnus de piis Animabus, quod iste cauillatur, tamen ex Patrum sententia, quos etiam hic citat Bellarminus, sic scripserunt.

Ad Cap. II.

STatum quæstionis confundit Bellarminus, qui si recte intelligatur, aut totam istius disputat-

putationem sequentem efficit inutilem: aut hæreticam. Duplex igitur in hoc argumento de statu piarum Animarum post hanc vitam quæstio fieri potest. Nam aut quæritur, utrùm illæ sint & in Paradiso seu cælo, & cum Christo, & felices. Hoc si probare satagit isto, & quinque sequentibus capitibus, oleum & operam perdit, & frustra hunc laborem suscipit. Nam eas post hanc vitam & in cælo esse, & felices, & Deum videre: & cum Christo, respondemus: Luc. 16. vers. 22. 23. ver. 43. Apocal. 14. ver. 13. Philipp. 1. vers. 23. Nam sinus Abrahamæ est sedes quietis ab his terris remota, Dei visio, seu secretum Patris, quod post passionem resurgens assumptus est Christus, id est, cælum ipsum Act. 1. vers. 11. Ephes. 4. vers. 10. Hebr. 7. vers. 26. Augustinus lib. 4. de Anima cap. 16. lib. 8. de Genesi ad Literam cap. 5. lib. 2. Evangelicar. Questionum cap. 38. 1. Timoth. 3. vers. 16. Theophylactus in Lucam cap. 26. Sic igitur inaniter iste chartas commaculat, & perdit ex mera animi ostentatione.

Secundo loco de Piarum Animarum post hæc vitam statu quæritur, Utrùm illæ piæ Animæ in cælo ipso tam sint iam felices, & beatæ, quàm erunt post ultimam resurrectionem. Hoc nos negamus ex Apoca. 6. ver. 9. 10. 11. 1. Ioh. 3. vers. 2. Quam Christus apparuerit, similes ei tū demum erimus. Quod si tam felices eas iam esse vult Bellarminus, quàm tūc erunt, procul dubio est hæreticus. Hoc autem manifestè & sine circūtionem sentit & scribit Infrà cap. 6. col. 1494. L. A. & B. Nam neque beati sunt adhuc tã beati, quàm

tunc erunt: neque damnati iam tam sunt miseris
quàm tunc erunt. Quod docet Christus Math. 25.
vers. 34. & 41. Ergo si contrariam Christo & no-
bis sententiam confirmare studet, procul dubio
est impudens ac sacrilegus iste.

Denique quas hinc suæ sententiæ corroboran-
dæ gratiâ authoritates affert Bellarminus, omnes
sunt ineptæ, & falsæ, & fallacia A non causa. Nec
enim hominum autoritas, sed solum Dei verbum
scriptum hoc deffinire potest. Nam Innocentij
III. rescripta, Iohannis xxii, Benedicti xii, Flo-
rentinum, & Tridentinum concilia nõ plus hoc,
quod nunc iste vult, confirmant, quàm Neco-
mantia Homeri poëtæ. Ergo facessant omnes i-
stæ Bellarmini phaleræ: ad Dei verbum, & ad le-
gem Is. 8. recurrat.

Cæterùm de Iohanne xxii, Papa Romano, &
eius impia, in qua moriens perstitit, sententia di-
ximus lib. 4. de Pontifice Romano cap. 15. Verùm
Villanum quendam stolidum hominem, & ine-
ptum historicum, qui nihil præter auditum de
Iohanne isto habuerit, ab ea disputatione reppet-
it in suis ordinibus delitescentem Bellarminus,
cui nos potius fidem habere iubet, quàm Gerlo-
ni, & verissimis illius seculi historiis, vt sua in ve-
racem Calvinum conuitia euanat.

Ad Cap. III.

EXplicet & hinc quoque seipsum iste, & clarè
loquatur, non sit Oedippus. Nam pias Ani-
mas post hanc vitam Deum videre concedimus,
eoque frui, & gaudere, Genes. 32. vers. 30. ps. 16. vers.
8. 9.

8.9.10. Neque hoc nobis tanquam vel dubium, vel negatum probandum fuit. Sin autem Bellarminus intelligit, (Id quod hæreticissimè sentit, quemadmodum apparet ex ca. vi. seq. pag. 1494. L.A. & B.) parem esse nunc earum Animarum felicitatem, & tantam, quantam habebunt eadem post resurrectionem, fallitur, & errat toto cælo: neque loci ab eo citati illud vlllo pacto probant: sed tantum eas post hanc vitam esse felices & beatas.

Locus ex Ecclesiast. xi. cap. 27. nihil ad rem, tū quoniam est ex libro Apocrypho: tum etiā, quia nihil de Animæ humanæ piæ felicitate peculiariter agit.

Locus ex 2. Corinth. c. 5. vers. 1. propriè de felici corporis conditione futura in piis agit, & gloria priorum: de gradu felicitatis, in quo iam sint piæ Animæ, ne ipsis quidem. Ergo nihil locus iste facit ad propositum & quàm iste sudet & æstuet in hoc ipso loco ad Animæ felicitatem applicando, vident hic pij omnes, & cordati viri.

Idem respondemus ad tertiam Ballarmini testimonium ex eadem epistola 2. Corinth. 5. vers. 4.5.6. nihil ad quæstionem propositam collimare. Perfectam enim piarum Animarum felicitatem demum post ultimam resurrectionem fore, non antea, docet contra Bellarminum hic Pauli locus, qui vult tum demum eam piis obtingere quum sua corpora gloriosa recipiant, non autem antea. Id quod fiet in resurrectione.

Quartum testimonium ex Lucæ evangelio cap. 23. vers. 43. à se prolatum primum inuoluit, &

obscurat variis & ineptis interpretationibus Bellarminus. Deinde nihil ad Bellarminum. Imò eū oppugnat. Docet enim tantum pias Animas proficisci statim post hanc vitam in cœlum, & ibi esse beatas: sed nondum plenè, perfectèque ex 1. Io. han. 3. vers. 2. Apoc. 6. vers. 9. 10. qua plena felicitas iis ante postremam resurrectionem nō obtingit. Nec enim antea fiunt plenè beneficiorum Christi participes.

Quintum testimonium ex ephes. 4. vers. 8. Christus ascendit in cœlum, captiuitate multam prius à se facta: ergo est æqualis piarum Animarum conditio, nunc in cœlo, illi quam postea eadem habebunt, est nihili. Nec enim ista magis inter se connectuntur, & cohærent, quàm Oriens mundi, & Occidens, ut loquuntur: ostenditur Christus deuicisse salutis nostræ hostes, & eos habere captiuos, & habuisse per suam mortem etiam antequàm in cœlum ascenderet: etsi nondum plenum huius victoriæ fructum sentit in his terris Ecclesia. Christum verò ascendisse in verum cœlum, quis, præter Bellarminum, negat, aut dubitat? ephes. 4. vers. 10. Hebr. 7. vers. 26. Act. 1. vers. 10.

Quid igitur ista hæsitatio fuit opus? Sextum testimonium ex Philip. 1. vers. 23. nihil contra nos, qui pias Animas post hanc vitam cū Christo esse concedimus.

Septimum ex Hebr. 9. vers. 8. nihil probat, factiæ pro Bellarmino: solum probat non vi beneficiorum veterum, sed solo sanguine Christi partectam etiam olim esse sanctis viam in cœlum. Opponit enim locus umbras legales Christo seu veri-

veritati.

Octauum testimonium ex Hebr. 12. vers. 23. pro nobis est, qui fidelium Animas post hanc vitam & in cælis & beatas esse fatemur, & contēdimus.

Nonum ex Act. 7. vers. 58. Decimum ex Apoca. 6. vers. 11. Vndecimum testimonium ex cap. 7. vers. 14. 15. nostram non Bellarmini sententiam confirmant, esse Nempe pias Animas iam in cælis beatas, quod nos docemus: maiorem tamen illic felicitatem expectare: nondum autem ad summam peruenisse, quod tamen obstinatè & falsò contendit toto hoc capite Bellarminus.

Nugatur etiam dum solutiones ad Matth. cap. 20. vers. 15. Hebr. 11. vers. 39. 1. Ioh. 3. vers. 2. affert. Primum quis istos S. Scripturæ locos profert, ut ostendat pias Animas post hanc vitam non esse beatas? certè nemo, præter hunc, ut nouum errorem ex suo cerebro comminiscatur, & nobis asingat. Deinde solutiones istius nihil valent, quia sunt ambiguae & incertæ: tum etiam à *ἁποστόλοις*, & falsæ. Nam allegorias in istis apertis Scripturæ locis quærit, inutiles, vagas, & inanes. Apud Matthæum ostendit Christus quicquid Deus nobis dat, etiam mercedis nomine, ab eo gratis dari, non ex merito. Id quod istorum præcipua dogmata iugulat. In epistola ad Hebræos cap. 15. vers. 39. declaratur significatio terræ olim Iudæis à Deo promissæ. Fuit autem vita æterna. Quomodo igitur hæc contrariam sententiam confirmare potest? Idem docetur, 1. Iohan. 3. vers. 2. felices quidem esse pias Animas, sed nondum plene. Quid hoc ad Rhombum Bellarmini? Imò

eum euerit.

Quartus locus, qui est ex Apoc. 6. ver. 6. ab isto prorsus inuoluitur varietate multiplici interpretationum, quarum nullam alteri præfert: atque sic dubios auditorum animos relinquit. Deinde nihil ad rem locus iste facit. Docet enim pios qui pro nomine Christi sunt passi, Deo gratos esse: itaque sub eius Altari & Arca custodiantur felices.

Ad Cap. iV.

INanis est tota huius, & duorum sequentium capitum disputatio, licet longissima, quia neque nos, neque Calvinus negamus, Pias & fideles Animas post hanc vitam esse cum Christo, beatas, & in cælo: Propterea tamen eas vel à Papa canonizandas: vel ab aliis Christianis inuocandas, colendas, deificandas esse, quod iste vult, pernegamus. Id quod tamen iste consequi, & quidem necessariò putat: sed perperam & falsò. Quamobrem ista testimonia omnia eatenus admittimus quatenus eiusmodi Animas pias beatas, & cum Christo esse probant, ac testantur. Nec enim ex iis testimoniis aliud colligi, aut effici, aut euinci potest: Imò hæc omnia testimonia duo tantum Animarum post hanc vitam receptacula agnoscunt, Nempe Cælum & Infernum: Purgatoriū autem tollunt, velut Iustini Martyris quæst. 79. Gentiliū. In ipso autem cælo beatas nondum plenā suam felicitatem consecutas & plenam Dei visionem testatur, Quæst. 60. & 76. Gentiliū idem Iustinus. Irenæus, quem iste pro se profert, totum eum euerit.

uertit. Docet enim Animas pias non plenè ante resurrectionem beatas, quod nos volumus; iste negat. Deinde hìc quoque seipsum & totà Christi descensionem ad Inferos refellit Bellarminus col. 148. L. D. §. *Tertio*, dum ait Christam statim à morte fuisse Animo beatum, & in Paradiso. Ergo non fuit in Inferno.

Origenis pudere debet ipsummet Bellarminū, qui tam fuerit spurcus & hæreticus in hoc toto argumento.

Athanasius, Basilius in Homil. de 40. Martyribus & de Bordio. Gregorius vterque Nazianzenus in oratione de Basilio, & Nyssenus de S. Ephrem. Chrysostomus Homil. 3. & 4. in Philipp. toti sunt nostri. Bellarminum oppugnant. Scribūt enim pias Animas esse quidem felices: sed plenā in postrema resurrectione suam felicitatem expectare. Nec in Homilia. in Corinth. 15. aliud sensit Chrysostom. Nec Oecumenius, aut Theophylactus in Hebr. 11. & Luc. cap. 16.

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. de latrone cum Christo suspensio agens, & Cyrillus Alexandrinus in Iohannem lib. 11. cap. 36. euertunt Purgatorium Pontificium. Nam pias Animas statim post mortem in cælum deferri volunt.

Epiphanius item hæresi 78. Theodoretus lib. 8. contra Græcos, & reliqui, quos iste citat, & allegat, nobiscum faciunt. Neque Bellarminum iuuant. Et diutius in his explicandis immorari, quàm habeamus manifestum Dei verbum, est otio abuti nostro, & alieno, Psal. 15. & 16. Luc. 23. vers. 43. Philip. 1. vers. 23. Apoc. 14. vers. 13.

Quod denique disputat iste de Deo Videndo, utrum mente solùm, an etiã oculis corporis à beatis post resurrectionem (Nam ante nō potest: quū corporei oculi in cadaueribus suis, Animã absente, nihil videant) cerni possit, planè dubiū relinquit, variè interpretatur, nec decidit, contentus effugio Thomæ in 1. parte Quest. 12. Artic. 1. ad primum. Verùm melius Augustinus epistola ad Paulinam de Videndo Deo, quæ est cxii. Christus ipse Math. 5. vers. 8. Deum videri posse affirmat: idem, Iohã. 3. vers. 2. confirmatur, & Animi & corporis oculis in cælo: sed nec tunc plenè, quantus in sese est, 1. Timoth. 6. vers. 16. Bernard. Serm. 31. & 62. in Canticæ.

Ad Cap. v.

Quod ex Latinis Patribus citat iste, nihil ei prodest, nihil nobis nocet. Nam propterea quod piæ Animæ sunt in cælis beatæ, eas inuocãdas esse, ad eas in periculis confugiendum, eis templum, cultum, officium & Altare peculiare erigendum, ac constituendum esse, nunquam fecerit, quantumcunque laboret, Bellarminus, neque ex Dei verbo, neque ex Patribus.

Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & cæteri Patres, piæ Animas post hanc vitam felices esse nobiscum fatentur, inuocandas negant. Augustinus libro primo contra Maximinum Arianum cap. 11. Nonne, ait, si templum alicui Sancto Angelo excellentissimo de lignis, & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei? Idem toto libro 20. contra Faustum Mani-

Manichæum, sed imprimis cap. 21. *Populus Christianus ita memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituamus altaria.* Item lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 10. *Nos autem Martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis (quorum apud Deum viuunt Spiritus) fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei (qui Mundum in eius confessione vicerunt) suo loco, & ordine nominantur: non tamen à sacerdote, qui sacrificat, inuocantur.* Idem scribit Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Iulianum Sect. viii. Eusebius lib. 4. ca. 15. *Historiæ Eccles. Quorum sententiam secutus Durandus lib. 7. cap. 1. Enchiridij Non ait, Honorandi ergo sunt Sancti propter imitationem: non adorandi propter religionem.* In finitum esset alios commemorare, quorum tamen testimonia suis locis afferentur.

Porro dubitatio, & varietas illa sententiæ, in qua versatus est Augustinus, modò Pias Animas in ipso cælo esse affirmans, velut Genesi ad litteram lib. 12. cap. 34. in Ps. 116. lib. 20. cap. 13. *Ciuitate Dei, & Meditationum (si tamen eius sunt) cap. 22.* Modò hoc ipsum negans, velut lib. 9. confessio num cap. 3. in Ps. 36. in Enchiridio c. 108. & alibi, hæc, inquam, varietas ostendit, quam sobriè, & modestè nos intra verbi Dei fines & metas in hac quæstione continere debeamus, neque nostræ curiositati habenas laxare. Id quod esse faciendum

sapientissimè monuerat Calvinus lib. 3. Institutionum Christianarum cap. 20. §. 20. iste tamen homo temerarius & ἀπειθεῖν (& supra ea, quæ nouit, contra Pauli præceptum Colof. 2. vers. 18. se ingerens) reprehendit, & dictatoria quadam potestate condemnat.

Hic iam totius istius disputationis à Bellarmino susceptæ de Felicitate Piarum Animarum statim post hanc vitam, pus, & venenum apparet. Ergo hic latet anguis in herba. Nam eò spectat tota superior disputatio Bellarmini, vt prober Pias Animas statim à morte consequi totam suâ felicitatem essentialem seu formalem, nihilque illi etiam in extremo iudicij addi intensiuè & essentialiter: sed tantùm, accidentaliter. Cur id verò? Vt, eo fundamento sui erroris substrato, colligat eas igitur & inuocari, & coli posse. Quod tamen est profus ἀνανόητος, & non consequens. Nam sequeretur multò magis Angelos Beatos (quibus tamen etiam in summa felicitate sua pares non sunt Piæ Animæ beatorum, teste hoc ipso Bellarmino hoc capite col. 1489. L.D.) à nobis esse colendos, & inuocandos. At hoc consequens negant ipsimet Beati Angeli, Apocalyp. 19. vers. 10. 22. vers. 8. Nec proximitas vllius creaturæ ad Deum, quantumuis propinqua & arcta, facit eam Deum: qui solus & colendus, & adorandus est, & inuocandus Deuter 6. vers. 13. Math. 4. vers. 10.

Deinde refutatur istius conclusionis Bellarmini fundamentum à Magistro ipso Sententiarum lib. 4. Dist. 49. cap. 5. A Thoma ibid. Quest. 1. Artic.

tie. 4. Bonaventura Artic. 1. quæst. 1. Ricardo Artic. 2. quæst. 7. Sed imprimis ab Augustino, epistola cxi. ad Fortunatianum, & lib. 12. cap. 35. de Genesi ad litteram. Denique ab ipso Dei verbo, quod est maius superioribus omnibus testimonium, 1. Iohan. 3. vers. 2. Apoc. 6. vers. 10. Nam & spes piorum plena, & corona tota gloriæ & iustitiæ iis reddetur demum in extremo Dei iudicio 1. Thessal. 2. vers. 19. 2. Timoth. 4. vers. 8. Ergo falsum est, quod iste vult & ponit piarum animarum essentialem seu formalem felicitatem intèrsuè non augeri in extremo iudicio. Augetur enim etiam intèrsuè, contrà quam iste contendit col. 1490. L. D. Itaque insultus & hæreticus fuit Benedictus XII. Papa, qui in cap. *Benedictus*. in extravag. obiter definiuit.

Prosper Aquitanus lib. De vita contemplatiua cap. 1. Maximus Taurinensis in Homiliis de Eusebio Vercellensi, & sancta Agnete: Leo in sermone de S. Laurétio: Fulgentius de Sancto Stephano: Primasius in cap. 9. ad Hebræos: Beda in cap. 6. Apocalypseos, Haymo ibidem: Anselmus in 2. Corinth. ca. 5. Sulpitius de obitu Sancti Martini ad Aurelium, nihil iuuant Bellarminum: imò lædunt eum, nobis patrocinantur, Docent enim piæ animas post hanc vitam esse statim beatas, nullo adito Purgatorio, vt disertè scribit hîc etiã citatus Anselmus in 2. Corinth. 5. post iudicium autem duplicia gaudia & maiora habituras, Beda in cap. 6. Apocalypsis.

Bernardus & in epistola ad fratres de Hibernia, & de Sermone Malachia, item de Obitu Vm-

berti, epist. 266. nequaquam tollit, quod habet Serm. 3. de omnibus sanctis: sed tantum ostendit latissimum esse discrimen inter piorum felicitatem, qualem quidem habent in his terris, & eam, quam iidem sentiunt iam recepti in cœlis. Nam & hic quoque degentes pii iam à morte in vitam translati sunt, & vitæ æternæ arrhabonem habet, acceperuntque à Deo, Iohan. 5. vers. 24. I. Iohan. 3. vers. 14. Ephes. 1. vers. 13. & 14. Pios autem in cœlis totam in Animis felicitatem sentire, quam expectant, negat idem Bernardus Serm. 3. & 4. de omnibus Sanctis, & tam apertè, vt negari à Bellarmino illud non possit cum pudore.

Terrulliani testimonium li. 4. in Marcionem: Lactantij lib. 7. cap. 2. Institutionum. Victorini Martyris in cap. 6. Apoca. eleuare, vel refutare nõ potest Bellarminus, à quibus opprimitur. Sed habemus contra Bellarminum, ipsum Dei verbum quouis alio, id est, hominum testimonio præstantius, & quouis bicipiti gladio penetrantius, quo confoditur prorsus Bellarmini ista hæretica sententia. Illud autem iam citauimus I. Iohan. 3. vers. 2.

Ad Cap. VI.

EX superioribus nostris responsionibus intelligunt pii omnes quid concedamus, Nèpe pias Animas statim à morte esse felices, in cœlo, & cum Christo: quid Bellarmino negemus, Nimirum eas adhuc totam, quæ illis per Christum promissa est, felicitatem adeptas esse. Contrà contendit Bellarminus eas statim plenam suam felicitatem

citatem in cœlis consequi. Huius suæ sententiæ aliquot rationes proferre nititur. Sed frustra. Primum mentitur, dum eas in S. Scriptura fundamentum habere scribit. Nam cum omnes in vniuersum, tum imprimis secunda, tertia, quarta, quinta, nullum ne fictum quidem, vel in speciem apparens in Dei verbo fundamentum habent. Reliquæ tantum apparenter.

Prima ratio Bellarmini nihil ad propositum. Nam quum dubitent Patres, utrum sit Parabola, vel Historia, quæ narratio de Diuite est apud Luc. 16. iam videt iste ambiguum proflus esse suum fundamentum. Deinde nihil de gradu felicitatis Animarum piarum definit ille locus: imò eas in sinu Abraham collocat, qui nondum plenam, ex istorum sententia, habebat felicitatem.

Secunda ratio falsa est, nempe Sanctos esse inuocandos: sed nec concludit. Nam etsi hoc concederetur: non sequitur tamen eos plenè iam dona Christi esse consecutos.

Tertia ratio, & quarta sunt nullæ, quia sunt, vel sola Basilij priuata opinio: vel inanes mortuorum & falsæ Dæmonum illusiones.

Quinta ratio est falsa. Nam & nunquam merentur homines vitam æternam nec in hac, nec in futura vita: & est impedimentum, quo minùs iam in cœlis plenè beatæ sint illæ piæ Animæ, iustum, nempe dilatio Dei I. Iohan. 3. vers. 2. 2. Timoth. 4. vers. 8. Thessal. 2. vers. 19.

Sexta ratio ex Leuit. 19. vers. 13. & Septima ex Prouerb. 13. vers. 12. nihil ad hoc argumentum pertinent, Primum quia sunt rationes ex mera alle-

goria sumptæ: ac proinde incertæ. Deinde quia difertè Deus plenam iustorum mercedem in diè illustris illius & postremi aduentus Christi distulit Math. 25. ver. 31. 2. Timoth. 4. ver. 8. Apocal. 19. ver. 11. Et sic quidem exsufflantur omnes Bellarmini pro sua hæresi tuenda rationes, & machina.

Potro seipsum prorsus euertit, dum nostris rationibus respondere conatur. Prima est, Dies extremi iudicij à Deo constitutus est, quo reddet plenè cuique secundū sua opera. Pl. 62. ver. 13. Actor. 17. ver. 31. 2. Corinth. 5. ver. 10. Apocal. 11. ver. 18. Negat Bellarminus hoc, id est, sacram Scripturam veram esse negat. Respondeo. Apertè verum nos dicere & docere apparet ex ipsis S. Scripturæ locis citatis à nobis. Ergo Solem ipsum pleno meridie lucere neget iste. Deinde se confutat. Nā si in particulari iudicio de se factō piæ Animæ consequuntur tantum, & illud ipsum, quod in generali: frustra fiet illud generale iudicium.

Quinque causas commentus est igitur istius iudicij generalis. Primū, quia Deus plenè suam iustitiam, & Misericordiam vult tunc reuelare. Respondeo. At reuelat eam in particulari iudicio, si totam pœnam impiis infligit, quam meretur in Animis: & totum præmium largitur piis, quod illis promisit.

Secunda ratio est manca. Nam Deus eum diè constituit, non tantū vt glorificetur Christus: sed vt reddat tum demum plenè cuique fideli secundū sua opera 2. Corinth. 5. ver. 10. Math. 25. ver. 33. Apocal. 17. ver. 31.

Tertia

Tertia ratio est sibi ipsa contraria. Nam Deus satis suos glorificavit, & malos abiecerit in iudicio illo particulari, si in eo totam pœnam, vel præmium iis tribuit in ipsorum Animis, quod habere maximum debent.

Quarta ratio Bellarmini Bellarminum refutat. Nam plena beatitas Animæ humanæ contingere non potest siue extensivè, siue intensivè, antequàm cum suo corpore uniat, & ante extremum proinde iudicium. Tunc enim plenum cuiusque individui humani erit Hyphistamenon.

Quinta ratio est nihili. Nam etsi in totum non deserint opera bona, vel mala ante extremum iudicium: tamen quod ad iam iudicatos singulos in particulari iudicio, iam omnino sunt finita iis omnia bona, vel mala opera, præsertim si totam pœnam, vel totum præmium promissum per illud particulare iudicium recipiant, singuli morientes, ut iam receperint.)

Ad secundam nostram rationem nihil respondet iste. Imò quod respondet, nostram sententiã planè confirmat. Nempe suppositi totius cuiusque humani plenam felicitatem demum contingere, quum utràque illa suppositi pars, Nempe corpus & Anima, redeunt in suam simul unionem & compaginem: non autem prius. Quod concedit solutio Bellarmini.

Ad tertiam nostram rationem respondens negatur. Fatetur enim Animam Christi etiam tunc fuisse in Paradiso, quum esset in Inferno. Quo quid absurdius? Deinde non debere nos ait esse sollicitos de cælo vlllo corporeo, ubi sint piæ A-

nimæ post hanc vitam. Cur igitur tam anxie de eo disputat: si de eo solliciti esse non debemus? Imò Paradisum earum terrestrem fingit cum Euthemio, quem supra refutauit, & errorem appellauit cap. 3. col. 1478. L. A. B. Quid hac inconstantia in Theologo indignius?

Ad quartam nostram rationem nihil respondet inò grauissimè errat, dum Dæmones in plenum suum iudicium accepisse scribit, & contemdit contra & Dei verbum Luc. 8. ver. 31. & Patrum testimonia hîc etiam à Bellarmino citata, vt se confutaret. Sed eos Patres hæreticos ipse hæreticissimus appellat, tam est impudens, & effrons, quia suæ sententiæ & luminibus officiant boni illi viri.

Denique quas rationes quattuor affert Bellarminus, Cur Diaboli trepident, & metuant detru-di in abyssum, tam sunt illæ ineptæ, & pueriles, vt diabolos ipsos pudeat, tam incolorati timoris, qui non caderet etiam in his terris in vitum constantem, nedum in eos, qui Potestates, & Principes aëris appellantur, Ephes. 2. ver. 2. Sed ne quis existimaret Bellarminum nullum cum Dæmonibus commercium habere, & eorum arcani delijgnatum esse, maluit istas causas metus Dæmonum (quasi sibi ab iis reuelatas) fingere: quàm de his rebus tacere. Sunt autem istæ quattuor causæ falsæ, & inanes, Nempe quia patebunt eorum fraudes, à Magis amplius non colentur, alios non vexabunt amplius, ab hominibus iudicabuntur. Sed quis improbus hæc metuat, nisi maiorem propterea, & postea pœnam sit sensurus? Certè nemo,

nemo, ne puer quidem, nedum Dæmon. Sed verissima merus istius Dæmonum causa est. Quod in Abyllo acerbius & durius, Nempe loco his ad pœnam destinato, puniuntur, quàm in hoc aëre superiori, Matt. 25. vers. 41. Luc. 8. vers. 31. 2. Petr. 3. vers. 4. Ergo iuxta illud Horatij *oderunt peccare mali formidine pœnæ*, illi timent. Sed hæc quid ad nos, nisi sumus curiosi. Imò falsæ sunt istæ causæ. Nam Dæmones etiam in Abyllo qui sunt, coluntur tamen in his terris ab hominibus: nec pudet ipsos Dæmones suæ turpitudinis, & fraudis detectæ, ut iste putat, homo scilicet verecundus, Nimirum impudens Monachus & seditiosus lesita.

Ad Cap. vii.

VEL ex ipso secundæ huius Quæstionis initio apparet, quàm sit, quod de Eunomio Ariano scripsit Basilus lib. 1. & 2. contra eum edito, *Ἰδιολόγος* iste *λογοποιός*, id est, minutiarius iste scriptitator, & portentosæ superstitionis, qui omnes idololatriæ Defunctis hominibus exhibitæ species, formas, & minutias cõfirmare, probare, & commendare conetur, amplificandæ istius in Deum blasphemix gratiâ. Nos autem illi meliorem mentem, felicioraque studia exoptaremus, non impiam, & tam miseram occupationem. Nam præclare Plato, *ἔστιν, αἰτ, ἐχθρὰ σοφίας νοιδόρησι θεῶν*, Improba est sapientia, quæ Deo conuictum facit. In summa de te omnium absurdissima, & nullo Patrum seculo nota, audita, probata, hoc, & sequentibus quattuor capitibus agit Bellarminus,

Nempè de Potestate Pontificis Romani in cano-
nizandis, vt isti loquuntur, id est, in deificandis
hominibus mortuis, & in numerum deorum
Maiorum vel Minorum Gentium referendis. Id
quod veteres Ethnici & idololatræ fecerunt illi
quidem: sed nunquam primi, verique Christiani,
quicquid ex libro Tertulliani de Anima cap. 29.
circa medium, proferre cõnetur Laurentius Bar-
ræus: canonisatio ista est Ethnicorum inuentum.
Nec enim alios Deos coluerunt, quàm quos ipsi
fecerant. (Id quod nunc plane faciunt Papistæ)
& in cælum receperant. M. Cicero lib. 2. de Legi-
bus, *Dinos, & eos, qui celestes semper habiti, colunt:*
& illos, quos in cælum merita vocauerint, Herculem,
Liberiũ, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quiriniũ.
Id probat Lactantius lib. 1. Institutionum cap. 14.
15. 16. Cyrillus lib. 6. contra Iulianum. Vnde Dea
Fornax, Dea Moneta, Matuta, receptæ Dex, Deus
Mars, Iuppiter, Mercurius, quamuis fur, pro Deo
ab his habitus. Tertullianus lib. de idololatria, &
Augustinus lib. 6. & 7. de Ciuitate Dei.

Rei autem istius æstimatio Romæ à totius Se-
natus, non vnus summi Pontificis, vel Impera-
toris iudicio pendeat, prudentiũs quàm nunc
fiat inter Pontificios, & in Pontificia ecclesia, in
qua istius tam seriæ rei tota æstimatio pender ab
vnus vetuli, deliri & decrepiti senis, qui se Ro-
manum Pontificem vocat, sensu, arbitrato, & cõ-
sura. Tertullianus in Apologetico cap. XII. *Status*
Dei cuiusque, ait, ex Senatus æstimatione pendeat.
Et tamen & Senatum, & Romanos impios & sa-
critegos in istis diuis faciendis vocat idem Ter-
tul-

tullianus, *Quomodo vos è contrario impij, & sacrilegi, & irreligiosi erga Deos vestros deprehendimini? Qui quos presumitis esse Deos, negligitis: quos timetis, destruitis: quos etiã vindicatis, illuditis.* Quid? quòd Augustinus lib. 2. de Civitate Dei cap. 15. scribit, Homines in istis diuis faciundis, & in cœlum recipiendis, non tam ratione, quàm adulatione duci, ac vti? Ista omnia fiunt etiam nunc in ecclesia Romana: còque peius, ac deterius, quòd non grauem aliquem Senatum, quemadmodum olim Veteres Romani, ad id decernendum adhibent, sed impetitos rerum homines, ex quauis hominum facie in Cardinales electos: vel etiam id totum arbitrarij vnus deliri senis, què Papam appellant, relinquunt, vti dixi.

Cæterum hæc canonizandi potestas & auctoritas Veteri & Apostolicæ ecclesiæ prorsus ignota fuit: ignota quoque Patribus, & pene vsque ad annum Domini DCCCLXXX. quo tempore Hadrianus III. Papa hoc ius sibi, suæque sedi Romanæ sacrilege vsurpauit: quod Innocentius III. postea confirmauit, vt apparet ex cap. 1. & 2. *Extra de Reliquiis sanctorum.* Honorius III. Papa circa annum MCCXV. retinuit, vt est in cap. *Venerabili.* *Extra de Testibus.* cap. VIII. Rem istam longius repetit Bellar. ex anno Domini DCCC. sed incerto autore. Ergo tota est hæc Romani Pontificis tyrannis & vsurpatio. Nec eius rationem vllam affert. Durandus lib. 7. *Enchiridij* cap. 1. vers. 29. à quo Bellarminus sua sumpsit, & descripsit.

Quibus positis & explicatis iam Bellarminum audiamus. Aut Canonizatio nihil aliud est, quàm

publicum ecclesiæ testimonium de vera alicuius hominis sanctitate iam defuncti, ut ei septem honoris species decernantur & exhibeantur: Respondeo, Hæc definitio falsa est, & blasphema. Falsa, duplici de causa & nomine, Primum quia Pontificia canonisatio non est publicum Ecclesiæ testimonium, sed peculiare: & priuatim vnus & solius Pontificis Romani iudicium, qui quos vult canonisat, & in cælum recipit: quos vult, reuocet, & quidem tantum ex auditu & falso aliorum relatu: non ex aspectu.

Deinde falsa est ista definitio, dum ait, de vera defuncti sanctitate ferri iudiciū in canonisatione, Primum, quia, teste Augustino quem etiam citat iste inf. cap. ix. col. 1500. L. A. Multorum corpora veneramus in terris, quorum Animæ detinentur in gehenna, & Inferis, ac proinde qui vere sancti non sunt, licet fuerint canonisati. Deinde refert Socrates lib. vii. Historiæ cap. xiiii. à Cyrillo Alexandria Episcopo, Monachum quendam seditiosum, qui suarum partium fuerat, contra Præfectum Orestem ab eo canonisatum, & quum prius Ammonius vocaretur, appellatum Thaumasiū fuisse, mutato nomine, & inter Martyres relatum. Ergo non omnes canonisati sunt vere sancti teste ipso met Bellarmino hoc capite, col. 1497. L. D. teste Sulpitio in Vita S. Martini. Præterea apparet idem ex ca. primo ext. de Reliquiis, Nempè infamem ebrietate hominem canonisatum fuisse, & pro sancto cultum. Papa Sixtus Sextus anno Domini M. DLXXXIX. canonisauit patricidam Monachum Dominicanum nomine Cle-

Clementis, qui Henricum III. Gallorum Regē, suum principem, proditoriè trucidarat. Concilio Charchaginiensi quarto, cap. 84. multæ Sanctorū reliquiæ coli docentur, quæ fuerint hominum impiorum & idololatrarū corpora: itaque crui, & deiici iubentur. Denique fundamentum istius sanctitatis & canonisationis præcipuum sunt miracula, quæ ab isto homine facta sunt, & fiunt, ut est in cap. 1. & 2. extra de *Reliquiis*, & cap. *Venerabili*, extra de *Testibus*. Atqui miracula non sunt firma veræ cuiusque hominis sanctitatis testimonia, teste Augustino in can. *Teneamus* prima quæ. 1. Glossa in d. can. *Venerabili*. Gregorius Magnus in libris *Moralium*. Quare vanum est huius iudicij & testimonij de sanctitate canonisati fundamentum 2. Theff. 2. vers. 9. Apocalyp. 16. vers. 14.

Est eadem definitio canonisationis, & actio ipsa, seu finis eius. Planè blasphemus, quia docet homines meram idololatriam, & in eum scopum fit. Nimirum ut hominibus mortuis tribuatur Inuocatio, Templum, Ara, Sacrificium Dies festus, illius Imago in Templis colatur, & reliquiæ corporis adorentur, teste Bellarmino, hoc capite col. 1497. L. A. contra præcisum Augustini præceptum, lib. 1. contra Maximinum cap. 11. lib. 20. contra Faustum cap. 21. lib. 22. Ciuitate Dei cap. 10 supra à nobis cap. v. huius libri descriptum.

Vtile verò est, ait iste, Sanctos mortuos canonisari. Nam ecclesiasticus liber cap. 44. Actor. ca. 7. Multos, & Stephanum imprimis canonisauit. Respondeo, Si hoc sibi vellet Bellarminus, utile esse pios homines qui fuerunt, à nobis & poste-

ris distingui ab impiis, hoc illi facile concederemus: & in eum finem non ecclesiasticus solum: sed historia sacra multos viros pios defunctos commemorat, ut eorum fidem & vitam sanctam imitemur. Hebr. 13. vers. 7. 1. Corinth. II. vers. 1. Sed hoc vult iste, Nimirum ut canonisatio ista sua sit idolatriæ, quam illis defunctis tribuit, fundamentum. Ergo est fallacia, omnes hæ rationes ab ignorantia Elenchi, & mutatione finis veri memoriæ sanctorum in falsum finem.

Quarta ratio est falsa, Neque enim beati defuncti sunt solliciti de nobis hinc viventibus. Nā quiescunt à laboribus suis, & curis Apoca. 14. vers. 13. Et quod etiam ecclesiæ membra dicantur defuncti pii: non sunt huius membra: neque tamen ea nobis præstant, quæ viui facerent, neque de nobis & his terris cogitant.

Quinta ratio est fallacia ab ignorantia Elenchi. Migrat de fine ad finem: genere ad genus.

Ad Cap. VIII.

ESSe summi Põtificis Romani homines iam defunctos canonisare ait iste: sed nullo fundamento. Nam quòd decreta Pontificum pro se ipsis allegat, nempe cap. 1. & 2. extra de *Reliquiis* cap. *Venerabili* extra de *Testibus*, ineptum est, & inutile. Nemo enim iudex ferendus in propria ratione causæ. Contra Bellarminum, & Pontificem Romanum, faciūt hæ rationes, Prima, Quòd vnaquæque tota ecclesia de eo sancire, & inquirere, & ferre iudicium deberet, ex Cypriano lib. 3. epistola 6. qui esset canonisandus. Secunda, Quòd

Quòd Carthaginienſis Concilij 4. ca. 84. iubet, vt ſit Episcoporum cuiusque prouinciæ, non Romani Pontificis iudicium, diiudicare, qui in ea Prouincia fuerunt verè pij & Martyres Dei aut non. Tertia, Quòd plurimi ſunt canonifati abſque conſenſu Papæ, vt Apoſtolil, & plerique Dei Martyres veri. Ergo eſt hæc Pontificis Romani tyrannis, non potestas.

Ad Cap. ix.

AByſſus Abyſſum vocat, & nugæ nugæ pariunt, vt hæc de Canonifatione quaſtio, infinitas. Errare autem Romanum Pontificem in hac canonifatione poſſe, & de facto erraſſe, apparet, vel ex canonifatione Clementis inclementis Dominicani, qui parricida, & proditor Henricū III. Francorum Regem, ſuum Principem nefariè occidit prætextu religionis in Regis cubiculum admiſſus à Stipatoribus Regis anno Domini MDLXXIX. menſe Auguſto.

Rationes Bellarmini in contrarium ſunt nugæ, & fallacia à petitione Principij, Eccleſia errare non poteſt. Pontifici ſummo Romano eſt parendum. His autem aliis rationibus reſpondimus ex ipſiſmet gloſſis cap. *Venerabilis* Miracula nempe Magna ædita declarant aliquem eſſe ſanctum, Preces eccleſiæ coniunguntur. Iſta enim non efficiunt hominem vllum ſanctum, & inuocandum.

Ad Cap. x.

Eſt Pylus ante Pylum, ſequitur Pylus altera poſt hanc. nugæ poſt nugæ, nugæ proponit

easdem hoc caput, heu vacuo quod fluit à cerebro. Refutatur tamen Bellarmini sententia posse nimirum vnumquemque colere hominem aliū defunctum pro sancto priuata animi deuotione qui non sit ab ecclesia canonisatus, & pro sancto receptus. Hoc falsum est. Nam sic esset priuatorū hominum cœlū & vitam æternam dare: quod est folius Dei. Nam est Dei, non hominum donum Roman. 6. vers. 23. vita æterna, & Paradisus Luc. 23. vers. 43. Deinde sic duceretur vaga, incerta, dubia tota hæc inuocatio Sanctorum mortuorum, & fides, quoniam vnus priuatim coleret & honoraret eum, quem alter aspernaretur, & conspueretur. Tertiò, Magnū & periculosum schisma in ecclesiam induceretur, si vnusquisque Christianus posset sibi priuatim habere diuos, quos alij Christiani, totaque ciuitas vel ecclesia nō haberet, aut probaret. Itaque hoc ipsum disertè legibus XII. tabularum vetabatur. M. Cicero lib. II. de legibus, *Separatim nemo habessit Deos, ait Lex, neue nouos, sed ne aduenas, nisi publicè asstitos, priuatim colito.* Propterea accusatus Athenis & damnatus Socrates ab Anyto & Melito; teste Platone in Apologia Socratis, & Xenophonte libro primo Commentariorum de Socrate. Quarto esset Christianorum hominum conditio simillima Ethnicis superstitionis, quos etiam damnat Iuuenalis Satyra xv.

*Illis ceruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur. & postea.
Inde furor vulgò, quòd numina vicinorum.
Odit uterque locus, quum solos credat habendos.*

Esse

*Esse deos, quos ipse colit. Inde lites,
-- lurgia, & pugnae acerbissimae.*

Quinto pugnat tecum ista sententia. Nam vult cum pro sancto colendum, cui tamen denegat aperte honores sancti, velut Templum, festum, Aram, officium, reliquiarum cultum.

Sexto pugnat hęc sententia disertis verbis cum cap. 84. Concilij 4. Carthaginensis, qui prohibet priuatim à quoquam coli pro Sancto.

Rationes Bellarmini in contrarium nihil valent. Sunt duæ. Prima pugnat cum d. cap. 84. Concilij Carthaginensis. Secunda ratio sumit imperitè rhetoricationem Patrum pro inuocatione. Id quod luce meridiana clarius docuit in hoc argumento M. Kemnitius vir eruditissimus. Consuetudo de rapiendis defuncti hominis & adorandis & osculandis reliquiis est idololatræ. Vetus enim ecclesia Actor. 8. sepeliuit pios defunctos, non adorauit.

Ad Cap. xi.

Totam hoc caput Vndecimum non meretur responsum. Nam inf. cap. xiiii. hæc omnia argumenta repetuntur, hisque contradicit Bellarminus: sed nullo colore, quemadmodum illic demonstrabimus. Est igitur hoc caput duntaxat *απαρκευασμένον* ad futuram disputationem.

Ad Cap. xii.

Svorum errorem de colendis Sanctis defunctis palliare nixus Bellarminus facit, quod

solent, & mouent Rhetores & sapientia humana, eos, qui de re turpi dicturi sunt. Nimirum vt rem altè repetant, insinuatione longa vtantur, & ambagibus verborum tenebræ oculis & menti lectorum, & auditorum offundant. Nam sex præmunitiones affert iste. Ergo alte repetito reuerentia, & obseruantia (quæ excellentioribus à nobis debetur) initio, de adoratione multa gannit, & effutit, & inutilia & falsa. Inutilia, quia quemcunque prætextum iste & velū obiiciat suæ, suorumque in adorandis Sæctis hominibus idololatriæ, eam tamen, & crimen eius teterrimum, à se, suffoque depellere non potest: imò neque vlllo pacto remouere. Semper enim illud verum manet ex Bellarmini confessione, sanctos defunctos quum non ciuili honore colantur, diuino coli, & decorari. Nam non coli ciuili honore fatetur Bellarminus hoc capite col. 1502. L. D. Hic autè honos siue Latria, siue Dulia nominetur ab istis, est adoratio, teste Durando in Enchiridio lib. 5. ca. 2. N. 61. *Dua sunt*, ait, *Adorationis species Latria, & Dulia.* Vnde alibi idem Durand. in eodem opere scribit imagines Sanctorum adorari non posse. Ergo Sancti, id est, defuncti homines adorantur ab istis: nec illis prodest tota hæc longa de Adoratione Bellarmini nugatio, & fraus.

Eadem est falsa. Nam homo iste nequaquam intelligit, Vnde Adoratio dicta sit, & Quid sit: quòd iam illi, vt gratificer etiam ingrato, & vt eù doceam, expono. Adoratio ab Adoreo (quod & Ador, & ab edendo Edor, vt ait Isidorus lib. 17. Etymologicorū cap. 3. olim quoque dicebatur) fuit appel-

appellata. Est autem Ador optimum tritici genus, quod in Sacrificiis Diis suis offerebant Ethnici: & ex eo molas salvas seu sale asperfas pinsebant, quas cum vittis capiti Victimæ pro se Diis immolandæ imponebant. Vnde Virgilius lib. 2. *Æneidos*.

Et falsæ fruges, & circum tempora vitta.

Vnde cultus is, qui solis Diis, non etiam hominibus exhibebatur, & *Adoratio*, & *Immolatio* fuit dictus. Varro lib. 4. de lingua Latina, & Isidorus lib. v. 1. Etymologic. Ex quo apparet omnem Adorationem, eiusque species ad cultum verè, & merè diuinum referri: ad cultum autem & honorem, qui hominibus viuis vel Mortuis defertur, non pertinere, neque accommodari posse. Ex quo fit, vt nulli Patres Sanctos defunctos adorari posse concedant. Facerent enim eos Deos, Galat. 4. vers. 8. Solus enim deus est adorandus, quo cunque nomine & specie vocetur ista adoratio, siue latria, siue Dulia, Math. 4. vers. 10. Deuter. 6. vers. 13. Pl. 43. vers. 6. 14. 18. Quare mentitur Bellarminus, & in deum blasphemus est, dum ait speciem adorationis vnâ ad homines honorandos referri. Solus est Deus adorandus. Ergo vt inepta & inutilis, sic falsa apparet tota ista Bellarminea distinctio Adorationis in tres actus & species: quarum vna ad homines defunctos colendos pertineat. Nulla enim pertinet. Sed manifestè iste se profiteretur impium & idololatram, dum homines (qui natura Dijs non sunt) adorari & posse, & debere contendit, contra dictum Angeli *Deum adora*, Apocal. 19. vers. 10, dictum

Pauli Galat. 4. vers. 8, dictum ipsius Christi omnibus præferendū Math. 4. v. 10. Luc. 4. v. 8. Ergo fucum duntaxat facit, & fumos vendit infirmis, eosque decipit, dum ait, Aliquos esse Actus seu interiores, seu exteriores Adorationis, qui competat hominibus. Vti enim non est illis Exod. 22. v. 18. sacrificandum, Augustinus contra Faustū lib. 20. c. 21. lib. 10. c. 4. Ciuit. Dei, Durandus in Enchiridio, lib. 7. ca. 1. N. 5: sic neque sunt illi adorandi.

Cautiores verò istius Magistri fuerunt, qui honorari quidem Sanctos defunctos posse dicunt: nunquam tamen sic, vt iste, loquuntur, eos adorari posse. Ac ne Thomas quidem in secunda secunda quæst. 103. Artic. 3. Petrus autem Lombardus nusquam de Adoratione, vel inuocatione Sanctorum agit: ac ne quidem lib. 3. Sentent. dist. 9. vbi erat locus: & tamē totius istius scholæ est Magister, & Coryphæus. Quid igitur discipulo isti venit in mentem, vt eos & adorandos & inuocandos scriberet? Quod Abrahamum ait iste adorasse Angelos Genes. 18. & Homines cap. 23. imperitissimum se linguæ Hebrææ ostendit, qui quanuis sui incuruationem adorationem esse putet, de quo postea. Augustin. distinctio lib. 10. cap. primo Ciuitate Dei inter Latrariam & Duliam à nobis suo loco refutabitur ex Dei verbo Math. 4. v. 10. Luc. 4. v. 8. & aliis locis: falsum verò est, quod, vt priorem errorem suum defenderet, ait iste, Religionem non esse virtutem Theologicam col. 1503. L. D. cōtra Paulum Tit. 1. vers. 1, & Iacobum in epistola cap. 1. vers. 27. 3. v. 17.

Denique quod laborat iste in ista voce *Dulia* apud

apud probatos autores reperienda pro cultu creaturarum, ostendit totam hanc distinctionem inter Latriam, & Duliam esse commentitiam, recentem, Primitivæ Ecclesiæ ignotam, imò Græcis ipsis Patribus Iustino, Basilio, Nazianzeno, & aliis: & quod plus est, Apostolis Christi summis Theologis, & Ecclesiæ doctoribus. Mentitur iste, dum scribit idolorum cultum à Patribus idololatriam dictam primum. Nam ab ipsismet Apostolis sic & dicta & nominata est, 1. Corint. 6. v. 9. Rom. 1. v. 25. 1. Iohan. 5. v. 21. non à Patribus, qui Apostolis fuerint posteriores, Galat. 5. v. 20. Col. 3. vers. 5.

Ad Cap. XIII.

Errorem suum de Adoratione sanctorum defunctorum Cultu, & Inuocatione, alio errore cuso & allato confirmare iam conatur, sed frustra, Bellarminus. Omnes autem quas hinc affert rationes, summis viris laborat, sed imprimis his tribus, falso, fallacia, seu Paralogismo, eoque duplici, Nimirum à non consequente, sic, Sunt sanctæ colendæ & honorandæ: ergo adorandæ, ergo inuocandæ. Non sequitur. Nam & Arca ipsa Dei lignea, & Altare aureum, & Æneum, & Thuribulum, & Candelabrum sacrum, quod erat Heb. 9. 1. Chron. cap. 28. in Templo, fuisset adorandum & inuocandum. Quo quid turpius? est & alius Paralogismus seu fallacia in his rationibus, Ab æquiuocatione nempe, quoniam Incuruatione, cuius varius est finis, pro sola adoratione religiosa sumit iste. Prætermitto tertiam fallaciam à

non causa. Nam dum autoritates nonnullorum Patrum affert pro stabiliendo hoc cultu, non causam pro causa profert. Nec enim fidei nostræ articulus in iis fundari potest. Et hæc quidem in generali. In speciali verò ad rationes Bellarmini hæc respondemus.

Primum ad primam rationem, quæ sumitur ex Pl. 99. v. 5. 132. v. 7. Chron. 28. v. 2. ubi Arca (quia sancta erat, utpote scabellum Dei,) dicitur honoranda, ex istius sententia: ergo Sancti defuncti sunt inuocandi & adorandi, quia sunt sancti. Respondet est fallacia à non consequente. Primum non sequitur, Sanctos esse sic colendos ut Arca erat colenda, quia non sunt scabellum pedum Dei, sicut erat illa Arca scabellum pedum Dei. Deinde non sequitur, erat Arca honoranda, ergo & inuocanda, & adoranda. Quare licet Sancti sint honorandi, non tamen sint inuocandi ex hoc syllogismo. Denique non Arca ipsa propriè, sed Deus, qui sedebat sacramentali modo illic, colebatur, uti Diadema regis salutatur, & honoratur quum Rex ipso eo indutus salutatur. Solutio verò & Bucerii, & Caluini verissima est: & confirmatur ex Chron. 28. vers. 2. Sed & terra dicitur scabellum quoque pedum Dei II. 66. v. 1. quæ, si procederet argumentum Bellarmini, esset & honoranda, & inuocanda. Deinde Ambrosius, & Augustinus, teste Lombardo lib. 3. Sentent. Dist. 9. scabellum hoc dicunt esse carnem Christi, non Arcam, non terram. Ludit igitur iste in ambiguo, & æquiuocatione istius vocis nos decipit, quoniam, vel teste Bellarmino hoc loco ambigua est significatio harum vocum,

cum, *Scabellum pedum eius*. Atque tamen hoc est & primum, & potissimum Bellarmini pro defunctorum Sanctorum a doratione, cultu, & inuocatione argumentum, quod omnes iam vident esse nullum.

Secunda ratio Bellarmini est ex Gen. 18. v. 2. 19. v. 1. quos locos quia videt nihil habere secū consentiens, repudiat. Nam vt homines, non vt Angelos, Abrahamus & Lothus honorant, quos illic reuerenter excipiunt, textus expressus d. cap. 19. v. 10. & Heb. 13. v. 2. Recurrit igitur ad Iosua librum cap. 5. v. 14. Numer. 22. v. 31. vbi Angeli dicuntur adorati. Respondeo Angelus qui Iosua apparuit, fuit ipsemet Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, Princeps ecclesiae, qui populum Israelium deduxit in terrā sanctam, 1. Cor. 10. v. 9. Exo. 23. v. 20. Ille verò piè, & rectè, quia verus Deus, adorari potuit. Angelus autè, qui apparuit Balaamo, si solū Angelus fuisse dicatur, honoratus est non religioso, sed civili tantū cultu, qualis Dei Ministris & instrumentis tribui debet, & potest: diuerso quidem gradu, prout Dei maiestas in iis plus, aut minùs elucet. Sic plus inter homines colendus est civili honore Pater, quàm Magister, Thomas in 2. 2. quæst. 103. Artic. 4. Hoc verum est, nisi quis malit ab isto Balaami exemplo nullum omnino ad veræ pietatis confirmationem argumentum duci posse, vtpote ab exemplo & sensu hominis Ethnici, & idololatæ, qualis fuit Balaamus. Itaque hæc ratio est fallacia & à non caussa, velut ab exemplo hominis profani, pro caussa & fundamento piæ religionis: & ab æquiocatione

vocis *Incuruare sese.*

Tertia Bellarmini ratio sumitur ex aliquot Veteris Testamenti locis perperam ab isto Theologo intellectis & detortis, Nimirum ex 1. Sam. 28. v. 14. 1. Reg. 18. v. 7. 2. Reg. 2. v. 15. Daniel. 2. v. 46. ubi homines pii & Prophetæ à Regibus ipsis, & piis aliis honorati fuisse dicuntur, sic, vt sese coram iis prosternerent. Respondet, fallacia est ab Æquiocatione. Nam ista prostratio & incuruatio, quæ fit coram aliquo, vel ciuili honoris tantum causa: vel diuini & religiosi fit. At in his, quos Bellarminus citat locis, Incuruatio pro ciuili tantum honore exhibito sumitur: non autem pro religioso. Nam agniti sunt Dei Prophetæ, vt Helias, Elizæus, Daniel, solum tanquam egregia Dei instrumenta, in quibus Dei Maiestas manifestè elucebat, & ciuili honore, non autem diuino, excepti sunt & ab aliis piis viris, & ab ipso Rege Nabugadnezare. Quanquam ex huius postremi (qui fuit ethnicus quoque & idololatra) exemplo nulla fidei, & veri Dei cultus confirmatio ducenda est ac sumenda: sicut neque ex Alexandri Magni factis, de quo Iosephus lib. 11. cap. 8. Antiquitatum.

Quarta Bellarmini ratio continet aliquot Patrum autoritates, quorum tempora si distinxeris, facilis erit ad omnes eas solutio. Patrum igitur alij vixerunt proximè post tempora Apostolorum, quales Iustinus Martyr, Polycarpus, Tertullianus, Cyprianus. Alij postquam superstitio ista in Ecclesia nata est, Sanctos defunctos esse inuocandos, post tempora nanque Cypriani, & annum Domini

Domini cō totum. Iustinus igitur adorandos cultu, templo, aris, officio illis instituto, sanctos nusquam docuit: sed Deum & solum, & vnum adorandū libro de Monarchia, libro contra Tryphonem, & eo ipso, quem iste citat, loco docet Apolog. 2. Piam autem eorū memoriam, ad imitandam eorum & fidem, & vitæ sanctitatem, seruandam, & ipse, & alij Patres vsque ad annū Christi cō docent. Eodem spectat quod de Polycarpo refert Eusebius lib. 4. cap. 15. Historiæ. Nusquam Tertullianus, nusquam Cyprianus, nusquam Arnobius, nusquam Lactantius, qui etiam post annum Domini cō vixerunt sanctos homines de sanctos adorandos, & Tempa iis dicenda scripserunt. Tertullian. in libro de Trinitate, Cyprianus in lib. Quod Idola Dij non sunt, & Tractatu 111. ad Quirinum totam hanc Bellarmini sententiā refutat. Et quod ex sermone Cypriani de stella, & Magis refertur, est nothum & tralatitium. Nec enim sermo ille est Cypriani, sed nup̄ri scriptoris. Arnobius libros septem totos contra Gentes pro nostra sententiā scripsit, & inter eos imprimis librum tertium. Lactantius vbique istam Bellarmini hæresin damnat, sed libro secundo Institutionum potissimum. Et hi quidem Patres omnes Bellarminum evertunt. Origenē, non moror, qui omnis hæresis fons fuit & princeps.

Reliqui Patres nihil nos lædunt. Illa enim sua scripserunt post felix illud seculū, & recepto iam errore de sanctis de sanctis colendis religiosè. Ergo & ipsi iam fascinati prodiderunt quæ refert ille. Verūm totum hoc argumentum ab authorita-

te Patrum est fallacia à non causa. Nec enim Patrum autoritas absque Dei verbo est iusta articuli fidei Christianæ cudendi regula, & causa. Sed & illud quoque est observandum, quum sic colligit Bellarminus, Patres memoriam sanctorum defunctorum in suis Synaxibus fecerunt: ergo sanctos invocant, aut illis cultum instituerunt, esse fallaciam A non consequente. Nec enim est consequens hoc postremum ex illo priore, teste Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 21, lib. 22. Civitate Dei, cap. 10. Ergo nihil esse tribuendum istis auctoritatibus aliquot Iuniorum & recentiorum scriptorum, qui doctrinam Apostolicam minimè secuti sunt, ex superioribus, & his, quæ diximus, apparet. Athanasius, Basilus, uterque Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, nostri sunt, quia solum pia memoria colendos sanctos docent: non autem aris, templis, officio instituto adorandos, illisque serviendum, ut ex locis ab hoc etiam ipso citatis satis apparet, manifestèque.

Epiphanius hunc refutat hæresi 79. Maria Virgo est, ait ille, quidem honoranda, sed Deus colendus.

Theodoritus li. 8. contra Græcos, Cyrillus lib. 6. in Iulianum, Damascenus lib. 4. cap. 16. pro nobis faciunt: Bellarminum oppugnant. Docent esse quidem piorum defunctorum memoriam tantum piè & ad imitationem observandam: ipsi autem piis libamina, sacrificia, aras, templa dedicata negant, teste Theodorito. Quæ tamen omnia iste Hæsitica hinc suadet.

Eodem modo respondendum est ad auctoritates

tes Patrum Latinorum, Est enim fallacia à non causa: est fallacia à non consequente. Nec enim sequitur vt si voluerint coli Martyrū memoriam, iidem templa, aras, sacrificium, & officiū seu cultum erigi, poni, institui illis voluerint, quod faciunt Papistæ, & quod faciendum contendit hic Bellarminus. August. lib. I. contra Maximinum cap. II. contra Faustum lib. 20. cap. 21. lib. 22. Ciuitate Dei cap. 10. Durandus lib. 7. cap. 1. Enchiridij N. 5. Quod enim ex sermone Augustini de Petro, & Paulo iste citat, non est Augustini. Nec enim ille sermo est Augustini. Quæ ex eius epistola 44. & lib. 20. cap. 21. & ps. 96. illa sunt germana Augustini, & nostram sententiam planè confirmant, ac stabiliunt, Bellarminum euertunt.

Quintum argumentum Bellarmini est profus vanum. Nam errorem errore confirmat, id est, errori errorem accumulatur. Error enim est & idololatria, quòd templa, Aræ, Sacrificia sanctis instituantur, sicut clarè testatur Augustinus lib. I. contra Maximinum cap. 11.

Sexta ratio Bellarmini refutat eum ipsum. Nam quum Patres ab Ethnicis accusarentur idololatria, quòd sanctos colerent, testati sunt apertè, responderuntque se duntaxat Sanctorum meminisse in suis Templis, vt eorum fidem in Christū, & Vitæ sanctitatem imitarentur. Ergo se ad imitationem, non ad religionem eos honorare responderunt.

Septima ratio à mera vici istius ignorantia proficiscitur. Ait enim, Sancti sunt participes bonorum Christi supernaturalium: ergo supra natura-

li honore sunt afficiendi. Respondeo, Sancti quidem defuncti, quantacunque Dei visione & gloria fruuntur in cœlis, sunt tamen, & manent creaturæ, non euaserunt Dij. Atqui vnus Deus est adorandus, illique seruiendum, Deut. 6. ver. 13. Matth. 4. v. 10. Gal. 4. v. 8. Præterea Apoc. 19. v. 10. Angeli negant se adorandos, qui tamen Deum propius & felicius, quàm sancti, vident & attingunt. Denique quod pro colophone addit Bellarminus, Deus Sanctos honorat I. Samuel. 2. v. 30: ergo sunt adorandi, & inuocandi, est fallacia à non consequente. Nam honos iste nihil habet diuinum, aut Dei, religiosoque honori simile: sed est duntaxat communicatio donorum suorum, quæ plurima erga suos, Deique timētes homines cōfert Deus: propter quæ sunt & ipsi in sese beati, & nobis piis felices, honorandi, admirabiles: non autem adorandi, & templis, aris, sacrificiis, & cultu colentur, vt iste vult, ac contendit hoc toto libro, aut sunt. Sed ciuili tantùm honore, si adhuc inter nos viuunt: felici, piæque memoria, si iam ex hoc seculo excefferunt.

Ad Cap. XIII.

Nostrorum argumenta dissoluere (Nam his irretitur) conatur Bellarminus. Verū quicquid neget, tentet, sudet, & æstuet, nullo pacto elabitur: quoniam his constringitur.

Primum nostrum argumentum est, Sunt duæ solum cultus species. Aut enim cultus est religiosus, aut ciuilis. Religiosus non debetur Sanctis, teste hoc ipso col. 1510. L. A. ergo solùm ciuilis.

Respon-

Respondet Bellarminus esse tres cultus species, non solū duas. Respondeo, Bona est & plena nostra seu Caluini diuisio in duas duntaxat cultus species. Nam quicquid à nobis colitur, honoratur, aut vt causa & fons ipsius boni: aut vt illius tantū causæ Minister, organon, & instrumentum. Neque quicquam hanc bimbrem diuisionē effugere potest. Fit enim per membra contradictoria ergo, Quicquid à nobis colitur, colitur vel vt causa ipsa boni: vel vt non causa. Diuisio nostra igitur omnia complectitur.

Quod colitur, vt ipsa causa boni, religioso cultu honoratur, ac proinde adoratur. Quod colitur, non vt ipsa boni causa, sed solū vt illius causæ Minister, & instrumentum, ciuili duntaxat cultu honoratur: quanquam tamen hic honor alius alio maior est, habetque varias species, prout hoc instrumentum propiūs ad ipsam Boni causam accedit. Sic magistratus plus colitur à nobis, quam Pater: Pater plus, quàm Magister, Thomas in 2. 2. quæst. 103. Artic. 4. Deinde sese refutat Bellarminus hoc loco. Nam quā tertiam cultus speciem facit, negat ipse propriè esse religiosum cultum: ergo manet immota nostra diuisio & plena.

Secunda ratio nostra est, Si sancti mortui religioso cultu honorantur, eorum cultus est adoratio, Durand. in Enchir. lib. 5. cap. 2. siue Latria, siue Dulia, ille cultus nominetur. Quod si etiam Duliam esse hunc cultum religiosum volunt Pontificij, plus sanctis hominibus tribuūt, quàm Deo, quia maior est subiectio, seruum esse alicuius, quàm eius cultorem, & inuocatorem. Respondet

Bellarminus: verum sic, ut partim nugeatur, partim blasphemet. Blasphemat, dum ait, nos mortuorum hominum intercessione bene operari. Nam unum duntaxat advocatum habemus, nempe Dominum nostrum Iesum Christum 1. Timoth. 2. v. 5. 1. Johan. 2. v. 2. Nugatur, dum scribit, nos debere Sanctis mortuis servitutem, sed imperfectam, ex Aristotelis lib. 1. Politicor. c. 3. Respondeo Bellarmino, nos Dei servi sumus, & conserui Sanctarum Apocal. 19. v. 10. 21. v. 8. teste Angelo ipso. Deinde vetat Paulus, ne serui hominum simus, siue vivorum siue mortuorum 1. Corinth. 7. v. 23. Denique eius serui esse solum debemus, a quo deiectioni sumus 2. Petr. 2. v. 19. ac proinde cuius voluntati profus obsequi debemus, Roman. 9. ver. 16. Nam servus nec velle per se nec nolle habet L. *Servus D. de Regulis Iuris*. At verò nullius alterius, præterquam solius Dei, voluntati debemus obsequi præter verb. 16. v. 4. Proinde serui hominum esse neque debemus: neque possumus, præsertim in negotio conscientiarum, qualis est cultus religiosus. Nam in rebus Politicis serui hominum esse possumus Ephes. 6. Coloss. 3. ver. 22. Itaque ipse Bellarminus argumentis Theodori Bezae expugnatus, fatetur apud Græcos idem esse obsequium *ἀσπείασι*, & *δουλείας*. Atqui Latini hæc vocabula sumpserunt à Græcis, nec eorum significationem immutare Latini potuerunt, apparètque ex Math. 4. ver. 10. Luc. 4. ver. 8. 1. Thess. 1. ver. 9. Galat. 4. ver. 8. veram esse Bezae, & Laurentij Vallæ sententiam: Quia colitur Deus, differre specie ab ea, qua Sancti colun-

coluntur. Ergo non est religiosa Dulia, neque iste cultus religiosus, quo sancti coluntur.

Tertia ratio nostra ex his S. Scripturę locis ducitur Deut. 6. v. 13. 1. Tim. 1. v. 17. Mat. 4. v. 10. Galat. 4. v. 8. 1. Thess. 1. v. 9, vbi Deo soli seruiendum esse, ac Duliam deberi perspicuè ostenditur. Respondet Bellarminus, eam Duliam, quę Deo debetur, esse aliam, quàm quę Sanctis. Respondeo, & nos idem fatemur, & ex eo Bellarminum confutamus. Quum sint enim duo tantum cultus & Dulia genera, religiosum & Politicum. Religiosum autē soli Deo debeat: Politicum tantum tribui potest Sanctis: & sic vicimus. Nam quod ex Galat. 4. v. 8. *Δουλεύειν* pro Dulia, quę Deo, & creaturis sæpè tribuitur sumi scribit, ipsum evertit, qui col. 1310. L. D. falsus est Duliam, quę Deo debetur, differre specie ab ea, quę sanctis. At nullum vocabulum diuersis eiusdem generis speciebus tribui potest. Nec enim Homo de Homine & Bruto usurpari potest, aut vnquam usurpatur. Sic neque Dulia de diuersis Dulia speciebus sumi potest.

Quarta ratio nostra sumitur ex variis exemplis piorum, qui vel homines Adorare, vel ipsi adorari planè recusarunt, velut Mardocheus Esther. 3. vers. 2. Petrus Actor. 10. vers. 25. 26, Paulus & Barnabbas Actor. 14. vers. 14. Angelus ipse beatus Apocalyp. 19. vers. 10. 22. vers. 8. Respondet Bellarmin. partim diuinando, partim impudētè negādo, quod disertè in Dei verbo scriptū est. Diuinat Angelū, qui Ioāni apparuit, fuisse ea forma,

qua Christus cenferi potuit. Itaq; confundit Angelum, de quo agitur ca. 1. Apocalypsis cum hoc c. 19. Angelo, atq; finem cum principio miscet, ac confundit. Deinde diuinat Angelos ante Christi aduentū passos se adorari (Id quod falsum est, refutatūq; Iudicū c. 13. v. 16.) post Christi autem aduentū id amplius non pati. Sic quoq; insulsus Gregorius lib. 27. Moralium c. 11. & Homil. 8. in Euangelia. Cur igitur ipsi post natum, passum, & in cœlos euectum Christum hominem, Angelos etiam nunc manifestè adorant, & illis templum, & aras dicant, & erigunt? Impudēter idē hic negat & Petrum, & Angelū recusasse se sic honorari, vt Cornelius, & Ioannes eos colere volebant. Imò enim cultū recusarunt, quòd speciē quandam haberet religiosi cultus, qui totus soli Deo debetur. excipit iste, Atqui Ioannes iterum hoc fecit. Respondeo, Hoc verum est, tanta fuit illius Angeli maiestas: sed duplex fuit hoc Ioannis peccatū, vti triplex peccatū Petri in trina abnegatione Christi.

Quinta ratio nostra est ex Patribus omnibus orthodoxis, sed imprimis, Athanasio Serm. 3. contra Arrianos, Epiphanio hæresi 79. Ambrosio ca. 1. ad Romanos, Augustino de vera Religione ca. 55. qui omnes negant Sãctos homines defunctos esse à Christianis colēdos. Respondet Bellarminus, Patres illi negant, sic eos colendos, vt Gentiles idola sua colebant. Respondeo, imò generalis est sententia Patrum illorum, & præter memoriã de Sãctis defunctis piã, cultu eos omnino priuant, & nobis interdicunt. Deinde hæc solutio non excusat Pontificiorum idololatriam. Nam eadem

eadem veræ adorationis signa Pontificij suis Sanctis tribuunt, quæ Gentiles suis idolis, Nempe peculiare Templum, Altare, Festum, officium, & Sacrificium. Quomodo igitur Pontificij, teste iâ Bellarmino, non sunt eodem modo idololatriæ censeudi, ac pronuntiandi, quo Gentiles, quum eadem suis Sanctis exhibeant, quæ Gentiles suis idolis? Id quod verum Idololatriæ crimen & scelus iste fatetur hîc Bellarminus: & hoc quoque Patrum citata à nobis testimonia probant. Quare manent immotæ & firmæ nostræ contra istum cultum Sanctorum defunctorum rationes, vires, & machinæ.

Ad Cap. xv.

HOc totum cap. xv. est mera Bellarmini scriptoris inepti *φλυαρία* & Nugacitas. Qui disputandi mos, teste in Elenchis Aristotele, est proprius Sophistarum. Eadem enim omnino postea cap. xx. repetet. Deinde bonam causam nostrâ impudenti præiudicio suo damnat, dum hæresim appellat, quæ, vel ipso Bellarmino teste, vera, & Apostolica doctrina apparebit, sicut est.

Ad Cap. xvi.

Falsum omnino est, & calumniosum, quod Bellarminus hîc nobis, nostrisque obiicit, nempe nos calumnias de Pontificiis fingere, & ea dicere, quæ ipsi minime dicant. Quamobrem ad omnes istas calumnias, quas malitiosè nobis ipse affingit & appingit Bellarminus hoc capite, sic in vniuersum respondeo, Aliquid à nobis dupliciter dici, Nempe vel disertè & totidem Sylla-

bis, quibus obiicitur: vel Analogicōs & ex mente vera, sanāque nostrorum verborum, aut scriptorum sententia. Sic *Homousios*, Sic *Trinitas*, Sic *Pado baptisimus*, non est syllabatim in Dei verbo: sed ex analogia fidei, & vera S. Scripturæ sententia in ea hæc vocabula habentur, ac continentur. Ergo obiicimus Pontificiis id, quod absurdum & blasphemum ex eorum sententia oritur: non ipsas eorum Syllabas, quibus vtuntur. Nam, vt ait Hilarius, non est nobis certamen de vocabulo, vbi sensus est in tuto, & ex eo nihil absurdum propriè & necessariò colligi potest.

In particulari, Tribuunt Sanctis verā Deitatē Pontificij, dum iis tribuunt, quod est proprium Dei quarto modo, nempe *καρδίοις τοῦ θεοῦ* esse, & è cælo scire, & videre, quæ in his terris fiunt Ps. 113. vers. 5. 6. 7. vers. 10. Hebr. 4. vers. 13.

Quòd ad tempus Sanctōrum inuocationis, re-
ctè sensit de ea prorsus in ecclesia stabilita Philippus ante tempora Gregorij Magni, non priùs. Tunc enim demum publicè in ecclesia fuit recepta. Verùm quòd M. Kemnitijs scribit, de eadem iam in hominum animis nata intelligendam est: Ergo illi inter se pulchrè conueniunt & consentiunt.

Astinus est, qui prorsus ineptam sententiam, brutam, & impiam tuetur: quam in hac quaestione defendunt isti impij. Et vera est sententia Philippi de vigilantia.

Nihil Calvinus confingit aduersus istos. Air, Nullam in precibus & inuocatione Pontificiorū fieri mentionem Christi. Hoc verius vero est. Nā inuo-

inuocatio fit ad eum, ad quem diriguntur preces ipsa. At diriguntur ad Sanctos, non ad Christum: ergo Sanctos inuocant illi, non Christum. Et quod addunt non semper, sed aliquando hæc verba, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, illud dicitur tantum causa additur. Ipsa verò oratio ad Sanctum alium dirigitur, contra doctrinam Augustini lib. 20. cap. 21. contra Faustum.

Sanctos nullo conuitio afficit Calvinus: sed istorum hæreticorum commenta vocat Calvinus *laruas, & umbras*, quia sunt vana animi istorum idololatrarum figmenta, non autem ipsi Sancti.

Christus solus & primus est ingressus in Sanctuarium illud cæli, quod per Sancta Sanctorum representabatur, ut illic pro nobis apud Patrem intercederet. Textus expressus in epistola ad Hebræos cap. 9. per totum. Hoc igitur Christi dictum qui negat, sicut iste facit, S. Scripturam pernegat Hebr. 7. vers. 25.

Verum scribit Calvinus, dum ait Pontificios habere Deos diuersos & plures. Id quod Deus reprehendit Hier. 2. vers. 2. 8. Quot enim colunt sanctos, tot faciunt Deos, quum istis suis Sanctis Templum, Aram, Festum, officium instituât: qui cultus est solius Dei proprius August. lib. 22. Ciuitate Dei cap. 10.

Blasphemus est iste plus quam quisquam existimari, qui col. 15. 4. L. C. scribat impiè Christum etiam in cælo obedire suæ matri Mariæ. Et quod negat suos dicere Mariam Christo etiam nunc imperare, discretè est expressum in eorum Missali,

Roga Patrem, iube natum, Iure matris impera.

Sexta obiectio Caluini, est verissima historia, quam Bellarminus, quantumuis effrons & impudens, negare non potest, sed eleuare conatur. Quid autem potest esse horribilius, quam dicere *Barbara & Catharina* fœminis, *Pater noster, qui es in cœlis.*

Quod obiicit Caluinus ex Concilio Carthaginensi verissimum est, & confirmatur disertè ab Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 21. Canon concilij Carthaginensis III. à Caluino citatus, est N. 23. Rectaque est & legitima Caluini conclusio. Nam ex illius Concilij decreto (quod hîc faretur quoque Bellarminus col. 1514. L. D.) ad solum Deum Patrem preces suas dirigere debent Christiani: ergo neque ad Sanctos, neque ad Sanctas, neque ad Angelos, quoniam ij neque Deus sunt, neque Pater Christi.

Octauo rectè Pontificiis obiicit Caluinus, eos esse plane blasphemos, dum precantur Sanctos, vt sese è cœlo respiciant. Id quod soli Deo competit, vt apparet 1. Reg. 8. per totum 1. Timot. 2. vers. 8. Ps. 3. vers. 5. Et hæc quidem nostra aduersus erroneam Papiſtarum sententiam de inuocandis Sanctis mortuis argumēta planè confirmant, Bellarmini autem solutiones euertunt.

Ad Cap. xvii.

Magna est hoc loco fraus Bellarmini, vt idolatriam, cuius & ipse, & socij verè à nobis damnentur, depellat. Ergo æquiores iam se præbere videtur, dum eos damnat, qui Sanctos

de-

defunctos inuocant, velut bonorum, quæ ab illis homines postulant, autores. Nec verò fuit isti in eo probando laborandum, quod hîc tamen facit, vt huiusmodi creaturarum inuocationem esse meram in Deum blasphemiam demonstraret. Res enim ipsa per sese patet, estque manifestissima, neque modo ex locis quos ipse citat ex Dei verbo, Iac. 1. vers. 17. verum etiam ex his, Ps. 4. vers. 7. 36. vers. 10. 112. vers. 4. Eccles. 3. vers. 14. Malach. 3. vers. 6, Psalmus autem (quem hic pro se profert) 121, qui vetat ne ad montes, id est, Sanctos vllos pressi oculos attollamus, Bellarminum, & omnes istos Sancticolas manifestæ idololatriæ (quæ apud Deum & pios viros est grauissimum scelus) arguit. Itaque se suo gladio iugulat iste.

In hoc autem potius fuit Bellarmino sudandum, vt doceret se, suosque, dum sanctos Mortuos inuocant: illis templa, Aras, Sacrificia, Festû, officium constituunt: illos cœli, terræ que præsides, quemque suæ partis esse contendunt: eos Beneficiorum quæ ex cœlo & terra percipimus, dispensatores fingunt: se, inquam, & suos non inuocare Sanctos defunctos, velut bonorum, quæ ab his petunt, veros autores. Quis enim hoc posterius ex illo priore consequens omnino, & necessarium esse non videt? Nam si cœli, terræ, Mûdique huius rotius administratio ad Sanctos defunctos pertinet (id quod Pontificij volunt, & plenis buccis vociferantur) si plouïæ, si serenitatis, si victoriæ, si felix successus rei alicuius à singulis illis sanctis pender, quemadmodum ipsi docent, quomodo non sunt Sancti illi bonorum

istorum autores, ac largitores veri? Hanc confessionem qui nō videt, nihil videt: sed cæcus est.

Sed quid pluribus opus est? Ipsemet Bellarminus seipsum refutat, nostram sententiam confirmat. Fatetur enim (quia negare non potest) hoc ipso capite col. 1515. L. C. sic Sanctos Jesuatos sine circuitione à suis inuocari, *Sancte Petre miserere mei, da sanitatem corpori, da patientiam, da ceteras animi virtutes: Maria mater gratie, mater misericordia, Tu nos ab hoste protege.* Quibus verbis quis non intelligit & audit Sanctos, velut ipsos bonorum autores appellari, ac inuocari ab his, qui sic eos alloquuntur & interpellant? Id quod & concilium Carthaginense 111. cap. 23, & Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 21. demonstrantur. Sed dum vitant stulti vitia in contraria currunt. In summa plenum est hoc caput & ostentationis Bellarmini in re ab omnibus concessa: & contradictionis sibi ipsi.

Non valet similitudo phrasæ hîc proposita ex Roman. 11. vers. 14. 1. Corinth. 9. vers. 19. *Vt aliquos ex his seruem, ait Paulus, & Lucrifaciam.* Nā Paulus, Apostoli, Ministri verbi Dei, imo vnusquisque nostrum pius potest, velut Dei instrumentum, alium seruare, quandiu in his terris cū eo viuit, docendo, mouendo, cohortando 1. Timoth. 4. vers. 16. 1. Corint. 9. vers. 22: post mortem autem idem præstare alius alij non possumus: quare neque Sancti possunt, quia mortui sunt. Intercedere autem & orare pro nobis apud Deū minimè non possunt, quoniam vnus est dūtaxat noster apud Patrem Mediator, Dominus noster Iesus

Iesus Christus, Iohan. 16. vers. 23. 1. Timoth. 3. vers. 5. 1. Iohan. 2. vers. 1. 2. Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 8. *Non sunt, ait, multi mediatores, item in Psal. 108. Ambrosius lib. de Isaac cap. 8. Christus ipse est os nostrum, oculus noster, dextera nostra.*

Denique quàm inanis est ista Sanctorum inuocatio, quum ipsimet Sancti, teste hoc loco ipso Bellarmino, intercessore opus habeant, vt à Deo exaudiantur, nempe Christo? Sunt enim isti Sancti intercessores, vt hinc loquitur Bellarminus, Mediat: Christus autem solus Intercessor & Mediator immediatus, ergo frustra illi inuocantur, quum nobis ad Christum pleno saltu ex Christi ipsius præcepto, accedere liceat. Est enim in cœlis, vt pro nobis ipse interpellet Hebr. 7. vers. 25: & frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Verùm vertiginis spiritu abripietur Bellarminus, quam hæc sibi tam pugnantia in eodem tamen capite scriberet, & totam Sanctorum inuocationem, quam tueri vult, euerteret & perderet.

Ad Cap. xviii.

DVæ sunt huius capituli propositiones, vtraque falsa, quo sensu quidem eas habet, & intelligit Bellarminus. Prima est, Sanctos, qui iam in cœlum recepti sunt, orare Deum in genere pro nobis, qui hic viuimus. Hic autem *orare* sumit iste pro interpellare Deum, & ab eo pro nobis postulare in vniuersum ea, quæ sunt nobis ad huius terrenæ vitæ commoditatem, vel salu-

tem, vel conseruationem necessaria. Hæc uerò sententia falsissima est. Primum, quòd Beati, & Sancti, qui in Domino mortui sunt, ac proinde in cælum recepti, quiescunt in cælo ab omni animi labore ac sollicitudine, siue pro seipsis, siue pro aliis, tum uiuis, tum mortuis, Apocal. 14. uers. 13. Imo ne hæreditatis quidem, quam hîc reliquerunt, vel meminerunt illic, curam habent Pl. 39 uers. 7. 49. uers. 13. Iob. 3. uers. 17. 18.

Deinde quòd ea quæ in his terris geruntur, mortui, siue Sancti, siue non Sancti, ignorant, Eccles. 9. uers. 5. Ergo pro iis precari Deum non possunt, siue generaliter, siue peculiariter.

Tertio, quòd cum oratio sit, teste Damasceno, *ἡ προσηγορία αἰτησις*, id est, decentium precatio & postulatio. Decentia autem ad personas, res, tempora, cæterasque circumstantias referantur, atque ex his æstimentur, certè qui circumstantias huius status Mundi, illiusque gubernationis ignorat, neque generaliter, neque peculiariter quicquam decens pro Mundo isto precari potest. Atqui Sancti defuncti regimen huius Mundi, illiusque circumstantias prorsus ignorant. Quare pro eo non precantur.

Nam quòd aiunt isti, eos in Dei facie, uelut in speculo, cernere ac intueri quæ hîc geruntur, est & commentitium, & in Deum blasphemum, cuius faciem hoc pacto corpoream fingunt, in qua corporea represententur & reflectantur ad oculos Sanctorum. Quòd obiiciant quoque etiam post hanc uitam manere charitatem in Sanctis 1. Corinth. 13. uers. 13, Respondeo, Primum non ad eas.

easdem erga nos præstationes exercendas, quas
 viui exercuerunt. Viui pro nobis nostrarum mi-
 seriarum conscij precabatur, Hebr. 13. ver. 3: mor-
 tui non possunt pro nobis precari, quoniam eas
 nesciunt, Augustinus Hom. l. 8. in I. Iohannis, &
 Thomas ipse in lib. 4. Sententiarum Dist. 50. Ar-
 tic. 4. Ad secundum. Deinde respondeo, eam cha-
 ritatem in hoc duntaxat positam, quod Sancti
 beati in cælo totam ecclesiam dei simul solùm
 colligi postulant, & secum in Christo coaduna-
 ri, vt regnet plenè solus deus; & mali puniantur,
 non vt quicquam pro hac nostra vita orent, A-
 pocal. 5. ver. 8. 6. ver. 10. Augustinus Serm. 4. de
 Sanctis. Bernard. Serm. 3. de Feste omnium San-
 ctorum.

Iam verò ad ea argumenta respondeamus,
 quæ Bellarminus pro prima illa Propositione
 sua profert, quæ omnia eo fallaciæ genere labo-
 rant, quæ est A non causa, seu falsa locorum Sa-
 cræ Scripturæ interpretatione.

Prima Bellarmini ratio est ex Hier. 15. ver. 1,
 vbi Moyses & Samuel dicuntur pro Dei populo
 in cælo precati. Recte respondit Calvinus hoc
 esse falso falsius. Ego addo, vt Caluini responsio-
 nem confirmem hæc duo. Primum hypotheticas
 locutiones nihil ponere, & affirmare. Illa vero
 Hieremiæ locutio est hypothetica. Deinde dico
 fallaciam esse à figura dictionis. Ait enim Domi-
 nus, Ne, si illi quidem, quantumuis Sancti, pre-
 centur in cælo, à se exauditum iri. Ergo locus i-
 ste non confirmat, sed reiicit Sanctorum defun-
 ctorum pro viuis apud Deum preces. Eodem

modo Ezech. 14. vers. 14. & 20. verba hæc, *etsi Noachius, Daniel, Iob. es sint in medio huius civitatis, eam non liberabunt*, ostendunt, preces etiam istorum pro civitate Hierusalem reiciendas à Deo, quâvis offerrentur; idque ipsum fatetur Bellarminus verum esse, si diceretur, *Sistarent* col. 1516 L.D. At verbum Hebræum *Iahamod* tam propriè, *Sistarent*, quàm, *sisteterint*, verti potest, uti Ezech. 14. vers. 20. Ergo vana est, & in sola verborum captatione posita hæc prima & fortissima Bellarmini ratio.

Secunda ratio est ex lib. 2. Macchabæorum, ca. 15. vers. 14. *Respondeo*, sicut Calvinus, liber iste secundus Macchabæorum est plane apocryphus. Nec obstat quòd in Concilio III. Carthaginiensi inter Canonicos recensetur. Nam in libris Canonicis à non Canonicis distinguendis sæpè variavit ecclesia. Præterea Canonicum in illo Concilio opponitur profano scripto, quales sunt libri Ethnicorum. Ergo solum maioris auctoritatis statuitur in ecclesia liber iste, quàm historia Titi Livij, aut libri M. Ciceronis, de Divinatione. Denique Augustinus, qui illo Concilio III. Chartaginiensi interfuit, inter sacros & verè canonicos libros Macchabæos non recenset lib. 2. cap. 8. de Doctrina Christiana ne Canonicum in eo Concilio librum pro sacro & authentico sumi putet Bellarminus. Confirmatur nostra solutio & interpretatio cap. *In canonicis* dist. 19, ubi ait glossa, *omnes, quæ Canonice Scriptura vocantur, non eadem veneratione recipiuntur.*

Tertia ratio ex Apocal. 5. vers. 8. *Respondeo* lo
cus

cus iste non docet Seniores illos *xxii.* obtulisse, pro viuis in hac terra preces deo: sed solum eos cum cæteris, qui in cælo sunt, Sanctis deum laudasse, hisque præiuisse, vti apparet ex similibus locorum collatione, nimirum Apocal. 14. vers. 3. 15. vers. 3. Preces autem è solius Angeli, id est, Christi manu acceptat deus, Apocal. 8. vers. 4.

Quarta ratio ex 2. Petri. 1. vers. 12. & 15, nihil ad mortuos pertinet, sed ad viuos. Pollicetur enim Petrus fore, vt viuus ea scripta ædat, per quæ tota ecclesia instruat, non vt pro ea Mortuus precetur.

Quinta ratio ex Luc. 16. vers. 28. est nihili. Est enim tota illa narratio de epulone parabola, ex qua nihil, præter præcipuum Scripturæ scopum, colligi debet aut potest, teste Hieronymo.

Sexta ratio ex Apocal. 6. vers. 10. nihil hunc iuuat. Respondeo enim ex Bernardo Serm. 3. de Festo omnium Sanctorum, Sanctos illos precari tantum, vt resurrectio generalis, totiúsque ecclesiæ collectio in vnum fiat: non quicquam vel in generali, vel in speciali, pro necessitatibus viuentium in his terris à deo postulare.

Ad vltimam Bellarmini rationem iam respondimus. Et si enim charitas manet etiam post hanc vitam, tamen non ad easdem præstationes, vti diximus, etiam ex Thoma.

Altera propositio Bellarmini in hoc capite est hæc, Sancti in cælum recepti pro nobis in hac terra viuis orant in particulari. Hæc secunda thesis non solum est perinde falsa, atque prior: sed etiam magis falsa, & ex iisdem illis rationi-

bus & cauffis, ex quibus prior huius capituli the-
fis falſa demonſtrata fuit, Nempe, Quòd beati
in cœlo neque res noſtras norunt, neque huius
Mundi vel in generali, vel in particulari ſtatum
(quemadmodum neque nos eorum, qui ſunt in
cœlis, res & πολιτεύματα nouimus) neque vlla ſol-
licitudine huius terræ tanguntur.

Contrarias tamen Bellarmini rationes age iã
audiamus. Prima ratio eſt, Angeli beati curam
noſtri in peculiari gerunt, Zachar. i. ver. 8. Daniel
10. ver. 5. Pf. 91. ver. 11: ergo & Homines Sancti
in cœlum recepti. Reſpondeo, duplex eſt in hoc
argumento fallacia. Prima A non conſequentē.
Nec enim de Sanctis beatis affirmari illud omne
potest, quòd de Bonis Angelis tradit S. Scriptu-
ra, velut, quòd Spiritus hominum beati à deo,
velut Miniſtri & Speculatores mittantur, Pfal.
103. ver. 20. Hebr. i. ver. 7. Pfal. 104. ver. 4. Quare
conſecutio iſta non valet ab Angelis beatis ad
homines Sãctos. Altera fallacia eſt A Non cauſa,
vel Ab ignoratione Elenchi. Ceſſat enim ra-
tio in Sanctis defunctis, propter quam Angeli
beati in particulari nos iuuant, Nempe quòd hi
à deo nobis præficiuntur, velut cuſtodes noſtri
Pf. 34. ver. 8. Pf. 91. ver. 11. Genef. 32. ver. 2. Matth.
18. ver. 10. Actor. 12. ver. 15. Sancti verò defuncti
nobis in his terris non præficiuntur. Sed neque
omnes Angeli beati res meas norunt: ſed ij tan-
tum, quibus me deus commendauit.

Secunda ratio eſt ex Apocal. 2. ver. 26. 3. ver. 12.
& 21, Sancti defuncti dicuntur Regere Gentes
virga ferrea, ſedere in throno Agni: ergo cuſto-
dia

dia rerum harum humanarum illis est à deo demandata, uti Davidi Regi, de quo idem ait Ps. 2. vers. 9: & sicut Angelis beatis. Respondeo, Verè pij & fideles & hic viuentes ex parte: & post hanc vitam plenius in Christo, dicuntur sedere in cælis, regere Mundum: eum que iudicare, & Gentibus dominari Ephes. 2. vers. 6. Colos. 1. 3. 1. Corin. 6. vers. 3: propterea tamen Sancti illi defuncti neque nobis priuatis, neque Regnis Mundi regendis à Deo sunt præfecti. Quare dissimillima semper est Angelorum & Sanctorum in cælis conditio & sors: neque quod de illis dicitur, itidem de his affirmari vere debet, aut potest. Quod verò de significatione huius phrasos. *Virga ferrea regere*, pluribus differit Bellarminus, est ἀποδοῖον, & ad ostentationem tantum, non autem ad rem ac propositum additum. Concedimus enim pios & nunc, & post mortem regere impiū Mundum, quatenus Christus eum regit, cuius regni, utpote illius mēbra, sunt participes, & ex eo summam vtilitatem sentiunt, capiuntque.

Tertia Bellarmini ratio est ex nonnullis, ut ipse inquit, Patrum testimoniis. Verum ad illa respondeo dupliciter, primum istas Patrum locutiones & phrasas esse tantum flosculos orationis, & rhetoricationes, nō autem asseuerationes eorum, aut firmas doctrinæ, quam proponant Patres, sententias, & dogmata. Itaque figura dictionis pueriliter fallitur iste. Deinde non quid Patres dixerint, sed quàm vere & dei verbo consentienter scripserint, nobis spectandum est. Sunt enim Prophetæ & Apostoli Patres Patrum, apud

quos nulla extat eiusmodi vel oratio, vel doctrina, vel phrasis.

Quarta Bellarmini ratio sumitur ex revelationibus à mortuis factis, & eorum apparitionibus, qui affirmarunt se in cœlis pro hominibus in hac terra viventibus peculiariter orare Deum, & que postulant, impetrare. Respōdeo, non ex mortuorum revelationibus, sed ex Mose & Prophetis, id est, ex verbo Dei scripto fides nostra seu Christiana firmanda est. Luc. 16. vers. 29. & 31. ff. 3. vers. 19. & 20. Quid igitur nos ad istas nugas remittit, aut reuocat supersticiosus iste & ὀνειδοςὼλης Monachus, & carduos pro veris cibus obiicit?

Ad Cap. XIX.

HOc caput XIX est totius superioris disputationis scopus, nimirum, Vt nos Bellarminus tandem ad Angelos, & homines Sanctos, qui sunt defuncti, inuocandos induceret, id est, ad summam & scœdissimam tum idololatriam, tum in Deum & Christum blasphemiam homo impius impelleret. Ac quidem ad idololatriam, quoniam ad creaturas, Angelos nimirum & homines, inuocatio, id est, illud, quod vni Deo debetur, sibi que reseruat ipse nefariè transfertur. ps. 50. vers. 15. 91. vers. 1. Ad immanem autem blasphemiam, quoniam propriam Christo dignitatem adimit iste, nempe nostri, & quidem vnus, apud Deum aduocati munus, quod illi pater dedit Iohan. 16. vers. 23. 1. Timoth. 2. vers. 5. 1. Iohan. 2. vers. 1. 2.

Porrò in huius suæ Propositionis ex superioribus

bus eliciendæ collectione Bellarm. miserimè, ac turpissimè fallitur, nempe Tripliciter, à non consequente. Nec enim consequens est, ut, qui res nostras norunt, inuocentur à nobis omnes. Nam Diaboli eas cognoscunt, & vident, Job. i. v. 7. neque tamen illi sunt à nobis inuocandi. At qui putat iste hoc esse iustum inuocationis Sanctorum Angelorum & Hominum fundamentum, quod illi res nostras norunt. Quæ etiam præsuppositio, uti docuimus, in hominibus omnino falsa est: in Angelis: ex parte. Soli enim Angeli illi res nostras cognoscunt, quibus nos Deus commendauit, non autem alij.

Secundo loco non est hoc, quod tamen iste putat, consequens, Aliqui pro nobis curam gerunt, sumusque iis commendati: ergo illi sunt à nobis inuocandi. Nam & Principes, & Pastores nostri de nobis curam habent, neque tamen sunt inuocandi: sed solus Deus, ut autor bonorum nostrorum: solus Christus, ut Aduocatus, ac intercessor, Ps 50. ver. 15. Iohan. 16. ver. 23.

Tertio loco non est istud quoque consequens, Quæpiam creatura nobis charitate cõiuncta est: ergo est à nobis inuocanda. Debemus quidem alij aliorum preces, sed viuentes in his terris, postulare ex Dei præcepto Iacob. 5. vers. 16. Sed inuocari nemo potest Angelus, vel Homo, quia in quem nõ credimus, nec eum inuocare debemus. Est enim inuocatio fidei iustificantis comes perpetua, & effectum indiuiduum Roman. 10. vers. 14. Nulla creatura potest inuocari, ut Deus, quia Deus non est. Non potest inuocari, ut noster in-

tercessor apud Deum, quia solus Christus est noster intercessor 1. Timoth. 2. Denique nemo est noster intercessor, nisi quem Deus expresse in suo verbo scripto intercessorem constituit. Nemo enim in ecclesia dei sibi usurpare debet, aut potest honorem Hebr. 5. vers. 4.

Sed quid verbis opus est? Vtraque Bellarminica Propositionis pars aperte dei verbo damnatur. Ac quidem, prima hæc, Angelos Sanctos esse inuocandos ex Coloss. 2. vers. 18. vbi sine circuitione cultus Angelorum, & inuocatio à Paulo grauissimè reprehenditur. Item Concilij Laodiceni, ac totius orthodoxæ ecclesiæ voce cap. 35. vbi qui Angelos colant, segreges ab ecclesia fieri, atque publicè excommunicari iubentur. Denique iam pridem Angelici Hæretici, qui hunc errorem tuebantur, errare dicti sunt, ac reuicti, Epiphanius Hæresi 60. Augustinus lib. de Hæresib. cap. 39. can. *Quidam sunt* 24. quæst. 3.

Secunda pars Propositionis Bellarminicæ, est hæc, Sanctos defunctos esse à nobis inuocandos, quæ itidem Dei verbo refutatur. Primum, quia nullum est Dei de ea re præceptum, id est, de Sanctis istis inuocandis, & à nobis interpollandis. Deinde quia vel inuocantur sicut Deus, vel sicut Intercessores. Non vt Deus, quia sunt creaturæ. Non vt intercessores, quia solus Dominus noster Deus & Homo est noster apud Deum intercessor 1. Timoth. 2. vers. 5. Nam superiores rationes nostras hîc repetere, nihil necesse est.

Argumenta verò Bellarmini contraria iã perpendamus. Pro Angelorum inuocatione citat. Genes.

Genes. cap. 48. vers. 16. *Angelus, qui me eruit de omnibus malis, benedicat isti pueris.* Ergo Angeli sunt inuocandi. Respondeo, est fallacia duplex, vna à non consequente. Nec enim quicumque nobis opitulantur, sunt inuocandi, sed hi soli, in quos fide iustificante credimus, Roman. 10. vers. 14. Altera ab ignoratione Elenchi. Is enim Angelus, de quo agit Iacobus, fuit Christus æternus ille dei filius & verus deus: non vnus ex Angelis creatis 1. Corinth. 10. vers. 9.

Citat iste locum Iobi cap. 5. vers. 15. vers. 15. 19. vers. 21. Respondeo, hi loci omnes ad homines, & eos quidem in his terris viuos pertinent: non ad Angelos. Id quod textus ipse indicat manifestè.

Locus ex Iobi cap. 33. quem citat iste, v. 23. nihil ad beatos Angelos pertinet: sed ad homines in his terris viuos, & dei nuntios, qui sanis admonitionibus errantes & peccantes alios in viam reuocant, vt docet Iacob. 5. vers. 19. Iudæ epistola ver. 22. & 23. Augustinus, Sermone xviii. in Matthæum in fine. Prouerb. 28. vers. 27. Ergo illi laudatur. Sic igitur ex Hebræo locus ille vertendus est. *Si adsit ei nuntius, interpret vnus ex mille, qui indicet homini equitatem illius Dei.* Quare crimine falsi tenetur iste, qui tam pulchrum & sanctum locum corrumpit, ac adulterat: aut crimine læsæ Maiestatis diuinæ, vt pote qui falsum dei edictum & locum supponit, & fingit. Sed neque locus iste de inuocatione vlllo pacto agit siue hominum, siue Angelorum sanctorum.

Locus ex Iobi cap. 4. vers. 18. hunc prorsus euer-

tit. Ostendit enim ne Angelos quidem ipsos sanctos coram Deo consistere, nisi ex Dei electione, posse: nedum vt pro nobis orent, & nostri sint apud eum intercessores 1. Timoth. 5. vers. 21. Neque etiam illic de patrocinio, vel inuocatione sanctorum Angelorum agitur, vel *ὑπὸ* quidem.

Et hæc quidem sunt Bellarmini pro inuocatione Angelorum rationes omnes falsæ, & fallaciæ à non causâ, id est, à falsa S. Scripturæ interpretatione, quemadmodum ostendimus.

Pro Sanctorum verò hominum defunctorum inuocatione iam istas profert, quæ sunt crambæ millies à suis repetita, à nostris millies confutata.

Prima igitur ratio istius est, In Veteri Testamento pij viri precantes Deum meminerunt Abrahami, Isaaci, Iacobi, Dauidis, Exod. 32. v. 13. pl. 132. v. 11. Reg. 15. v. 4: ergo pij viri sanctos mortuos sub Veteri Testamento inuocarunt. Respondeo. Imò ipsemet Bellarminus istud consequens negat. Patres enim ante aduentum Christi in cœlū non intellexisse, aut nouisse preces supplicantiū, hîc scribit col. 1521. L. A. Ergo frustra tunc inuocabantur, quum non exaudirēt suos clientes ac precantes. Deinde respondeo ex ipsomet Dei verbo Exod. 34. v. 1. nomine Abrahami, Isaaci, & c. non ipsas propriè eorum personas: sed fœdus Dei cum iis pactum conuentum per *νομήσαι* intelligi. Sic 2. Chronic. 6. v. 15. 16. 17. pl. 132. v. 10. 11. Id quod verissimè responderat antea Ioannes Calvinus, & est verissimum.

Secunda ratio Bellarmini est, Viuentes sancti à viu-

viventibus sæpe inuocantur, 1. Sam. 7. v. 8. Iob. ult.
 Rom. 15. v. 30. ergo & sancti defuncti à nobis vi-
 uentibus inuocari piè possunt. Respondeo, Du-
 plex est hoc loco fallacia. Vna à petitione Princi-
 pij. Est enim falsum, Homines sanctos viuos à vi-
 uis inuocari. Nos quidem pij aliorum piorum
 precibus apud Deum commédamus, eaque exi-
 gimus Eph. 6. v. 19. Coloss. 4. v. 18. 1. Thessal. 5. v. 25.
 Verùm eiusmodi commendatio, & petitio toto
 genere ab inuocatione ista religiosa differt. Nam
 hæc commendatio ex eharitate manat, qua alij a-
 lios in Christo diligere debemus. Illa inuocatio
 ex fide, & certa animi in eum, quem inuocamus,
 fiducia oritur. Itaque pueriliter fallitur iste, qui
 hæc tam diuersa confundit. Altera fallacia est Ab-
 ignoratione elenchi. Viuentes enim in his terris
 homines nostras res norunt: at mortui non no-
 runt, vti supra docuimus. Ergo diuersa vtrorum-
 que conditio facit, vt eadem vtrique nobis præ-
 stare non possint. Est enim post mortem in no-
 bis etiam in cœlis manet charitas, tamen non ad
 easdem præstationes, quas hîc exhibebant, Tho-
 mas in 4. Sent. dist. 50. Art. 4.

Falsum verò est à nobis non posse responderi
 isti Bellarmini rationi. Nos enim, imò ante nos
 Calvinus, & omnes nostri hunc aduersariorum
 fumum clarè disploserant, & discussserant. Nam
 sancti defuncti nec possunt, quia res nostras igno-
 rant, pro nobis precari. Nec volunt, quia Christo
 suam solius Advocati dignitatem rapere nolunt.
 Deniq; scripsit supra cap. 17. ipse hîc hos sanctos
 mediatore pro sese apud Deum egere, & esse Me-

diatores Mediatos: id quod in eos ridicule dicitur.

Tertia ratio istius sumpta est ab hominum auctoritate. Respondeo. Non quid homines sine dei verbo scripto senserunt, spectandum aut sequendum nobis est: sed quid deus ipse nobis præscribat. *Scrutamini Scripturas*, inquit Christus Ioan. 5. v. 39. 2. Timoth. 3. vers. 16. Ergo quicquid dixerint, scripserintve homines absque dei verbo, facessat, ac fileat. Solius autem dei vox pro nostræ veræque fidei fundamento statuatur, stabiliatur, audiatur. Nam Angelos ipsos inuocari vetat, ceteri sanctos, Concilium Laodicenum cap. 35. cur igitur Homines inuocant isti?

Quarta ratio Bellarmini ducitur à Miraculis, quæ ad doctrinam de inuocatione Sanctorum confirmandam ædita esse iam olim nunc scribit. Respondeo ex 2. Thess. 2. v. 9. Satanæ ad suam doctrinam blasphemam confirmandam signa, prodigia, & miracula quoque facit, Matth. 24. v. 24. Apoc. 16. v. 14. Ergo non facti nouitas, sed fidei ex dei verbo, & doctrinæ certitudo spectanda à nobis est, & sequenda. Nam Concilium Carthag. 111. cap. 23, & Augustinus lib. 22. cap. 10. Ciuitate dei, Concilium Laodicenum cap. 35. Ambrosius in cap. 1. Romanorum. Idem Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 21, preces & orationem Christianam planè damnant, quæ ad Sanctos Angelos, vel Homines dirigitur. Quæ omnia & auctoritates Patrum hîc à Bellarmino citatas, & Prodigia illa ab eodem hoc loco commemorata prorsus euertunt & conuellunt manifestissime, vel variâ, & inccr-

& incertam Patrum de ea re sententiam fuisse demonstrant, ne quis Patrum aliud affirmantium dicta, velut fidei dogmata audiat, & Dei oracula & λόγια esse credat: & putet.

Ad Cap. xx.

Demum nostrorum contra suum errorem argumenta confutate nititur Bellarmin. Verum nititur tantum, nihil efficit: ac ne ea quidem eleuat, tam illa sunt firma.

Primum igitur nostrum argumentum est, Inuocatio Sanctorum defunctorum est in Deum blasphema. Solus enim ille est inuocandus, in quem est credendum fide, & quidem iustificante Rom. 10. ver. 14. Theodoretus lib. 8 ad Græcos. Ambrosius in epistolam ad Romanos cap. 1. v. 22, irridet similitudinem, quam isti afferunt, de Aulicis, & Tribunis interpellandis vt pateat nobis ad Regem accessus & aditus. Respondet Bellarminus, Non facit is iniuriam Principi, qui ipsius amicos honorat: sic neque Deo est iniurius, qui sanctos defunctos, velut Dei amicos, veneratur. Respondet Bellarmino. Primum Ambrosius loco iam citato disertè hanc similitudinem, & comparationem Dei cū Principe terreno negat, quia Deus cuncta videt, & audit: At terrenus Princeps non item. Deinde facit is iniuriam & Deo & Principi, qui amicum ipsius plus, quàm ipse Deus & Princeps velit & concedat, honorat. At qui Sanctos, velut suos apud Deum intercessores, inuocat, plus eos veneratur quàm Deus concedat. Nam eam dignitatem, eumque honorè Pater soli Filio suo

referuauit, in cuius despectum alij tribui neque debet, neq; potest. Ioan. 16. v. 23. 1. Ioan. 2. v. 11. Timoth. 2. vers. 5. Neque enim deus Pater, vel Filius suam gloriam alij dat; daréve nobis permittit, 1s. 42. v. 8. Matth. 24. v. 23. 24. Quare nullius momenti est Bellarmini solutio.

Quod autem, vt dictum Pauli, & Ambrosij sibi contrarium corrumpat Bellarminus, ait Ambrosium agere de inuocatione Sanctorum veluti dei ipsius: & nos in Sanctos fidem quoque habere, est falsissimum. Nam agit Ambrosius de Intercessione sanctorum, veluti Amicorum, & Tribunalium dei pro nobis: & Paulus quum inquit Roman. 10. v. 14. eos solum inuocari posse, in quos credimus, agit de fide iustificante, & quæ est plena animi nostri *αληθοφωρία* Coloss. 2. vers. 2: non de fide historica, aut partiali. Illa enim sola parit inuocationem, non autem hæc partialis. Ergo nihil ad Paulum & Ambrosium respondet Bellarminus.

Theodoretus dictum manifestæ idololatriæ Pontificios damnat, dum ille scribit, eos, quibus Aræ, templa, festa officia instituuntur proculdubio pro diis coli. Nam omnia hæc cultus diuini, & religiosi genera illi suis sanctis instituerunt.

Secundum nostrorum argumētum est, sit summa Christo domino nostro, dei æterni æterno Filio, iniuria, dum Sancti defuncti à nobis, veluti nostri apud deum Mediatores & Intercessores innocantur. Soli enim Christo munus hoc, dignitasque intercessoris Mediatoris competit, illique à deo Patre data est. 1. Timoth. 2. v. 5. 1. Ioan. 2. v. 1. Apoca-

Apocal. 8. ver. 4. Itaque negat Augustinus lib. 2. Contra Parmenianum cap. 8. Iohannem, vel Petram, vel Paulum, vel vllum Apostolum esse nostrum coram Deo mediatorem & intercessorem.

Respondet Bellarminus non inuocari Sanctos, vt Christum adiuuent, sed vt nobis opitulentur, & succurrant, quò faciliùs à Deo per Christum impetremus, quæ poscimus. Alioquin neque nos viuorum hominum preces iuuarent, quas tamen alij ab aliis postulare iubemur. Iacob. 5. ver. 16.

Respondeo Bellarmino primùm, eum sibi contradicere. Negat enim à nobis Sanctos orari, quò Christus adiuuetur: & tamen scribit per eorum vota & suffragia Christum à Deo faciliùs impetrare, quæ poscimus. Vnde apparet per eos Christum iuuari, atque hunc sibi ipsi contrarium esse, vt pote qui postea id affirmet, quod negarat. Itaque hæc solutio Bellarmini est nugacitas. Deinde manifeste fit per hanc eandem responsionem iniuria Christo, quasi solius Christi interuentus & sanguis pro nobis apud Deum non satis nos Deo commendet, & ab eo impetret: sed illi sunt adiungenda Sãctorum hominum suffragia quoque, vt sit Deo Patri commendatior sanguis ac Intercessio Christi. Id quod est omnino sacrilegum ac blasphemum *Torcular calcanti solus*, inquit Christus ipse, *neque alium quisquam fuit mecum.* Il. 63. ver. 3. Hebr. 9. ver. 11. 12. 13. Sanguis Taurorũ per Christi sanguinem commendabatur Deo: sed Christi sanguis per seipsum valet, non aliena ope, vel beneficio commendatur Patri Hebr. 7.

7. vers. 25 26.

Quod autem addit, si valet reicienda est defu-
ctorum inuocatio, damnandam quoque viuorū
pro nobis apud Deum orationem, fallitur pueri-
liter. Primum, quia viuos non inuocamus, vt no-
stros intercessores: sed duntaxat inuitamus & ar-
cessimus, vt communiter nobiscum precantes
Deum pro nobis. Vnde etiam Alexander Alenſis
Quæst. 92. hanc Bellarmini hæresin impugnat,
scribit etiam Sanctos eos, qui sunt in cœlis, te te-
nere ex parte orantium, non ex parte eius, qui o-
ratur. Deinde non videt iste lōge dissimillimam
esse Sanctorum inter nos adhuc viuētium, & co-
rundem à nobis per mortem absentium rationē,
vt iam millies diximus.

Ad locum Pauli 1. Timoth. 2. v. 5. *Vnus est Deus,
Vnus Dei & hominum mediator, homo Christus,* qui
est locus perspicuus, iste varie (suo more, quom
elabi non potest) & perplexe respondet. Primum
distinguit varias vocis Mediatoris significatio-
nes, & veterem duntaxat suæ scholæ cantilenam
nobis occinit, Christum esse solum Mediatorem
salutis & reconciliationis, sed non precum & in-
tercessionis. Responder Bellarmino, Primum so-
lum Christum in Dei verbo constitui Mediatore
& salutis, & intercessionis apud Deum pro
nobis. Salutis, ipsimet Scholastici concedunt, &
hic Bellarmin. col. 1528. L. D. Et hoc ipsum pro-
batur Hebr. 8. vers. 3. 9. vers. 14. Intercessionis autē,
apparet ex Hebr. 7. v. 25. *Semper in cœlo uiuit Chri-
stus, vt pro nobis intercedat.* Augustinus lib 2. con-
tra Parmenian. cap. 8. *Qui pro omnibus interpellat,*
&

et pro quo nullus, is verus est mediator, ac intercessor noster. Atqui talis est vnus Christus. Ergo vnus ille est Mediator Intercessionis pro nobis apud Deum.

Deinde hoc ipsum Christus ipse de sese liquido affirmat, Iohan. 16. ver. 23. Tertio, quæ conditiones & qualitates in vero intercessore nostro requiruntur propriæ quarto modo, soli Christo competunt. Requiritur autem, vt sit *iustus* I. Iohan. 2. vers. 1. *Deus et Homo*, I. Timoth. 2. vers. 5. & 3. vers. 16. item *vt sit Innocens, Impollutus, sanctus* Hebr. 7. vers. 26. Atqui solus Christus talis est: ergo solus noster apud Deum intercessor est. Nam & supra cap. 17. falsus est Bellarminus Sanctos qui in cælo sunt, etiam & ipsos Mediatore apud Deum egere, item hoc capite col. 1329. L. D. & esse nostros Mediatore Mediatos: vnum autem Christum esse eorum Mediatorem, & immediatum.

Quod autem tria Mediatoris significata & officia col. 1329. L. A. recēset iste, ineptit, & fallitur. Nec enim qui inter duos iudicat, vter iustum & æquum petat, Mediator est, sed Iudex, vel saltem Arbitr. Item qui pro misero debitore & inope apud creditorem supplicat tantum, propriè Mediator non est, sed tantum deprecator. Denique Iudit iste in ambiguo. Nam in toto hoc argumento *Mediator* apud Deum sumitur ille, qui sua satisfactione, vel opere aliquo suo pro nobis apud Deum pacem, & commendationem comparat, aut comparauit: Deum, & ipse suis precibus propitium nobis reddit, teste hoc ipso Bellar. col. 1329 L. D. Id quod vnus Christi est proprium.

Nam Pater eum vnum nobis Iustitiam, Redem-
ptionem, Sapientiam & Sanctificationem dedit,
I. Corinth. I. vers. 30. Quamobrem sunt mera effu-
gia, & Laribula, seu infirma erroris praesidia istæ
Bellarmini solutiones, & astutiæ nouæ.

Aduocati, Intercessoris, Mediatoris nomina
transferri ad homines iste vult: sed addo, prorsus
impropriè, & *καταχρηστικῶς* vbi de nostra apud
Deum commendatione, defensione, & causa agi-
tur: non autem, vbi de nostra apud Homines re-
conciliatione. Verùm hæ tam diuersæ res, & que-
stiones nequaquam sunt (quod hîc facit, vt tene-
bras obiciat & offundat, Bellarminus) confun-
dendæ. Mediator apud Deum est, qui suo aliquo
facto & opere nos Deo conciliat, precèsque no-
stras illi gratas efficit. Mediator apud homines
est, qui quocunque modo causam nostrâ apud
eos tuetur, agit, & defendit. Moses autem propriè
Interueniens, inter Deû & homines vocatur Deu-
ter. 5. vers. 5. 33. vers. 2. Galat. 3. vers. 19. non autem
propriè *Mediator*, aut quo significato Christus,
qui vnicus est I. Timoth. 2. vers. 5.

Solutio ad Augustini locum nullius est mo-
menti. Planè enim ille negat vllos, præter vnum
Christum, esse nostros apud Deum mediatores &
intercessores.

Alteram causam affert iste, cur Christus solus
Mediator dicatur, nempe quoniâ ratione vtriuf-
que naturæ in vnus Christi personæ vnitatem
assumptæ seu coniunctæ, nempe diuinæ & Hu-
manæ, Christus est solus *μῆδος*, id est, medius inter
Deum & Hominem, quorum naturas habet.

Respon-

Respondeo, Et si hoc verum est, nihil tamen ad propositum & mentem Pauli pertinet, qui, dum Christum vnum Mediatorem nostrum vocat, & statuit, vnius duntaxat illius naturæ nimitum humanæ meminit: non autem vtriusque. Præterea solus Christus dicitur *Mēsōs* inter Deum & homines à Paulo: multa verò sunt *Mēsōs* inter Deum & homines, velut Cælum, Aer, Dæmones, vt aiunt Platonici, quoniã interiacent inter nos, & Deum & mediam quandam inter vtrosque naturam habent & sedem. Ergo inepte, quum Christus *Mēsōs*, & quidem solus, vocatur, hoc transfertur ad *Mēsōs*, & ista confunduntur à Bellarmino, quæ sunt dissimillima.

Tertia causa, cur Christus vnicus noster Mediator appelletur, affertur à Bellarmino hæc, quoniam ipse nullo Mediatore, apud Deum eget: reliqui verò, quantumuis Sancti, eo egent, & opus habent. Respondeo Bellarmino, Ergo ex 1. Ioan. 2. vers. 1. Ioan. 14. vers. 30. Sancti coram Deo aduocati nostri esse non possunt, vt pote qui, quum Mediatore opus habeant, fuerint, & per se sunt iniusti, polluti, non sancti Hebr. 7. vers. 26. neque Deum ipsi suis precibus propitium nobis reddere possunt, quod est proprium celestis Mediatoris & Aduocati Ioan. 17. vers. 19. neque preces nostras illi offerre audent, aut queunt.

Quod Augustini dictum. *Qui pro omnibus orat, & pro quo nullus, is noster mediator est*, circumscribere conatur, frustra fit, & laborat inaniter. Aper- tẽ enim docet Augustinus vnum Christum pro nobis orare, non Petrum, non Paulum: ergo ad

cos oratio nostra dirigi non debet August. contra Faustum lib. 20. cap. 21. Angelos verò beatos orare pro omnibus, est, vti supra docuimus, falsissimum.

Locus Pauli Coloss. 2. ver. 18. cultum Angelorum Sanctorum prorsus damnat, vnde quaque profecta sit hæc hæresis, siue primùm à Platonicis, siue à Poëtis Ethnicis, siue à Simone Mago. Itaque nihil soluit iste, neque Caluini telum euertit: sed eo vulneratur. Sed & Theodoreti sententia confirmat hunc errorem iam tum fuisse notum & receptum inter nonnullos Christianos, quos detestatur Paulus. Ergo multo magis eos, qui homines mortuos colunt, & inuocant. Id quod esse à nobis piis faciendum, contendit contra mentem Pauli Bellarminus, & contra Concilium Laodicenum cap. xxxv. omnia enim idololatriæ restimonia, quæ Diis suis Ethnici faciebāt, translata esse ad sanctos defunctos à Pontificiis testatur iste aperte col. 1530. L. D.

Tertium nostrum argumentum est, sancti defuncti ignorant quæ hic gerantur, & preces nostras non audiunt. 1. Reg. 8. vers. 39. Iob. 14. vers. 21. eccles. 9. vers. 5. Augustinus de cura pro mortuis cap. 13. lib. de vera religione cap. 55. Nazianzenus in fine orationis de Gorgonia sorore, Origenes lib. 2. in epistol. ad Romanos: ergo frustra à nobis inuocantur. Respondet Bellarminus dubitater, & varie. Nam primùm concedit Sanctos non cognoscere nostras preces: deinde hoc ipsum negat, tam est inconstans. Quare hæc desultoria leuitas & inconstantia in homine Theologo flagris

gris est dignissima, planèque propterea hæc solutio sibi contraria est reiicienda, & spernenda.

Verum rationes audiamus, per quas à Sanctis hominibus in cælo vult intelligi, quæ hîc, id est, in his terris geruntur, & fiunt. Quattuor autem modos ponit iste, vel recenset, per quos Animæ præsciant ea, quæ hîc geruntur, & à nobis solamente cogitantur. Nimirum primum per Revelationem iis factam ab Angelis huc, illuc discursantibus. 2. Per veram ubiuitatem piarum Animarū in omnibus locis. 3. Per aspectum earum in facie Dei, & à principio suæ celestis beatitudinis Thomas in 3.2. Quæst. 10. Art. 2. in 2. quæst. 83. Art. 4. 4. Per specialem revelationem illis à Deo de ea re factam.

Ex his autem quattuor modis Criticus iste seu Censor & Momus tres reiicit, Primum, quem tamen probari ab Augustino scribit. Secundum, quem vult esse Hieronymi contra Vigilantium, & Quartum, licet postea hoc donum à Deo piis Animabus dari ipsemet fateatur. Ergo & Patribus illis, quorum sententiam reiicit: & sibi ipsi planè contradicit. Sed quid facias? Ita homo est, Patres quum vult, ne flocci quidem iste Dictator facit: quum vult, Deos facit. Se verò nec audit, nec sua dicta curat, modò sese ostendet varietate opinionum, scrupulos animis iniiciat, omnia in dubium reuocet, satis habet, & probè se suo functum officio Hesuitico putat, iuxta illud 2. Tim. 3. *Semper querentes, & nihil addiscentes*: ergo donec ipse firmo animi iudicio, quæ ex his duobus postremis cognoscendis modis, eligat, & probet, declaraue-

rit, eum vt hominem vagum & incertum dimittemus. Quas enim contra seipsum, suamque illam animi dubitationem affert anxietates, ostendunt illæ hunc hominem esse prorsus animi pendentē in hac quæstione, ac incertum. Quis autem contra hominem dubium, & incertum, qui nihil firmi, fixique habet, disputet? aut quo nodo Protheum sese in omnes formas mutantem teneas? Constet primùm sibi, tum postea cum eo perspicuè agemus, non perplexè.

Solutiones, quas affert ad locos S. Scripturæ à nobis citatos ad tertij nostri argumenti confirmationem, sunt prorsus blasphemæ. Nam adimunt Deo, quod est ipsius proprium quarto modo. Nempe *καρδιω νόστω* esse, id est, Arcana mentis nostræ nosse, atque è cælo hæc terrena regere, ac speculari, Pl. 7. v. 10. 113. v. 6. & illud creaturis impiè communicant, ergo desinit esse propriū Dei. Sed & distinctio ista, deus hæc per se nouit, Sancti per reuclationem, non excusat Bellarmini blasphemiam: imò potius eam duplicat. Facit enim illos Sanctos, qui naturâ dii non sunt deos, quæ est fœdissima idololatria, Galat. 4. v. 8, dum iis tribuit proprium, & essentielle deitatis attributum. Nosse nimirum arcana humanæ mentis, Rom. 8. v. 27. 1. Cor. 2. v. 11. Ioan. 2. v. 25. Nam siue quis naturâ, siue ex communicatione habeat illud, quod est proprium vnius dei, euadit, & est deus. Ait enim ipse, Gloriam meam alij, quàm deo, non dabo, Il. 42. v. 8. Nec valet exceptio, deus Angelis ea Arcana reuclat, quorum Ministerio in hominibus conseruandis vtitur: ergo illi Angeli euadunt
 pij.

dij. Respondeo enim, Nusquam in Dei verbo tradi Deum Angelis reuelare in cælo mentis hominum arcana: sed dicitur tantū eos à Deo mitti in has terras, vt pios custodiant, quos illis dat, hisq; inferuiant, Pl. 34. v. 8. Genes. 32. v. 2. Hebr. I. vers. 14. Quamobrem deus illos Angelos, quorum Ministerio vtitur, mittit è cælo, vt videant, & sciant actiones piorum, quos ipsis commendat: non autem eas illis in cælo reuelat, vt habet, & vult exceptio.

Quartum argumentum nostrum est, Deus ipse beneuolentior est nobis, quàm Sancti defuncti, & prius quàm illi nos audit: ergo frustra inuocantur, vt Deus nos audiat, & propitius nobis esse velit, Iohan. 16. vers. 23. Heb. 4. vers. 16: Chrysostomus in Prefatione in Pl. 4, & Tomo. 3. Homilia de Profectu Euangelij. Respondet Bellarminus variè, & non vnum quiddam, sed multa, tamen omnia falsa. Primum igitur ait, Ergo viui pro nobis frustra orant. Respondeo, Non orant viui, sicut defuncti Sancti, velut intercessores nostri: sed tanquam nobiscum afflicti, orantque per vnum Christum Galat. 6. vers. 2. Hebr. 13. vers. 3. Ergo inanis est collectio, & falsa consecutio rerum toto genere diuersarū. Deinde inquit Deus paratus est potius Sanctos defunctos audire pro nostris afflictionibus, quàm nos ipsos. Respond. Hoc falsum esse. Nam Christus non Sanctos, sed nos ipsos pro nobis petere iubet: promittitque fore, vt audiamur nos, non illi. Ait enim, *Petite vos, & inuenietis: pulsate vos, & aperietur vobis.* Math. 7. vers. 7. Luc. II. vers. 9: non autem ait, San-

cti defuncti pro vobis petant, & inuenient. Tertio Bellarminus ait, Deus iubet Iobum pro suis amicis orare. Iob. 42. vers. 8, Abrahamum pro Abimelecho Genes. 20. vers. 7. Respondeo, Quonia & Iobus ab amicis, & Abrahamus ab Abimelecho offensi fuerant. Sed Sancti defuncti non sunt à nobis offensi, ergo neque precari pro nobis possunt. Præterea & Iobus & Abrahamus erant viuus: at hi Sancti sunt mortui, neque res nostras norunt.

Solutiones ad Iohan. 16. vers. 23. Hebr. 4. vers. 16. nihil valent. Nam illi perspicue ostendunt faciliorem patere nobis aditum ad Deum ipsam, quam ad sanctos mortuos. Locum Chrysoctomi plane corrumpit iste, dum ait eum de viuorum precibus agere: imò de mortuorum intercessione pro nobis differit, quam illic sine circuntione Chrysoctomus negat. Itaque mutat postea Bellarminus suam sententiam, & variat, nutatque in huius obiectionis solutione.

Quintum argumentum nostrum est, Christus ipse & dicto, & exemplo docet se vnum, vt nostrum apud Deum Mediatorem, inuocandum, Iohan. 16. vers. 23. 24. Luc. 11. Math. 6. Ipse non alius formulam precandi docuit. Qui dedit viuere, docuit orare, ait Augustinus: ergo sancti non sunt inuocandi.

Respondet Bellarminus, Christus non ait solum se, vt Intercessorem, inuocandum esse: ergo alij inuocari possunt. Respondeo Bellarmino, I-mo Christus se solum intercessorem esse nostrum, ait Iohann. 16. & ipsius quoque Apostoli sic sunt inter-

interpretati 1. Timoth. 2. vers. 5. 1. Iohan. 2. vers. 1.
Hebr. 7. vers. 25. hoc Christi dictum.

Sextum nostrum argumentum est, Nullum ex-
tat in tota S. Scriptura mandatum de Sanctis de-
functis inuocandis: ergo non sunt inuocandi.
Nec enim ex mandatis hominum est quicquam,
quod ad colendum Deum pertinet, agendum
Matth. 15. vers. 9. Respondet Bellarminus, Manda-
tum Dei de eo non requiri, quia necessitas id
nos cogit facere. Respondeo Bellarmino, Quod
offertur Deo sine ipsius præcepto, est ἐθελοθρησ-
κεία, ac proinde coram Deo execrandum, Deut.
12. vers. 8. Matth. 13. vers. 9. Colos. 2. vers. 23. Et quod
de necessitate excipit, ἀθεολογόν est. Nam mala
nunquam facienda sunt, & ea quæ sunt Deo exo-
sa, quæcunque instet, vel urgeat necessitas, ut bo-
na nobis eueniant Roman. 3. vers. 8. Quod deni-
que reperit iste Sanctorum inuocationem mira-
culis fuisse confirmatam, sunt ista miracula Sara-
næ prodigia, damnanda, reiicienda, ut pote, quæ
malam doctrinam inuehant, aut confirmet: non
autem probanda, aut attendenda, Sanctos in cæ-
lo videre, quæ hic gerantur, iam millies con-
futauiamus: sed iste regerit ineptè.

Septimum argumentum nostrum est, Nemo
vel adeo apud Principem etiam terrenum sibi
sumit Aduocati munus, aut alium honorem, ne-
dum apud Deum Hebr. 5. vers. 4: ergo Sancti de-
functi hoc munus sibi arrogare non possunt,
quod illis Deus in cælo non demandauit. Bellar-
minus nihil respondet. Imo id responder, quod
& ipsum, & socios iugulat, & falsi arguit. Negat

enim à suis Sanctos defunctos inuocari, velut Aduocatos nostros. Id quod ipsorum preces refutant manifestissimè, vt mirum sit istum tam impudenter mentiri vel potuisse, vel voluisse, præsertim Theologum.

Octauum nostrum argumentum est. Multi velut Sancti inuocantur, qui neque Sancti fuerunt, neque omnino extiterunt, velut Catharina, Christophorus, can. *Sancta Romana* Dist. xv. Responderet ambigue Bellarminus. Concedit enim multorum, qui Sancti vocantur, historias esse falsas & apocryphas. Ergo verum est, quod obiicimus: & tamen illi non Sancti tam ardentè, quàm veri Sancti inuocantur: neque alij ab aliis vlla nota distinguuntur ab istis Sancticolis, & idololatriis.

Nonum argumentum nostrum est, Sæctorum inuocatio prorsus ab Ethnicorum superstitione profecta est. Nam hi partim aras, templa, festa dicant iis hominibus, quos propter merita in cœlum receptos putant. Id quod Pontificij suis Sanctis omnino exhibent. Partim Deis suis Ethnicis certa in cœlo munia assignabant, vt hic Bello, ille Paci: ille Pluuiæ, hic serenitati aeris præesset. Id quod prorsus obseruant inuocatione suorum Sanctorum Pontificij. Ergo est res ista plane idololatrica. Idololatriæ verò vestigia omnia sunt inter Christianos delenda, & extinguenda. Quare & ista Sanctorum inuocatio tollenda est. Respondet Bellarminus, primùm nostris conuictiōdo, quos Iuliano Apostatæ successores facit. Ac contra sumus Cyrilli, Augustini discipuli, qui

ne-

negant quod hic iste concedit, id nimirum à Christianis exhiberi suis Martyribus, quod olim Ethnici suis Diis offerebant. Imo sumus Pauli & Iohannis, ac proinde Christi discipuli, qui discretè iubent vt ab omni idololatriæ specie abstinemus, I. Corinth. 6. vers. 9. I. Iohan. 5. vers. 21. Deinde respondet iste, Deum velle quædam concedere ad vnius Sancti petitionem: alia ad alterius postulationem. Respondeo, Hoc quidem dicit Bellarminus, sed non probat. Ergo diuinat, & nugatur more suo. Mentiri enim maualt, quàm veritati cedere, ac silere.

Decimum nostrum argumentum est, Sancti Homines, qui sunt in cælo, nihil corâ Deo meriti sunt: imo Christo Mediatore egent, vt Deo placeant: ergo non ad eos, sed ad Christum est nobis confugiendum. Respondet Bellarminus, sancti impetrant, non ex ratione meriti, sed quia sunt amici Dei. Respondeo: Imo & hoc ipsum, vt sint Dei amici, est pars meriti Sanctorum, si quid illi mereri apud Deum possunt, poterunt ve. Ergo falsa est distinctio Bellarmini. Deinde hoc ipsum, vt sint amici Dei, ex sola Christi gratia Sancti consequuntur, & habent, Iohan. 13. vers. 14. 15. Ergo quum affertur hæc causa, nostra sententia, & ratio plane confirmatur, ostenditurque non ipsos Sanctos (siue quod meriti sint, siue quod amici sint Dei,) esse inuocandos: sed Christum à quo ipso idem beneficium consequimur, quod illi Sancti defuncti, nos, inquam etiam hic viuim per fidem in eum, Nimirum vt amici Dei simus, ac propterea preces nostræ per eum, non per

Sanctos, sint Deo gratæ, & acceptę Iohan. 14. ver. 13. 15. ver. 14. 15. 16. ver. 23. Quare quicquid lingat animo, comminiscatur, excogitet Bellarminus, tela nostra non effugit, sed euertitur, & ipsius de Sanctorum mortuorum inuocatione grauissimus error confutatur. Et hæc quidem hæc-



AD LIBRVM SECVNDVM, QVI
EST DE RELIQVIIS, ET IMAGINI-
bus Sanctorum venerandis.

Ad Cap. I.

VER E illud in Psalmis Dauidicis, quemadmodū reliquā omnia, scriptum est, Pf. 42. v. 8. *Abyssus abyssum ciet, & innocat.* Nam ex errore nihil, nisi error, gigni potest: qui etiam paruus in initio, tamen in fine tandem magnus fit, & euadit. Quorsum ista? Nempe, Quod Bellarminus homo portentosæ superstitionis, ac monstrum ex omnibus antiquis & nouis hæresibus conflatum errorem errori (immane) addit, & hæreticas blasphemias non modò geminat: sed in infinitum accumulatur hæc libro, ac multiplicat. Ergo non contentus in Deum superiore libro blasphemasse immaniter, dum hominibus defunctis diuinum honorem attribuit, Aras, Temples, Festum, & officium: Domino nostro Iesu Christo sacri-

facrilego suum Aduocati & intercessoris munus ademisse, & in Sanctos defunctos impiè transtulisse. Iam hoc libro auget suos furores, & hominum idololatrias in immensum multiplicat, & prouehit, dum Sanctorum defunctorum & Reliquias, & mutas quoque brutasque imagines colendas esse scribit: quem vtrumque blasphemum errorem tuendum nunc suscepit. Nec enim inuitatæ semel idololatriæ finis vnquã ullus aut modus esse potest: sed illa semper crescit, quia malum semper ruit in peius.

A Veneratione verò Reliquiarum, quæ censentur esse, Sanctorum, orditur, quia plausibilis hoc illi visum est, & popularius. Ad quam tamen priusquam accedat, & se suamque sententiã breuiter, & perspicuè explicet, sese in conuitiis dicendis oblectare Monachus impudens, hoc & sequenti capite voluit, quæ tum in Veteres Patres tum in recentiores scriptores lingua, calamóque virulento, (qua est Monachali, & præsertim Hebraica modestia) contorquet, & iacit. Hoc capite & statim huius libri initio, Hieronymum, quem alibi Deum facit, duplicis mendacij accusat, quod & ante Eunomium velit contradictum fuisse Reliquiarum venerationi: & hoc ipsum à Iudæis & Samaritanis profectum. Sic Hieronymus in libro contra Vigilantium, & in epistola ad Riparium. Audi verò Bellarmine, si hos quæris, qui huic tue hæresi contradixerunt, alij extiterunt ante Vigilantium infinitis penè sæculis, quem tamen damnas quasi qui primus illi errori se opposuerit: & si huius (quod te oppugnat) nostri dogmatis sci-

scitaris primum autorem, est Deus ipse ille optimus Maximus, qui est ipsa veritas. Ac quidem Deus Henochi, Moſis, Eliæ (qui sanctiſſimè vixerant) corpora vel transferri ex hac terra, vel ignota eſſe in his terris voluit Genef. 5. verſ. 24. Deuter. 34. verſ. 6. 1. Reg. 2. ver. 10, ne eorum defunctorum reliquiæ colerentur: Iudæ epistola verſ. 9. Christus ipſe verus & ſolus eccleſiæ Doctor Mat. 23. ver. 8. damnat eos grauiſſime, qui Prophetarū, id eſt, Sanctorum ſepulcra ornarent, eodem Matthæi capite verſ. 29. Eſt igitur impius Bellarminus, qui Dei Chriſtiſque dogma appellet errorem, & oppugnet.

Autor verò iſtius Reliquiarum defunctorum hominum venerationis fuit Satã. Nam teſte Platone lib. 4. de Legibus, Quòd & ſepulcra mortuorum, & Reliquiæ honorantur, eſt Demonis Apollinis inuentum. Gregorius Turonenſis lib. 9. Hiſtoriæ cap. 6. refert in cuiuſdam Sancti capſula fuiſſe inuentas radices, dentes Talpæ, oſſa murium, & vulpium vngues conditos. Itaque totam iſtam ſuperſtitionem deteſtatur.

Argumenta verò noſtrorum delibat duntaxat hoc capite Bellarminus, nec omnia, nec fideliter: quæ hic non refutat, quia tempus ad deliberandum ſibi ſumpſit. Itaque demum capite quarto illa examinat, in quem locum & nos hæc omnia differemus. Itaque hoc caput, velut & ſequens, fuit tantum inanis oſtentatio iſtius Monachi, & & amarulenta in homines pios obreſtatio.

Ad Cap. 11.

EThoc quoque capite conuitiis in viros doctos euomendis oblectat sese Monachus iste Bellarminus. Magdeburgenses enim centuriatores, quibus viuentibus ne hiscere quidem ausus est pullus iste, mortuos suis virolentis telis impetit, & eos arrodit. Sed frustra. Facilis enim est omnium istorum vulnerum, quæ illis infligere conatur, sanatio. Eò tendit tota ista Bellarmini calumnia, vt probet, si potest, centuriatores in origine istius erroris indicanda sibi contradicere, dū alibi circa annū *cccc* ortā volunt, circa annū *cccc*, alibi circa annū *ccc*. Resp. verò Bellar. distinguenda esse tempora istius erroris de Reliquiarum Sanctorum veneratione seminati, aduti, & recepti, quæ Centuriatores doctè & disertè distinguunt: Bellarminus autem ea confundit. Prius enim seminatus est error iste, quàm adoleuerit: prius adoleuit, quàm in ecclesia fuerit receptus. Seminatus est circa annum Dm. *ccc*, *postea* adoleuit: post annū Dm. *cccc*. receptus est. Nam quod ait iste tempore Polycarpi Christianos Reliquias Martyrum seruasse, & coluisse, confutatur ab Eusebio lib. 4. ca. 5. Historiæ. Quod item de Petri & Pauli corporibus ad Catacumbas subsistentibus scribit ex lib. 3. epist. 30. Gregorij, illud & falsum est, & à Martino Polono in Cornelio Papa refutatur, & fabula esse narratur.

Secunda Bellarmini calumnia est ineptissima, Nam quam sit verissimum, Hieronymum nihil, nisi conuitia, proferre contra Vigilantium, in eoque modestia desideretur à piis omnibus,

& ab ipso quoque Gregorio, quid interest siue Erafmus, siue alius hoc scripserit? Hoc enim verum est, à quocunque dictum fuerit.

Tertia istius calumnia est, malè sententiã Augustini à Centuriatoribus explicari lib. 22. cap. 8. Civitate Dei, legatur locus ipse. Intelligent omnes Augustinum damnare superstitiones omnes Ethnicas, & illis similes, qualis est reliquiarum restarum Veneratio: solam autem Christianam religionem, qualis ab Apostolis prædicata & tradita est scriptis, probari, ac laudari. Ergo detestatur Augustinus eam superstitionem, quæ hic Bellarminus tuetur. Id quod collegerunt, & quidem rectè, centuriatores.

Quarta calumnia Bellarmini difflatur & evanescit ex lib. 8. Theodoriti contra Gentes solo aspectu. Damnat enim Theodoritus omnes Gentilium superstitiones, & illis similes. At hæc reliquiarum veneratio est planè gentilis, & ab iis orta, sicut ostendimus ex Platone.

Quinta calumnia istius est planè puerilis. Nam siue Babylæ corporis translatio fuerit prima, siue nõ, nihil refert. Certè constat Diabolum multa propter Babylæ corpus finxisse, vt etiam inter Christianos ista idololatriæ semina spargeret. Theodoritus lib. 3. cap. 10. Historiæ, ait fallacem tunc quoque fuisse diaboli vatem.

Sexta istius calumnia est miraculi, siue veri, siue falsi, allegorifatio, & cherubinica interpretatio ex meris nugis conflata.

Septima Bellarmini calumnia est stomachus in nostros, & impudentissimã tamen mendaciã.

Negat

Negat enim sciens & prudens illud, quod scit esse verissimum, Nempe Reliquias Sanctorum à suis coli. An nõ verò, quib. Aræ, tépla ponuntur, ad quas ex animi deuotione preces fiunt, non nequam ex res religiose coluntur? Hæc omnia Reliquiis istis Pontificij exhibent: ergo eas colunt religioso cultu. Imò vetitum est, Ne quò in téplo Altare, præsertim Magnum, exstruatur, in quo Reliquiæ alicuius Sancti aliqua ibi non cõdantur, collocentur, & inserantur, can. *De fabris*, & can. *Placuit* consecrat. Dist. I. Durand. lib. I. Enchirid. ca. 7. N. 23. & ipsemet Bellarmin. col. 1544. L. A. Qua igitur frõte hæc negare audeat Bellarmin. nisi quia est Hesuiticus & Monachus?

Ad Cap. III.

AT que hæc sunt leuiiores Bellarmini pro suo errore grauissimo uelitationes in nostros: iã uero iustam cum nostris certamen instituit pro se, suãque sententia cõfirmanda, & quas potest, rationes fingit animo, timatur, conquirat, obiicit, ut vincatur ueritas, vincat error. At uerò, sicut ait Hesy chius, Veritas est inuicta, & licet oppugnari possit, tamen expugnari non potest.

Rationes igitur Bellar. iã audiamus, quæ nullæ sunt: imo omnes sunt fallacię turpissimę & robustissimę, Partim A falsa S. Scripturę interpretatione: partim A nõ causa, id est, hominũ autoritate pro causa & iusto Dogmatis Christiani fundamento: partim deniq; A Peritione Principij, dũ asserunt ea esse uera, quę uel falsa sunt, uel controuersa. Et hoc quidem in generali ad Bellarmin. rationes nostram responsum esto: in particula-

ri autem hoc modo respondemus.

Ad exēpla ex S. Scripturę à Bellar. prolata, quę sunt sex numero, nullū iuuat cū, sed omnia profus oppugnāt, suntq; fallacię A falsa S. Scripturę interpretatione. Primū est Moses, qui Iosephi, vt est Exo. 13. v. 19. ossa trāstulit: ergo Moses istas Reliquias veneratus est, & coluit, sicut colūt Pōtificij, ara, templo, festo illis indicto & constituto. Resp. Primū fallacia est A nō cōsequente. Nec enim sequitur, Mosē hęc ossa Iosephi, vel in Ægypto, vel in terra sancta, aut deserto coluisse: sed ex Iosephi mādato & testamēto id fecit Moses Gen. 50. v. 25. quoniā hęc pacto suā de Dei promissionib. erga populū Israeliticū implendis fidem testari voluit, & fratres suos in iisdē confirmare stituit Iosephus. Ergo neq; venerationis, neque cultus gratiā hęc ossa sunt seruata, sed vt Iosephi testamentū impleretur. v. inde reliquorū etiā xii Patriarcharū ossa in terrā promissam foēre trāslata, & Sichemis cōdita, vt est Act. 7. v. 16. Hieron. testatur in Epitaphio Paulę: vbi tamē neque culta sunt, neque veneratione vlla, præterquā sepulcri, teste eodem Hieron. affecta, & decorata.

Secundum exemplum est de corpore Mosi, Deu. c. 34. v. 6. quod Deus ipse, inquit Bellar. propriis manibus sepeliuit. Resp. est fallacia A petitione Principij, falsum est enim Deum propriis manibus, quas nullas habet, sepeliuisse corpus Mosi. Angeli enim illud non ipse Deus, sepelierunt, vt Legem, id est legis Tabulas duas Mosi tradiderunt dederuntque Act. 7. v. 38. Gal. 3. v. 19. Exod. 31. ver. 18. Nec vt Reliquiæ Mosi hono-
raren-

rarentur id fecerunt Angeli: sed contra ne corpus & Reliquiæ Mosis colerentur, quod de Sanctorum suorum Reliquiis faciunt Pontificij. Ergo hoc exemplum & Bellarm. & Reliquiarum venerationem prorsus evertit.

Tertium exemplum est ex 2. Reg. 13. v. 21. ossa Elisæi excitant mortuum: ergo sunt veneranda. Respondeo est fallacia Ab ignorantia Elenchi. Non enim ossa illa Elisæi, sed Deus ipse istum mortuum excitauit, Actor. 3. ver. 12. Neque idcirco Deus voluit ex illorum ossium attractu mortuum excitari, vt hæc ossa colerentur, sed vt doctrina quam prædicarat Elisæus vera, diuina, & cælestis esse ostenderetur, ac confirmaretur: erat enim dei doctrina.

Quartum exemplum est ex 2. Reg. 23. v. 18, vbi Iosias rex Prophetæ dei sepulcrum & ossa vetat attingi, & vt ossa pseudoprophetarum, everti: ergo & reliquiæ Sanctorum sunt venerandæ. Resp. Hactenus sunt venerandæ, quatenus è suis sepulcris non eruantur, aut dimoueantur: non vt sanctitas iis aliqua tribuatur, & nostra apud Deum commendatio ex iis pendere censeatur. Deinde non ipsis ossibus id cõcessit honoris Iosias proprie, sed dei doctrinæ, quã annuntiarat hic propheta: cuius ipsius ossa non super altare erecta posuit, sed in suo sepulcro iacentia consecrauit Iosias ver. 17. 18.

Quintū exemplum est ex II. II. v. 10. vbi dicitur Sepulchrū Christi fore gloriosum. Resp. Robustissimā esse hinc Bellar. fraudē & fallaciam apertā Ab ignorantia lingue Hebræe, & vocis Sepul-

cri pro voce *Quietis* astuta substitutione. *Sepulchrum* enim Hebræis *Scheol* dicitur, quæ vox nō est apud Il. c. 11. v. 10: sed est vocabulū *Menuchai* quod sedē, in qua cū animi delectatione versamur, & lo cū significat. Id quod Sepulcro tribui nō potest. Sed neq; vox Sepulcri illi loco cōuenire. Agit enim de Dei ecclesia per Christum collecta, in qua est vera Dei quies & complacētia per Christum, vt apparet Pl. 132. v. 14, quoniam illa est columna veritatis, 1. Tim. 3. v. 13. Ergo toto cælo sciēs, prudensq; ab illius Isaię loci mente aberrat homo iste, vt apparet ex Paul. Rom. 15. vers. 12.

Sextū exemplū est, Quod nō sunt à Dei spiritu reprehēsi, qui vestē Christi religiose cōtigerunt Mat. 9. v. 20: qui Petri Apostoli vmbra trāseuntis religiose attigerūt Act. 5. v. 15: vel Pauli sudaria & semicinētia ad egrotos detulerūt: Act. 19. v. 11. Resp. Fallaciā esse A Petitione Principij, Præsupponit enim eos, qui hæc fecerūt, nō errasse (id q̄ falsum est) etsi sunt à Deo exauditi, & à suis morbis sanati illi egroti. Verū falsa est ista cōsequētia. Fidē enim eorū in Christū exaudiuit Deus, quoniā in eū credebāt (quē annūtiabant Paulus & Petrus) gratūq; propterea habuit: modū autē, quē illi delegerūt, Deus nō probauit, q̄a potestātē Dei externis & carnalib. istis reb. carnaliter alligarūt, atq; adstrinxerūt. Itaq; ait hæmorroissæ Christus ipse, *Fides tua*: nō autē modus, quē sequeris, te seruauit Mat. 9. v. 22. Sic Exo. c. 1. p̄batur à Deo studiū obstetricū Ægyptiarū Israelitis fauentiū: modus autē, & mendaciū, per quod suū consiliū illę exequūtur & expediunt, nō placuit Deo. Et hæc quidem sunt præcipua Bellarmin. pro reliquiarum

venc-

veneratione argumenta, quæ tamen nullius sunt ponderis, aut momēti. & reliqua verò sunt leuiora.

Secundum igitur huius argumentū est auctoritas Cōciliorum quorundā, id est, hominum iam recepto & imbuto à se errore fascinatorum vox & suffragium, in quo nullus omnino fidei Articulus fundari debet, aut potest à Christianis viris. Concilium Nicenum secundum nullius planè momenti est, utpote prorsus idololatricum, & idololatriæ fons, istius præsertim.

Concilium Gangrense nihil hunc iuuat. Nec enim & reliquias Martyrum venerandas aut super altare collocandas docet: sed eorū solū superbiam frænat, qui cōuentus ecclesiæ, (si ad confessiones & loca, vbi Martyres sepulti erant, fierent) superbe contemebāt, c. 20. Gangrenf. Concilij, & can. *Si quis per* Dist. xxx. Hi enim veros Christi Martyres oderunt, qui id agunt.

Cōciliū Carthag. v. c. 14. nihil tale habet, quale hic affingit, & supponit Bellar. Memorias enim & loca ipsa, in quib. sepulti sūt veri Martyres, honorat duraxat: ipsa autē Martyrū ossa ex his euelli, vel Reliquias eorū coli, erigi, proponi neq; probat, neq; cōcedit cōciliū, Id qđ hoc loco cōtēdit Bellarm. & facit. Concilium Braccarense 111. Et Epaunense merè superstitiosum est utrūque, & veterē Iudaismū in ecclesiā Dei Christianam reuocant, Braccarense cap. 5. Epaunense cap. 25.

Concilium Mogūtiacum sub Carolo Magno c. 51. nihil iuuat cultum & reliquiarum: imo cum damnat. Nā eas sepultas effodi, erui, transferri etiā in alium locum vetat, nisi ex magna caussa.

Imo in cap. 1. & 2. extra de *Reliquiis* quanta Ecclesie Christianae ludibria, quantae fraudes ex ista Reliquiarum veneratione oriuntur, apparet.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 61. nullius est momenti. Nam in aliis quoque capitibus est illud concilium, haereticum, velut ca. 1. vbi Transubstantiatione pro fidei Articulo sancit contra eiusdem tamen Innocentij III. re-scriptam in cap. *cum Martha*, extra de *celebrat. Missarum*: item cap. 5, vbi Romanam Ecclesiam caeteris praefert, illique in alias tyrannidem asserit, contra dictam Christi, Luc. 22. vers. 23. Denique locus ex illo concilio citatus, qui est ex cap. 61. tollit potius, quam stabilit Reliquiarum venerationem. Sic enim plerosque decipi docet ca. 2. extra de *Reliquiis*. Ex quibus apparet Bellarminum neque locum S. Scripturae vllum, neque Concilium sanum & orthodoxum pro se, suoque errore tuendo habere, quamuis oculis lectorum tenebras offundere sit conatus.

Tertium Bellar. argumentum sumitur Ab autoritate Patrum ex nullo tamen S. Scripturae loco suam sententiam confirmantium. Verum ex Hieronymo respondemus. Quicquid absque Dei verbo scripto in negotio Religionis asseritur, tam facile a nobis contemnitur, & negligitur: quam facile ab alio affirmatur. Nam fidei Christianae fundamentum unicum est, Nempe Dei verbum, & quidem solum scriptum. Itaque totum hoc Bellarmini argumentum, quantumvis longum, est mera fallacia A non causa pro causa, quae puerilis nugatio est. Deinde sunt istae Patrum sententiae duntaxat Rhetoricationis,
& ora-

& orationis flosculi: non autem fidei eorum dogmata, ut hic insulse citat, putatque Bellarm. Denique si singulorum sententia spectentur, manifestam blasphemiam in Deum continent. Eusebius vult lib. 7. Historiæ cap. 15. venerandam ligneam sedem. Athanasius in Vita Antonij, vestem esse imaginem sanctitatis. Basilus in Pl. 115. Sanctos administrare nostras regiones, & ex cōtactu mortuorum offium trahi vitæ sanctitatē & in nos infundi. Idem ineptè Nazianzenus in Theodorum Martyrem: & contra Iulianū oratione prima, ossa mortuorū colenda esse. Idē Emissenus, idē Cyrillus Catechesi XVIII sui seculi errore abrepti. Chrysostomus ait, Martyrum tumulos etiam ipsos esse adorandos. De Iuuentio & Maximo, & sic de cæteris tum Græcis, tum Latinis.

Quartū & quintū Bellarm. argumentū petitur à Miraculis, quæ per istas Reliquias ædita fuisse scribit. Resp. Duplex est in hoc argumento fallacia, Vna A non causa pro causa. Nec enim Miracula ipsa per sese fidē de veritate alicuius doctrinæ faciūt: sed solū Dei verbū scriptū. Altera fallacia est A petitione Principij. Sumit enim ea miracula fuisse Dei, quū fuerint Satanæ, quia contrariā Dei verbo & gloriæ doctrinam confirmarunt, Nempe Cultum creaturarū religiosum. Sic Sanctus Sp. Miracula Antichristi refutat, 2. Thess. 2. v. 9. Apocal. 16. v. 14. Et nos antea iam sæpius ad hoc genus inanis argumenti respondimus.

Sextum istius argumentum, item & septimum, ducitur ex reuelatione Reliquiarū, vbi erant, diuinitus, ait iste, facta: & earundem translatione in

aliū locum, vt illic honorarentur. Resp. Multis quidē istas Reliquias fuisse reuelatas, velut Ambrosio Protasij & Gerasij, Augustinus li. 9. Confessio. cap. 7. Luciano Stephani & Nicodemi, in ipsius epistola: Nestabi & Eusebij fratrum, scēminæ cuidam, Sozomenus lib. 5. cap. 8. Historia. Verū astu Satanae id factum est, vt hoc pacto immanē illam rerum mortuarū & creatarū superstitionem induceret, & in Animis hominum ingigneret. Ergo hic Satanae Angelus sese in Angelum lucis transfigurauit, quod saepe facit, 2. Cor. 11. v. 14. dum pietatis & honorandorū vitiorum Sanctorū prætēxtu, hanc idololatriam eudit apud non satis prudentes homines: sed iam erroris istius fascino planē corruptos. Verum à mortuis & huiusmodi Spiritibus nequaquā est petēdum fidei Christianæ testimoniū, Il 8. v. 19. Act. 16. v. 17. Quod autem de Reliquiarum tractatione narrat hoc loco Bellarminus, id totum superstitionis hominis factum ac iudicium fuit: non spiritus Dei præceptū, aut ex Dei verbo scripto sumptum exemplum, ac proinde inutile est. Nam ad ea, quæ de Iosepho iterum commemorat iste, iam respondi mus.

Octauum Bellarmini, & Nonum argumentū sumuntur à rebus iis, ex quibus neque Sanctitas, neque veneratio rei vllius colligi potest, Nimirum octauum ex eo, quòd istæ Reliquiæ conduntur sub Altari, præsertim Magni in singulis Templis: Nonum ex eo, quòd Cerei & Lampades in Templis ante Reliquias accenduntur, & lucent. Respondeo, Totam hoc esse fallaciam & non consequente. Nec enim nobis Christianis quidpiā sanctum,

atum, aut venerandum colendumq; est religioso cultu (qui tamē tribuitur Reliquiis istis) quia vel sub Altari iacet & latet, (Nā ibidē multi quoque vermes latēt, & multæ sordes) Vel quia circum se Cereos accēsos habet etiā in Tēplis. Nam & ante trabes ac ligna templi iidem Cerei lucent, & ante cortinas quoq; Altaris; quæ restamen non sunt, vel istis assentientibus, religioso cultu venerādæ. Sed ante Imperatores Ethnicos cerei accēsi præferebātur, qui tamē propterea nō sunt colendi. Ergo sunt inepta hæc duo imprimis Bellar. argum.

Quod autē addit & Altaria ipsa adorari à Christianis, & hanc superstitionē ex Apoc. c. 6. natā ac initium habere, virumq; hoc est falsissimum. De Altari liquet, & apparet ex can. *Altaria* 1. & 2. De *Consecrat.* Dist. 1. vbi Altaria dicuntur consecrari solum debere, non autē adorari, & coli. Durandus idē docet lib. 1. Enchir. c. 7. N. 38, additq; rationē, quoniā Altare est vtenstile Tēpli. Locus ex cap. 6. Apocal. non docet vel cultas fuisse, vel translatas Animas, quæ erant sub Altari: sed ibi retentas: De Reliquiis autem, ne $\gamma\pi\upsilon$ quidem agit.

Deniq; quàm sit inepta ista Reliquiarum sub Altari conditura videre quis pius potest apud Durandum in Enchiridio lib. 1. cap. 7. N. 25, ne chartas meas istis magis onerem.

Cereorū vsus in Tēplis Christianorū, præsertim, si lucente Sole, accendātur, ab ethnica planè superstitione ortus est, & ad Christianos trāsflatus. Nec exemplū Constāntini Magni, qui Cereū Magnū dedit Ecclesie romanæ. est Articulus fidei, aut fundamentū: sicut neq; dictum Hieronymi in epist. ad Riparium, & cōtra Vigilantiū, quum nullo

Dei verbo vtrumque firmetur & Constantini factum & Hieronymi dictum.

Decimum Bellarmini argumentum est primū ab utili. Nihil enim vtilius est nobis, quàm Sanctorum sepulchra, per quæ in memoriam sanctæ eorum vitæ, ait iste, reuocamur. Respondeo. Laudamus quidem extare honestam memoriam Sanctorum defunctorum inter Christianos, siue eorum libris, siue ex aliorum scriptis, siue ex moderatis eorum monumentis: eos autem, aut ea sepulchra propterea coli debere pernegamus. Nos illud prius facimus: Pontificij hoc idololatricum & posterius.

Deinde ducitur idē argumentum ab honesto, corpora Sanctorum defunctorū fuerunt templa Spiritus S. & organa sanctarum actionum: ergo sunt religiosè veneranda. Respondeo, fallacia est à non consequente. Nec enim quicquā plus honorandū à nobis est, quàm Deus præcipit. Hæc autem coli non iubet. Nā quod dicitur esse hæc corpora mortua, Dei instrumenta ad miracula, & pignora patronorum, est omnino falsum, & antea refutatum.

Ad Cap. i v.

Quid autem ad nostrorum argumenta respondeat Bellarminus, videamus.

Vnū est ex Math. 23. v. 29. Damnat Christus, & Hypocritas appellat eos, qui Prophetarum & iustorum sepulchra ædificabant magnificè, & inhabitabant: interim eorū doctrinam securè contemnebant. Respondet Bellarminus dānari eos, qui Prophetarū sepulchra ornarent, non quia ea or-

na-

narent, sed quia doctrinam iustorum & vitā non imitaretur. Respon. Bellar. Imo reprehēdi à Christo istud quoq; sepulchra iustorū ornandi & decorandi studiū, quia superstitiosum est: sed multò magis contemptū sanctæ iustorum (quos mortuos colebāt) doctrinæ ac vitæ. Vtrumq; hoc perpetrant Pontificij. Nam & Apostolorū Domini nostri Iesæ Christi sepulchra magnificè exornant, & superstitiosa animi deuotione: atque interim Apostolorū ipsorum & doctrinā, & vitam securè contemnunt, imo acerrimè persequuntur. Quicquid hic assertur à Bellarmino, vt incertam huius loci Matthæi 23. vers. 29. (qui per sese perspicuus est) interpretationem reddat, ineptum est, & malignè ab hoc congestum, vt reliqua huius capituli omnia: solius ostentationis gratiā.

Alteram argumentum nostrum est, Neminem in Christo nobis Christianis esse secundum carnem cognoscendum ac quærendum: ac ne Christam quidem ipsum, 2. Corinth. 5. vers. 16. Ergo frustra & sepulchra, & carnales Reliquiæ defunctorum quærentur à Christianis. Respondet Bellarminus, imo piè quæri, Nā illa sepulchra sunt memoriæ sanctorum, & corpus eorum, id est, alteram eorundem partem continent. Respondeo Bellarmino, si ad solam Sanctorum memoriam, non ad cultum, eorum sepulchra seruari, esset hoc & tolerandum & laudabile. Verum quoniam ad cultū ea quærent, ornant, & inuestigant, & quidem religiosum, est planè superstitiosa istiusmodi sepulchrorum asseruatio, ac conquisitio. Ergo veram causam celat iste.

Quod iste dubitat, vtrum Moses verè fuerit mortuus, Cur eius defuncti corpus ignoratū fuerit, Vtrum populus Israel Mosis corpus adorare voluisset, hîc, & alios, & se cruciat, & more suo facit, Nimirum vt res certissimas reddat dubias, perspicuas reddat obscuras, & de re quauis, instar Academicorum, dubitet. Quid verò de toto eo sit piis sentiendum & iam diximus, & ex Deut. 34. v. 6. Iudæ epist. v. 9. apparet. Quàm autem istud Bellarmini insanum est Mosis defuncti cadauer retinuisse etiam splendorem vultus? Quis te stultior, Bellarmine, fingi à quoquam potest?

Negat iste Pontificios adorare Reliquias. Luceam & Solem dicere eodem modo potuit tenebras. Quis enim nescit ea adorari, quibus Ara, Templum, cultus religiosus, festum consecratur? Quæ omnia suis Reliquiis isti exhibent.

Diuinat denique, dum affirmat Deum post captiuitatem Babylonicam illustrasse miraculis sepulcra Isaiaë, Ezechielis, Hieremiaë, Abdia. Quis ex Orco Dæmon hoc isti reuelauit? nam de ea re mirum est in tota S. Scriptura silentium. Imò hoc totum falsum est, & impudens Bellar. mendaciū.

Alteram responsionem quoque affert ad locū ex 2. Cor. 5. v. 16: sed ea prorsus est nihili, & fatua. Ita; refutatione non eget, Per carnem nimirum intelligi Christi mortalitatem, & passibilitatem, quasi iam Christum verum hominem esse agnoscere & cōfiteri non debeamus. Quæ maior obsecro, potest esse blasphemia, 2. Cor. 13. v. 4. Nā quod ait ex Is. 11. v. 10. sepulchrū Christi honorandum, id supra exposuimus, & Bellarmini sententiā confuta.

futauimus. Deniq; quod scribit agnoscenda esse Dei beneficia, & eorum instrumenta, quis negat? Sed catenus, quatenus ea Deus ipse agnosci iubet: non debent autem illa in Dei locum (quod in Reliquiis isti faciunt) substitui.

Tertium nostrorum argumentum est, Cultus Reliquiarum est ab hominibus institutus, nō autem à Deo præceptus: Ergo est damnata ἐθελοθρησκεία, Matth. 15. v. 9. Coloss. 2. v. 23. Respondet Bellarminus, Hoc esse falsum. Nam Deum ait probare cultum sepulcri Christi, item fimbriæ, & Sudariorum, Umbra, & semicinctiorum Petri & Pauli, & esp. Bellarm. id, quod hoc loco affirmat, esse falsissimū, & suprā hos locos S. Scripturæ exposuimus, & malè ab isto intelligi docuimus.

Quartū argum. nostrum est, Cultus reliquiarū vel idololatria est, vel, teste August. lib. de ecclesiæ Moribus, cap. 34, superstitione idololatrica non caret. Creaturæ enim coluntur & religiosè, & eo, quo Deus ipse, modo, Ara, Templo, festo, officio illis instituto, Cereis etiam corā accensis. Quod fatetur contra Vigilantium Hieronym. & Concilium quoq; esse Eliberinum c. 34. damnat. & esp. Bellarminus per solam inficiationem. Negat enim quod verum est, & res ipsa manifeste docet, talem cultum esse Deo debitum contra August. Ciuitate Dei lib. 22. cap. 10. & esse idololatriam. Sed quid iste non negauerit, vt ex tam validis laqueis nostris euadat? quibus constringitur, ac vincitur?

Cereos media die & clara in alicuius honorem seu viui, seu mortui accendi, est Ethnica fa-

perstitio, quemadmodum ex Herodiani libro 1. colligitur, licet postea in ecclesiam Christianam illa, sicut & aliæ multæ superstitiones Ethnicæ, (Velut Nonnæ, & earû consecratio, Aqua lustralis & benediçta, faces in funeribus & c.) irrepserit. Itaque Durandus magnus istarum superstitionû patronus lib. VI. Enchiridij cap. LXXX. nihil inuenit in Dei verbo scripto, cur istos cereos defenderet: sed tantum ex decretis Zosimi & Theodori primi Pontificû Romanorum istas idololatrias tuetur. Quod si lumen in Templis, vt idem Durandus vult lib. 2. c. 1. N. 40. Christû significat, ergo quum lumen accenditur coram Reliquiis istis, Christus illis subicitur, & fasces summittit. Quæ summa est impietas.

Bellarmini responsio ad Augustini locû lib. de moribus ecclesiæ c. 34. qui sepulcrorû istorû adoratores grauissimè reprehendit, ipsismet Augustini verbis cõtradicit. Negat enim iste cultû esse idololatriã. At Augustinus tales adoratores vocat: ergo talis cultus est idololatria. Negat iste Augustinû velle hunc sepulchri cultum esse malum, & quæ in signû istius cultus Reliquiarum fiebant (qualis erat oblatio vini & epularû, quæ super mortuos fiebat.) At Augustinus lib. 6. c. 2. confessionû li. 8. Ciuitate Dei ca. 27. manifeste id totû cû Ambrosio dânat. Sed mēiti manule Bellar. quã silere, & veritati cedere, q̄ est suauissima.

Aliorû Patrû dicta, qui scribunt adorari à se sepulcra mortuorû, sunt vel ἀκρολογίας ineptæ, vel Rhetoricationes periculosa, vel blasphemæ sententiæ. Eligat Bellarminus ecquam ex his tribus solu-

solutionem nostram optet. A nulla enim veneratio Reliquiarum iuuatur.

Quintum nostrum argumentum est, Maxima pars istarū Reliquiarum, est suppositia procul dubio. Sunt enim ista ossa, latronū ossa ut plurimū, non Sanctorum, sicut Murium dentes, nō hominum, Augustinus li. De opere Monachor. c. 28. c. 1. & 2. extra de Reliquiis. Gregorius Turonensis lib. 9. historiae c. 6. Socrates lib. 7. Historiae c. 14. & nostris temporibus experientia, resq; ipsa docuit id esse verissimum, quibus Reliquiæ detectæ sunt. resp. Bellar. Per solam inficiationē. Negat enim à tempore Innocentij III. (quia ab eo tempore ex autoritate Romani Pontificis Reliquiæ recipiuntur) vllas Reliquias suppositias receptas fuisse in ecclesia. Respondeo, ex ca. 1. extra de Reliquiis apparet idem antea factitatum, & obtinuisse, ut ex solius Romani Pontificis arbitrio nempe Reliquiæ reciperentur, & tamen suppositias tunc quoque fuisse. Nam quū sit ille merus homo, falli & decipi potest, sicut ceteri homines, ut & Concilia ipsa, & experientia nostro seculo hoc comprobavit. Quid igitur aduersus veritatē luctatur, & calcitrat Bellarminus?

Nam quod ait nusquam integrum, & totū vniuersi Sancti corpus reperiri: sed varias illius variis in locis partes haberi, quæ singulæ corpus illius Sancti vocantur, est falsum, quemadmodum verissimè docet D. Calvinus in libro, *Inuentarium Reliquiarum*. Et hæc quidem, ut apparet, totam istam Reliquiarum venerationem tollunt, & prorsus euertunt.

Ad Cap. v.

Quam sit ambitiosus scriptor iste, apparet, quod hanc de cultu imaginum controuersiam, quæ vnico capite potuit ac debuit explicari, diducit in capita viginti, & vnū, vt habeat in quo se, suūque ingenium ostendet. Multa verò in hoc argumento à nostris mutuatur, multa repetit, multa falsa habet, multa inutilia. Nec in toto hoc tomo controuersia vlla est, quæ & maiores blasphemias contineat, & minus Theologo, vel etiā homine Christiano digna sit, aut vanior.

Orditur autem à vocum, *Imago, Idolum, & Simulacrum* significatione, quæ vocabula hic distinguere conatur quidem, sed non potest. Ait enim col. 1554. L. D. *Imago est vera rei alicuius, quæ est similitudo. Idolum autem falsa rei similitudo, & representatio.* Ergo quum equus, homo, bos pingitur, est imago: quum Venus, Mars, Minerva effigiat, est idolum. Imago coli potest, idolū non potest. Hæc Bellarminus multis verbis, in quibus bis grauissimè peccat. Primū quod imaginem negat rectè & verè dici Idolum, quod est falsum, & omnino imperiti hominis. M. Cicero contra libro Pollux lib. 7. ca. 28. Gnomastici. Nam quicquid pictor per artem suam effingit, siue verum, siue falsum, *εικόνα* dici Græcis vult, quæ Latinis est Imago. Tertullia. in libro de idololatria Bellarmini sententiā oppugnat, & Isidorus lib. 8. Etymologicū c. de Diis Gentium, quæ harū vocum, *Idoli* & *Imaginis* significationes promiscuas esse volūt. Sed & Dei ipsius verbū. Exod. 20. v. 4. Pl. 115. v. 4.

25. v. 15, Deuter. 4. v. 16. ff. 44. v. 4. & infinitis pene locis, ubi hæ voces, *Imago, Idolū, Similitudo*, pro eodem sumuntur, & coli in genere vetantur.

Secundum Bellar. peccatū est, Quod Imagines à Christianis, siue illæ sint Dei ipsius, siue Sanctorum, coli posse, & debere scribit & putat, contra expressissimum ipsius Dei mādatur, Exod. 20. v. 4. Durādum lib. Enchir. 1. c. 3. N. 2. Sed de eo alibi in hoc ipso libro, nēpe cap. xi. & xxi. copiose agemus. Hoc igitur lectorē monuisse nunc satis est.

Autoritates à Bellar. citatæ nihil eum iuuant. Loquuntur eum in genere patres de Idolo, quatenus rei veræ, vel falsæ, quæ colitur similitudinē habet, ac significat. Quod genus cultus illi ipsi omnino damnant. Tertullian. in lib. de Idololatria prorsus est noster, & Euripides in Hecuba, qui Polydori mortui imaginem vocat *εἰδωλον*: & Plato ubiq; *εἰδωλον* vocat quicquid animo à nobis vel verè, vel fictè concipitur, ut est in Cratylo, & Theæteto quoque.

Simulacrum vox est generalissima, quemadmodum docet Isidorus lib. 8. Etymologic. ca. de Diis Gentium, non à similitudo (ut hic ineptè scribit Bellarminus) deriuatum: sed à voce Hebræa *Tselem*, quæ est omnis similitudo, & scriptura aliquid nobis exterius representans Exod. 20. ver. 4. Deuter. 4. ver. 16. Ergo quàm fædè, & pueriliter in harum vocum explicanda significatione Bellarminus hallucinetur, cuius apparet.

Ad Cap. vi.

QVærit iste, Qui principes Iconomachorum extiterint, id est, qui primi imagines vllas à

Christianis coli vetuerint. Facile fuit breuiter id definire: verum iste ostentandi ingenij, & variæ lectionis gratia, totam hanc quæstionem in dubio relinquit, & incertam apud suos esse docet eorum alij Principes huius doctrinæ hæreticos, nempe Manichæos vel Felicem episcopum Arrianum faciunt: Alij Iudæos circa annum domini 476. Ordin. 2. Tractatu primo, Dist. 2. potius volunt: alij Xenaiam quendam barbarum hominē & Persam, de quo Nicephorus lib. 16. c. 27. Alij viros pios, & Episcopos, Serenum nempe Massiliæ, & Epiphanium Cypri. Denique ex tam varia Platina, Alphonfi, Sanderi, Bellarmini sententiâ quis aliquid certi de Iconomachorū origine statuere possit. Certè nemo potest, præsertim quum iste ex Synodo vii. id est, Nicena secūda, asserat Mahumetum ex ipsius Alcorani Azora seu c. 15. & 17. esse huius rei Principem, & statim sententiâ mutans malit esse Hebræum quendam maleficum. *Quò teneam vultus mutantem Prothea nodo?* Deum Imperatorem piissimum Constantinopolitanum Leonem iii. cognomine Isauricum, quem isti contumelioso, vt putant, nomine: sed reuera honorifico vocant *Iconomachum*, vt est apud Cedrenum in Epitome, Zonaram, Nicetam, Pomponium Letum, Baptistam Egnarium, Paulum Diaconum, & alios plerosque historicos. Leonis Patris quemadmodum in imperio successorem facit Constātinum Copronymum; sic & in hæresi, ait iste, quod coli Imagines à Christianis vetuerit, quem etiam, more suo, variis alijs erroribus cumulat. Quod Xylandrum virū doctissimum

simum de versione Cedreni accusat Bellarminus, ineptissimū se ostendit, qui ipse Sus (Vnde Suitæ & Hefuitæ quoque nominantur) *Minervam Xylandrum docere velit*. Nam expressit & verba, & mentem Cedreni Xylander, & optimè, ut omnes vident, qui Græcè norunt. Sed iste malignus est in omnes.

Porro Bellarminus historiam Iconomachorum, quos vocat, contexens, facit successorē Constantiniani Copronymi (qui vixit circa annum Domini 750.) Leonem Armenium, huius Michaelē Balbum, Balbi Theophilum Imperatores Constantinopolitanos ab anno DCCCXV. ad annum DCCCXL. In Occidente Claudium Taurinensem Episcopum, quē Sereni Massiliensis Episcopi successorē huius doctrinæ facit anno Domini 840. Claudio successisse vult, sed magno tēporis hiatus, Iohannem VViclefuum anno 1372. VViclefuo Hieronymum Pragensem: Prageni Carolostadiū huic Calvinum, quos omnes & singulos tam Imperatores, quàm Episcopos, & viros pios iste, pro sua modestia Suitica, & eloquentia virulenta, calumniis aspergit, & immeritos proscindit, falsis criminibus onerat, ac flagellat. Hic enim non suā charitatem, sed odium in pios ostentare voluit impudens iste Monachus.

Hæc longa historia est, hæ longæ ambages: sed rem totam tibi Bellarmino, & veriùs, & breviùs ecce indicabo & narrabo. Verus & Primus huius (quæ cultum Imaginum dānat & execratur) doctrinæ, ac proinde Princeps Iconomachorum, quos vocas, est Deus ipse optimus Maximus, Sum-

mus, Verus, & Verax. Hic enim cū illis primis ecclesiæ Patribus, veluti Iacobo, præcepit, vt istas Imagines non colerent Genes. 35. v. 4: tum in verbo suo difertè toti suæ ecclesiæ, Exod. 20. v. 4. Deuter. 4. v. 16. Ps. 8. ver. 10. prorsus cultum imaginum interdixit. Huic tam graui autori suum postea & consensum, & suffragium addiderunt sub veteri quidem Testamento Prophetæ omnes veri: sub Nono autē, primum Dominus noster Iesus Christus, deinde omnes ipsius Apostoli, qui verè fuerunt, vt iste vocat, Iconomachi, & cultus Imaginum osiores Deute. 5. v. 8. Leuit. 26. v. 1. Is. 44. Ezech. 9. Osee c. 1. & 2. Habac. 2. v. 18. Matt. 4. ver. 10. Act. 15. v. 29. 1. Corinth. 6. v. 9. 1. Iohan. 5. v. 21. Apostolis successerunt omnes Pij & orthodoxi Martyres & Patres qui omnes imaginum cultum damnarunt acerrimè ex Ps. 115. Tertullianus in Apologetico c. 12. Cyprianus lib. 3. in locis cōmunibus ad Quirinum. Arnobius lib. 5. contra Gentes, Lactantius lib. 1. Institut. ca. 15. & 19. & lib. 2. cap. 2. His autem Martyribus, & Patribus omnibus Iconomachis, & cultus imaginum hostibus successit Eliberinū Concilium cap. 36. circa annum Domini 335. Eliberino Concilio successerunt Ambrosius, Augustinus in Ps. 115. Cyrillus vterque, & alij: etiam his postea & Gregorius ipse Magnus in epistola ad Serenū, vt est in can. *Perlatū* de consecr. Dist. 111. qui vetat imagines coli, & honorari à Christianis. Quin & horū Thomas Aquinas quoq; fuit Iconomachus. Nā in 2. 2. quæst. 122. Artic. 1. & 2. vult secundū legis Moralís præceptū, quod imagines dānat, esse sub Euangelio seruādum. Deniq; hæc fuit

fuit perpetua in vera Dei ecclesia doctrina, quæ cultum imaginum damnauit, ac proinde quæ Iconomachos, quos vocat Bellarm. comprobauit.

Ad Cap. VII.

Nihil nos ferit caput, aut telum istud Bellar. nempe licere facere, & habere imagines, modò nullo pacto colatur. Nā hoc ipsum nos eū docuimus, diximus, scripsimus ante eum: & tam sanā doctrinā à nostris mutuatur, vel, plagiariorū more, celato eorum nomine, suffuratur. Itaque quicquid hīc habet & differit Bellarminus, ostentationis solū gratia compilauit, & congeffit.

Mirum tamen est hoc loco, Bellarminum, qui se inter Scholasticos aliorum Doctorem profiteatur ac Theologum Christianum, tamen ignorare Quot, & Quæ sunt legis Moralis Dei præcepta, quū & secundum præceptum (quod est vnū duntaxat) in duo diuidat, & decimū quoq; quod est, *Non concupisces uxore proximi tui* &c. Id quod est Christiano Theologo scēdissimum. Itaque & hoc ipsum à nostris quoq; præsertim à D. Caluino, discere potuit.

Ratio autem illa prima Bellarmini proflus est inepta & obscura, & falsa, nempe sunt tātum decem præcepta legis diuinæ Moralis: ergo licet facere & habere Imagines.

Responsio ad Iudæos est inepta, sicut eā iste habet, ostenditque hunc ignorare, quatenus quartum (quod est de Sabbatho) legis Moralis præceptum est vel Ceremoniale, vel Morale seu Naturale. Sed mihi iam non vacat istum docere: nostrorum libros iam æditos legat.

Tertia, quarta, quinta, & sexta ratio Bellarmin, ex nostris, nostrorumque commentariis transcritpta est, vti & secunda: sed dum eas amplificare conatur iste, & contrectat, contaminat.

Denique hoc totum caput à Bellar. inutiliter susceptum est ratione controuersia (quæ nulla nobis est cum istis in hac quaestione) sed duntaxat vt suos palàm flagellaret, & in triumphum duceret erroris & grauissimæ blasphemiae prius accusatos & damnatos. Hæc sunt Bellarm. de suis spolia, quæ Ioni suo Romano & Feretrio offert.

Ad Cap. VIII.

Quæstionem ad decidendum etiã ex ipso Dei verbo scripto facillimã continet hoc capitulum. Vtrum Deo ipsi Imaginẽ facere sit prohibitum. Vtrum eam isto obscuram & difficilem reddidit. Resp. Iohannes Calvinus, & quidem verissimè prohibitum esse. Bellar. contra, negat esse vetitum: in hoc ipsum vult licere, & pietè à Christianis fieri. Ergo Caluini rationes, & ad eas Bellarmin. responsiones audiamus.

Prima Caluini ratio est, ex Exod. c. 20. v. 4. Deu. 4. v. 12. 11. 46. v. 5. Act. 17. v. 29. Eliberini Concilij c. 36. & aliis Patrum locis, velut August. de fide & Symbolo c. 7. lib. 4. Ciuit. Dei. cap. 19. & 31. lib. 6. c. 10. Lactant. li. 1. c. 15. Duran. in 3. Sent. Dist. 9. q. 3.

Resp. Bellarm. Primum, vtrum liceat Dei Imaginem pingere an non, esse in opinione, & incertum. Ergo victoriam concedit Caluino. Deinde veritatis eum pudet, asseritque licere id facere Christianis, quia Caietanus & Catharinus (quos tamen

tamen superiore capite col. 1560. L. A & col. 1561. L. B. vult grauissime in hoc argumento errasse) id senserunt, item ignoti homines Dieghus Payua, & Sanderus. Denique, more suo, variat in solutione, quoniã euadere non potest. Respõ. Bellar. Qui contra Calvinum sentiunt, cõtra ipsum Dei verbum sentiunt. Ergo frustra eorum autoritas nobis obiicitur. Deinde rei & incorporeæ & inuisibilis (qualis est Deus) imago nulla visibilis esse vel pingi potest. Ergo impossibile asseritur.

Excipit iste, At Angeli pinguntur, qui sunt inuisibiles, Exod. 25. & 1. Reg. 6. Resp. Non ipsi Angeli, sed facies à Deo præscripte pingebantur, quæ Cherubin vocatur. Facies autem eæ, non quã illi sunt inuisibiles nobis, præcepte sũt fieri: sed quatenus Angeli hominibus in his sæpe terris visibiles apparent ex Dei iussu. Ergo non vera essentia Angelica aut Angelus pingitur: sed externa tantũ facies, qua apparuerunt. Verũm Deum nemo vidit, inquam Deut. 4. v. 12. Iohan. 1. v. 18: licet multi illa forma viderint Angelos. ergo est fallacia à disparatis seu à disparitate rerum collatarum, ac proinde Ab ignoratione Elenchi.

Nam quod excipit iste Deum sæpe dici apparuisse Prophetis 2. Reg. c. 22. 11. 6. Amos. 9. daniel 7. idque forma humana: ergo Deus quoque in ea forma pingi potest, quemadmodum Angeli, qui sunt inuisibiles & incorporei, non valet. Nam recte Calvinus scripsit Christum seu Dei filium (qui ab æterno destinatus erat Redemptor ecclesie, & Homo futurus, 1. Petr. c. 1. v. 20.) in forma humana, quam per vnionem suscepturus erat,

apparuisse. Ille enim ab initio Mundi rexit suam ecclesiam, & ei se manifestavit Act. 15. v. 11. 1. Cor. 10. v. 9. Pater autem & Spiritus S. qui nullā formā creatam per vnionem accepturi erant, etsi inuisibili aliquando forma apparuerunt, tamen in ea pingi non debent. Ergo si quis Filium dei pingeret, hominē eum duntaxat pingeret, in qua forma, neque deus: neque natura ipsa Christi diuina pingitur vel representatur (quod tamen putat Bellar.) Sed solum humana. Quare manet semper vera & immota nostra sententia, deus pingi non potest, & solutio Bellar. est fallacia a diuisione ad compositionem, Christus pingitur ergo quia deus. Imo nō totus pingitur.

Imo nec ipsa Hominis Christi pictura patrib. in VI, vt est in eius ca. 82, Synodo generali placuit *can. Sextā* de Cōlect. dist. 111, quoniā inde facilis erat, atq; est ad cultum Imaginum lapsus. Veram potius pingebatur in forma tantū Agni (propter dictum Iohannis Bap. Iohan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei*) Eum Patres sic pingi sinebant: non tamen qua deus est.

Anthropopathica de deo locutiones nos ad idololatriā, aut deum pingendum nec inducunt, nec inuuant, quia omnes, præter stupidos Monachos Anthropomorphitas, intelligunt istas locutiones esse figuratas. Imo hic col. 1563. L. D. fateatur iste, & deum, & Sanctos non sine periculo inter Christianos pingi.

Ratio quarta Bellarmini, virtutes, vt fœminas, pingi. Quinta, Hominem totum pingi & effigiari, sunt quouis absurdo & inepto absurdiores, & ine-

ineptiores. Quis enim de ista virtutum pictura verum illud esse nescit? *Pictoribus, atque poetis, quidlibet audendi semper fuit aqua potestas?* & ut commenta pictorum iste nobis pro iusto fidei suæ fundamento afferat? quæ ipse postea col. 1565. L. A. refutat. Hominem totum, & quæ corpus, & animam habet, à pictore exprimi, & pingi, qui ante te diceret, Bellar. vel etiam somniaret, nemo adhuc est repertus. Sed tu tenebrio nos cum anibus & iumentis comparas, quæ à Zeuxi fuerunt vuarum pictura deceptæ: & tu, qui merum pecus es, cæteros tui similes, & pecora campi esse putas. Decidit tibi animus in pedes, qui totum hominem pingi scribas.

Denique ex usu ecclesiæ confirmare conatur deum pingi posse. Sed est fallacia A non causa pro causa, præsertim si spectetur qualis doctrinæ corruptela & labefactatio supervenerit ecclesiæ ab eo tempore, quo Imagines in templis Christianis vel collocari, vel coli ceperunt. Verissima enim idololatria ex eo momento in ecclesia visum habere cepit, eaque sine pudore publica: ergo non quid in ecclesia fiat, sed fieri debeat, spectandum est. Deinde ludit in ambigua voce Ecclesiæ. Quum enim usus & autoritas Ecclesiæ allegatur, de vera, non autem falsa ecclesia, qualis est Pontificia (quæ à Dei verbo discessit) intelligi debet. Denique quæ, obsecro, Concilia iste profert, ut usus hic ecclesiæ probetur, Nimirum duo maximè blasphema, Septimū Nempe, id est, Nîcenum Secundum, prorsus idololatricum, & Tridentinum omnino à Dei verbo dissentiens. Ergo

hæc sunt firmamenta istius Bellar. hæresis deum pingi posse asserentis contra rerum naturam.

Cæterum in secunda solutione, quam affert col. 1564. L. C. tribus modis seipsum refutat. Primum, dum ait talẽ picturam dei, non esse verã eius repræsentationem, id est, neque essentia, neque naturæ ipsius: sed tantum metaphoricam, analogicam, & typicam, nostri ratione. Ergo fallit nos iste figura dictionis, dum cõtendit deum pingi posse, id est, typicè & metaphoricè nobis repræsentari: non autem verè.

Secundum, dum idem Bellar. ait, istas dei, Angelorum, & Sanctorum picturas analogicas non debere multiplicari, quoniam offendiculum afferunt, & blasphemandi dant occasionem. Secum enim planè pugnat. Nam si eiusmodi dei, Angelorum, Sanctorum imagines piæ sunt, & pingi possunt, quemadmodum hîc contendit, earum multiplicatio erit maior gloriæ & notitiæ dei illustratio, & pietatis amplificatio, inter Christianos: id quod nunc negat.

Tertium, dum inquit Bellar. picturam Christi sub forma Agni non profectam esse ex veteri testamento. Fallitur. Verba enim Iohãnis Bap. hæc, *Eccè Agnus Dei* Iohan. 1. v. 29. ex Sacrificiis Veteris Testamenti occasionem sumpserunt. Nam in Vetere Testamento Agnus Christum repræsentabat Hebr. 9. v. 12. 13. 14. 1. Cor. 5. v. 7. Exod. c. 29. v. 30. Et sic ipsemet Adrianus Papa in can. *Sextam de Consecrat. dist. 3.* agnoscit, scribit, & fatetur: & Bellarm. confutat.

○ Solutiones Bellar. ad argumenta Caluini tam

ex Dei verbo, quàm ex Patribus, sunt nihili, & cõtra Bellar. Ostendunt enim, ac fatentur dici, scribiq; improprie, *ἀνύπαρξ*, Deum pingi posse: sed tãtum id dici & intelligi *ναλ᾽ἀλ᾽*. Ergo est fallacia à figura dictionis, & A Dicto secundum quid, quasi propriè id sumatur. Quæ robustissima fraus est.

Et certè verissima est illa Marci Varronis sententia, quam refert Augustinus lib. 4. Ciuit. Dei c. 19. & 31. eos Deorum metum hominibus dempsisse, & errorem auxisse, qui Dei simulacrã induxerunt, aut ea retinent. Quare Bellarminus ab hoc quoque manifestè damnatur: sed à Seneca quoque, cuius dictum refert Augustinus lib. vi. Ciuitate Dei ca. 10. Et à M. Tullio Cicerone graui scriptore quem admodum ex libro 2. de Natura Deorũ, item de Diuinatione, colligit idem Augustinus lib. 4. Ciuitate Dei cap. 30. Ex quo fit, vt & à Christianis, & ab Ethnicis Bellar. sententia, Dei simulacrũ piè in tẽplis fieri, & retineri sine circuitione damnetur, ac reiiciatur, tamen est iste ab omni ratione & iudicio alienus, & semotus.

Responsio Bellarmini ad locum Prophetę Habacuc cap. 2. v. 18. *Dei Imago est doctor mendacij*, est falsa. Ait enim hoc tãtum dici de falsorũ Deorum, quos Ethnici colebant, Imagine. Respõdeo, imò, de quavis Imagine, simulacro, & sculptibili, quod colitur, intelligitur & scribitur. Textus meam solutione confirmat, & locus Hierem. 10. ver. 8. ad quos lectorem pium remitto.

Imaginem autem & picturam Beatę & Sanctę Trinitatis, vt scribit iste esse doctorem veritatis, est quouis falso falsius & mendacius.

Primum quia non potest pingi vlllo pacto Beata Trinitas. Deinde quoniam id fieri vetat Deus ipse, seu illa ipsa met B. Trinitas, Exo. 20. v. 4. Deut. 4. v. 16. If. 46. v. 5. Tertio, quoniam rem infinitam, nempe Trinitatē, facit finitā. Quarto, ipse met Bellarm. supra col. 1565. L. A. hoc ipsum, vt scandalosum, apertē damnauit. Quinto, Quia nulla potest esse maior in Deum blasphemia, quā si Deus carnaliter & corporaliter pingatur, ac representetur.

Responsio ad Quintum Caluini argumentum est inepta, nempe quod res incorporea pingi possit: & nos eam confutauimus supra.

Responsio Bellarmini ad Sextum Caluini argumentum, *Deus est ubique*: ergo pingi, velut absens, non debet, est inutilis. Neque enim sic Caluinus argumentatur, quoniam res etiam presentes & visibiles, pingi possunt. Sed iste, vt esse Hercules quidam fictitijs imperitijs videretur, fingit, quæ debellet, monstra, quemadmodum iam pridem alij Italo cuidam exprobrauit Angelus Politianus, furfuracea, & quæ nusquam sunt. Et hoc ad caput VIII. Bellarmini nostra responsa sunt.

Ad Cap. ix.

Sequitur altera quæstio, Vtrum Sanctorum Imagines tutò, & sine periculo in tēplis Christianis collocentur. Caluinus lib. I. Institutionis Christianæ cap. II. §. 13. rotundè & verè scripsit indignum esse sanctitate Templorum Christianorum, vt eiusmodi mortuas & brutas imagines recipiant: cuius rationes ordine postea profertur. Bellarminus potius contradicendi Caluino studio,

studio, quàm ductus rei veritate, contrà & sentit, & scribit, Nempe Nusquã meliùs, quàm in Templis Christianis imagines Sanctorum collocari. Id quod tamen est falsissimum. Rationes tamen Bellarmini perpendamus.

Prima est, in Veteri Testamento fuerunt imagines Cherubinarum, quum tamen populus Israel esset ad idololatriam propensissimus. Exod. 25. v. 18. & 19. Resp. Imagines Cherubinarum non in aperto, sed in operto, Dei iussu, ponebantur, in ea Templi aut Tabernaculi parte, quæ Sancta Sanctorum vocabatur, & in quã nemo, præter summum Sacerdotem, & quidem semel tantùm in anno, ingrediebatur. Ergo illæ coli non poterant, quia nõ videbantur. Imagines autem cæteræ, quæ erant in Velo, aut parietibus Templi patentes, & detectæ, neque coli poterant à Iudæis illuc convenientibus, quoniam Dei præceptum se in imagine, aut ipsam imaginem præcisè vetantis coli, singulis diebus in illo eodem Templo & loco legebatur, quod Iudæos ab eo cultu auerterebat omnino. Deniq; Veteris pædagogicæ & puerilis Iudæorum ætatis hæc quoq; pars fuit, quæ profusè in Templis & cætu Christianorum sublata esse debet. Ergo est hoc argumentum fallacia Bellarmini. Ab ignoratione Elenchi, & diuersæ Dei ecclesiæ conditionis confusione.

Secundum Bellarm. argum. est à consuetudine Veteris, ait, ecclesiæ, quæ Christi picturam habuit in calicibus. Tertullia. lib. de Pudicitia: in pariete Sozomenus li. 5. c. 20. Respon. Nullus locus ab isto allegatur, siue ex Historia, siue ex Patribus

probat ullam vel Christi, vel Martyris, vel Sancti imaginem in vlllo Templo Christiano fuisse ante annum Domini cccc erectam, receptam, visam, pictam. Cepit enim ea res primum in Occidente potissimum, à Paulino Nolano Episcopo post annum Domini cccc, quemadmodum & verè, & eruditè docuit M. Kemnitius in Examine Tridentini Concilij. Ergo illæ imagines erant in priuatis ædibus sine vlllo cultu, & metu idololatriæ inter Christianos futuræ. Quod de pictura Barlaami ex Basilio affertur, & ex Gregorio Nysseno, fuerunt meræ historiæ, & verè, descriptæ à pictoribus in nonnullis Templis: non nudæ imagines Sanctorum ad cultum in Templis positæ, vt docet August. epist. 49. & in Ps. 113, & quod fieri debere iste vult, & mordicus contendit.

Tertium Bellar. argum. est A quorundam Conciliorum, quæ vocat, autoritate, nempe Niceni Secundi, quod septimum dicit fuisse: item Octauum, vbi Nicenum Secundum confirmatur: deinde duorum particularium Romanorum, quorū vnū sub Gregorio 111. Papa portentosa idololatriæ viro: alterum sub Stephano tertio coit. Respond. Quam ista quattuor concilia manifeste contra Dei præceptum Exod. 20. v. 4. Deut. 5. v. 8. coiuerint, decreuerintque cultum sculpticium, sunt prorsus nihili. Præclara est enim illa Iohannis Gersonis sententia, Vel Vnius idiotæ hominis iudicium Dei verbo scripto fundatum præferendum esse in Dei ecclesia totius generalis concilij decreto, si Dei verbo destituitur concilium. Ergo ad populum, & imperitos istas phale-

tas, id est, ista suorum idololatrarum Concilia quattuor deferat Bellarminus: non nobis commemoret, & obtrudat. Et hæc in generali de quattuor illis Conciliis. In speciali, Concilium Niconum secundum fuit plane, & omnino blasphemum, & sub Carolo Magno à Synodo Francofordiensi confutatum. Octauum generale Concilium, quod Act. 8, quosdam Iconomachos absoluit, fuit ad Adriani 11. Papæ arbitratum collectum, & ut supra in Controversia de Conciliis ostendimus, nullum. Concilium Romanum sub Gregorio 111. collectum profus fuit furiosum, & blasphemum. Concilium sub Stephano tertio quod hinc allegatur, nunquam fuit, nunquam coit, est supposititium. Itaque crimine falsi hinc apertè Bellarminus tenetur, aut legis Iuliæ Maiestatis, qui falsum editum pro se supponit.

Quartum argum. Bellarmini tale est, Imagines sunt signa sacra: ergo in domibus sacris sunt collocanda. Item Tempia sunt typi cæli Heb. 9. v. 24: ergo representare nobis debent Sanctos, qui sunt in cælo. Respond. Vtraque ratio hæc est falsa. Prima, quoniam imagines sunt signa non sacra, sed profana, utpote à Deo damnata Exod. 20: nos ad idololatriam prouocantia, quum sunt in templis, Augustinus epist. 49, & in Pl. 113: à Deo Ezechiel. 9. abiecta: à Iehid sublata Dei iussu 2. Reg. 10, Ergo sunt imagines dedecus Templi Christiani non ornamenta. Itaque eas sustulit in Græcia Xerxes: Cicero lib. 2. de Legib. Arabas prius Christianos fecerunt Apostatas: Iudæos arcent, ne fiant veri nobiscum Christiani: Secunda sententia Bellar-

mini est falsa. Templum enim Solomonis & Vetus, non autem nostra Tempia sunt typi cœli: ergo non valet conclusio Bellarmini, ibi esse debere imagines sanctorum, quæ nullæ fuerunt in Templo Veteri, ad cultum, quod tamen erat typus cœli.

Caluini porro rationibus respondere conatur iste: sed frustra: Prima est, Ecclesiam Dei quingentis penè annis caruisse simulacris in templo collocatis publicè. Respondet Bellarminus esse hoc ipsum mēdacium. Respondeo esse hoc totum vetustissimum. Loquitur enim Calvinus de tempore, quo imagines publicè in Templis Christianis fuerunt sine controuersia receptæ: non de eo, quo in priuatis suis ædibus aliquas Imagines Christiani habuerunt pictas, memoriæ tantum causa. Quæ diuersa tempora, & diuersas causas iste confundit, & miscet vel imperitè, vel malitiosè.

Secunda Caluini ratio est. Concilium eliberinum, quod cap. 36. prohibet in Templis Christianis picturas fieri, & esse. Respondet Bellarminus variè, Primum Concilium loqui tantum, & vetasse imagines eo tempore, quo adhuc in ecclesia persecutiones erant, quo tempore fuit illud Concilium. Deinde mutat sententiam, & tum Alani Copi solutionem acceptat: tum postea aliam, & Copo contrariam præfert, tam est in hoc dogmate suo inconstans. Respondeo Bellarmino, omnes, quas affert solutiones, sunt falsæ, & aliæ alias euertunt: sed imprimis Bellarmini responsio est putidum mēdacium & effugium inane.

Nam

Nam Eliberinum Concilium convenit sub Constantino Magno Imperatore post annum Domini 140, cessantibus iam in tota Gallia, ubi fuit Elibera ciuitas persecutionibus. Sed & generalis est Concilij & ratio & Sententia, ne quid pictum, & visibile religiosè coli videatur à Christianis.

Tertia Caluini ratio est firmissima, & ex Augus. Epist. 49. & in Pl. 113. Imagines quæ formam humanam repræsentant, facillime nos inducere ad idololatriam, si collocentur in Templis. Nihil respondet ad hanc obiectionem iste. Quærit vanum *εἰδωλον*, non propter materiam pretiosam sed ex formæ humanæ similitudine gigni idololatriam. Quid hoc ad rem, vel propositum? Tandem ait, multum posse & valere imagines ad fouendum errorem idololatriæ. Respondeo, Ergo iam teste Bellarmino, vicimus, & istud ipsum periculum est vitandum, quod, sicut etiam fatetur, creatur, si in Templis imagines collocentur, & forma humana.

Quarta ratio Caluini, Tempia Christiana viuis Christi imaginibus (quæ sunt duo sacramenta) administrandis sunt instituta: non istis mortuis imaginibus recipiendis. Respondet Bellarminus, Vtrâsq; imagines sese mutuo iuuare. Respondeo, Contrâ, Mortuæ Imagines extinguunt viuas Christi imagines. Nam qui ymbra sequitur, corpus amittit & deserit, & qui sectatur duos lepores, neutrum capit.

Quinta ratio est sumpta ex Epiphanijs Patris & Episcopi facta & Epistola ad Iohannem

Hierosolymitanum qui conscidit velum, in quo pendebat in foribus Templi imago Christi, additque Epiphanius, Hoc esse contra Dei verbum. Respondet variè Bellarminus. Tandem hoc illi visum est tutissimum, negare hæc verba esse Epiphaniij. Respondeo, Nihil esse hac responsione Bellarmini impudentius, quum verba illa extent velut Epiphaniij, in omnibus exemplaribus: & eadem impudentia se & Bellarminum & Suitam Monachum negare potuit, ergo hoc est merum subterfugium.

De Adriano Imperatore quod ex Lampridio allegatur, nihil pertinet ad nos Christianos, sed Gentiles tantum, inutile ipse iudicat aperte, damnat.

Ad Cap. x.

TERTIA quæstio est, Vtrum in Templis Christianis solæ Imagines, & formæ corporum humanorum absque vlla rerum gestarum notatione poni vtiliter possint, ac debeant. Iste tanquam ex Caluino respondet, Poni vtiliter non posse. At intorquet Caluini verba, & mentem. Nã Caluinus lib. primo Institution. cap. 11. 9. 12. scribit eas afferre oculorum oblectationem: nullam autem aliam vtilitatem. Ergo sic erat Caluini sententia explicanda, & recitanda.

Contrà verò Bellarminus scribit eas vtiliter sine historiis in Templis collocari, solas, & simpliciter. Sed quæ sit ista Vtilitas, Bellarminus verè non explicat (nec enim potest) quicquid conatu magno hîc contra Caluinum agat & insurgat. Rationes quidem hæc pro se profert, quæ esse, & fuisse

& fuisse in Templis Christianis Imagines aliquando docent (id quod ad caput 9. seu superius pertinet) sed earum utilitatem non probant. Itaque totum hoc caput est inanis , & molesta repetitio superioris ; Crambe autem bis apposita mors est.

Prima Bellarmini ratio est hæc ; sub Vetere Testamento fuerunt constituti Cherubin in Templo , Dei iussu , qui nihil frustra præcipit : ergo in Templis Christianis utiles sunt Imagines sanctorum. Respondeo , Hæc ratio est Parallogismus Ab ignoratione Elenchi. Nam illa utilitas cessat apud Christianos , propter quam formæ Cherubinorum in Veteri Templo fuerant constitutæ , Nimirum , vt Deus ostēderet Iudæis eos nondum peruenisse ad plenitudinem temporis : sed multa esse adhuc illis tecta , & abdita. Verum nos ad eam plenitudinem peruenimus , 1. Corinth. 10. v. 11. Illæ Cherubinorum imagines præterea fuerunt pars veteris pædagogicæ , quæ tota sublata est per Christum Christianis :

Secunda ratio istius est , Christiani semper habuerunt imagines etiã solitarias velut Christi , vt apparet ex Euagrio lib. 4. c. 18. 26. Historiæ. Eusebio lib. 7. cap. Historiæ. Sozomeno lib. 5. capite 10. Athanasio in libro de Passione imaginis Christi : item B. Mariæ Virginis. Theodorus lector libro primo Collectaneor. Nicephorus libro 14. cap. 2. item Apostolorum , Ambrosius de inuentione Geruasij. Chrysostomus in oratione de S. Meletio imaginis Meletij meminit : alij aliorum , vt Augustinus libro 1. de Consensu Euangelist.

cap. 10. Respondeo Bellarmino, Primum in genere, Nullas vel Christi, vel Marię, vel Apostolorum Imagines in templis Christianis fuisse collocatas his temporibus, quibus autores illi, quos hęc citat Bellarminus, eorum imagines inter Christianos fuisse scribunt: sed in priuatis tantũ ædibus absque cultu, absq; metu Idololatrię habebantur, duntaxat memorię causa. Ergo est hęc ratio fallacia non consequente, Vereres Christiani quasdam pias imagines priuatim absque cultu habuerunt: ergo nos easdem publicẽ in templis ad cultum habere possumus. Peculiariter autem hęc respondemus, Imaginem Christi, quam ex Euagrio, lib. 4. & ex Eusebio lib. 7. cap. 18. ait ab ipso Christo ad Agabarũ. Regem missam: itẽ imaginem Marię à Luca pictam ex Nicephoro lib. 14. cap. 2. esse meras fabulas: sed & graues blasphemias. Imaginẽ Christi publicẽ prostantem sub Imperatoribus Romanis infidelibus, certo certius est. Nec enim eam illi tolerassent, aut Iudæi sæuissimi Christi hostes in Iudæa. Reliqua credet, qui volet. Nam etiam uir uerẽ pius nihil horum credere potest sine periculo Animę, uel conscientię.

Tertiã Bellarmini ratio est Solitariarum Imaginum utilitas, quam triplicem fingit, etsi omnino nulla est: imo graue ex his periculum idololatrię eminet, teste Epiphanio in Epistola ad Iohannem Hierosolym. & Augustino Epist. 49. Prima utilitas ab isto conficta est, Quod Imago solitaria instruit nos. Respondeo ex Habacuc. cap. 2. uer. 18. Imago est doctor mendacij, non ueritatis. Deinde re-

de respondeo Bell. hinc iugulare seipsum, & evertere. Vult enim Imagines solitarias sine historiae notatione esse vtilis: & tamen eę, quas solum vtilis admittit, sunt vel ipso hinc teste, cum historiae notatione pictę, non solitariae. Constat igitur sibi Bellarminus.

Secunda Utilitas conficta, est, Quod sic fouetur charitas nostra erga Christum & Sanctos, quam eorum mortuorum Imagines cernimus. Respondeo Charitas quam à nobis Christus, & Sancti defuncti postulant (non enim amplius eos agnoscimus secundum carnem 2. Corint. 5. ver. 16.) neque eorum Imagines, neque carnale quicquam eorum desiderat. Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 4. & 5. *Non prodest, inquit, in fide nostra de Christo, quod carnaliter animus sibi fingit.* Eodem modo Bernardus Serm. 75. & 76. in Canticum. Deinde hic modus fouendę charitatis, quę refert hic Bellarminus, idololatriam peperit inter homines, teste scriptore grauissimo in libro sapientię cap. 14. ver. 15. & Eustathio in lib. 2. Iliados vbi de vxore Protefilai agit.

Tertia, & quarta utilitas commemoratę à Bellarmino, eum non iuuant, aut eius sententiam: sed planę refellunt. Memoriae enim tantum causę, & imitationis eas poni vult. Cur igitur in Templis potius quam in priuatis ædibus, vbi & sæpius viderentur & tutius absque cultu haberentur? Sed & Memoria ista Sanctorum & imitatio absque eiusmodi vllis formis, & imaginibus melius obseruari potest, quàm ex Imaginibus. Veteres Israelitę imitati sunt, & meminerunt Abrahamū

sed absque Imagine, Paulus I. Corinthh. II. ver. 1.
 Heb. 13. v. 7. præcipit, vt & se, & Sanctos imitemur
 eorumve memores simus: verum vt sui, & eorum
 Imagines vllas vel palàm & publicè, vel domi ha-
 beamus, nusquam iubet. Ergo ista Bellarmini ra-
 tio est fallacia A non consequente. Memoria &
 Imitatio Sanctorum inter Christianos esse, ac vi-
 gere debet: ergo eorum Imagines sunt in Tem-
 plis Christianis ponendæ, ac vtilis. Nam quod
 ait iste, Nos hoc pacto intelligere eos esse nobis
 in cælo patronos, & falsum est, & antea superio-
 re libro refutatum.

Quinta vtilitas ab isto conficta est Confessio
 fidei nostræ. Respondeo. Si confessionem fidei
 Christianæ fieri per erectionem Imaginũ in Tẽ-
 plis vult Bellarminus, hoc falsum est. Hæc enim
 est professio idololatriæ Ethnicæ potius, quàm
 Christianæ fidei confessio, teste Eusebio lib. 7. c.
 18. Historiæ, qui scribit hũc morẽ pingẽdi Imagi-
 nes & habẽdi inter Christianos ex gẽtili cõsuetudi-
 ne profectum fuisse: nõ ex Apostolica traditione.

Sexta vtilitas ab isto Bell. inuẽta, nulla est, nõ
 pe Deũ in Imagine sibi erecta, vel Christũ, vel Sã-
 ctos honorari. Respondeo Hoc esse putidum mẽ-
 daciũ, quàm Deus ipse, & se, & quicquam cęleste,
 aut terrenum, aut aqueum sculptili representatum
 religiose coli disertè vetet, & vetuerit, Exod. 20. v.
 4. Deuter. 5. v. 8. Locus autẽ ex Eusebij lib. 7. c. 18.
 facit contra ipsum Bellarminum. & valet. Itaque
 sibi contrarium esse ipsemet videt, & fatetur.

Ad Cap. XI.

Homo iste Bellarminus antiquũ suum, & cõ-
 suctas ineptias suas retinet, nimirum vt eadẽ

sæpius inutiliter repetat, & studeat scriptis nos onerare suis, vel vt obtundat nos, vel ab aliorum meliorum autorum scriptis legendis propter angustias temporis auocet: vel vt ingenium vanè ostendet suum. Ergo hoc caput XI. coincidit cum capite XIII. & illic omnino denuo ab eodem hoc repetetur. Sed hîc sese Bellarminus conuitiis oblectare, more suo, voluit in nostros euomendis. Sunt enim putida conuitia, istius Rhetoris flores, & lepos orationis. Nos igitur hoc capite, quod postea repetet iste, omisso: & istius spretis conuitiis ad rem ipsam, & caput sequens accedamus.

Ad Cap. XII.

Imagines honorandas esse tum Christi, tum Sæctorum, asserere ac probare conatur hoc capite. Bellarminus: Verùm eiusmodi postea, & tot conditiones, modificationes: cautiones, restrictiones, limitationes addit eodẽ hoc capite, & c. 20. (quod hoc præcedere caput debuit) vt nullus sit hic honor omnino, quem Imaginibus suis tribuit, atque relinquit, & tribui vult Bellarminns. Itaque verbis quidem concedit eas esse honorandas: re ipsa tamen id ipsum negat: ac proinde se refutat.

Ac quidem hoc capite tres istius imaginum honoris restrictiones affert, quæ honorẽ hîc nullũ honorẽ esse demonstrant. Prima limitatio est, vt nulla in istis Imaginibus fiducia ab honorantibus eas collocetur. Secunda, vt ab eis nihil petatur: Tertia, vt nulla in illis diuinitas inesse credatur. Qualis igitur honor iste, iam erit?

Certè nullus. Præsertim, quum non Ciuili, sed religioso honore venerandas Imagines esse & velit, & censeat Bellarminus, & eum honorem ipsemet adorationem vocet col. 1576. L. B. & L. C. hunc cultum religiosum. Quomodo verò vllus religiosus honos ei rei tribui debet, aut potest, in quam non speres: à qua nihil petere debeas, aut possis, & in qua nulla Diuinitatis pars, aut cogitatio inesse creditur: Hæc non cohærent.

Præterea non dicam quotus quisque Pontificiorum neque Imagini, quam honorat, siue Christi, siue Sanctorum, fudit, neque ab ea aliquid petit, neque in ea diuinum quicquam inesse putat. Sed nullus est Pontificiorum; qui, quum Imagines in Templis sitas intuetur, & honorat, has limitationes cogitet, aut sibi ante oculos proponat. Ergo hæc tota Bellarmini sententia inane est effugium, & sibi contraria, & à suis omnibus Iconolatris reiecta est.

Rationes tamen eius audiamus. Prima est, ex Exod. 25. vers. 19. 20. & Numeror. 21. ver. 9. vbi formæ seu Imagines Cherubin seu Angelorum, & Christi Imago in Serpente coli iubetur: cur igitur & Sanctorum Imagines (qui sunt in cælo) coli nõ poterunt? & vera Christi Imago in forma hominis, coli in Templis non poterit? Respõdeo, quod antea, Neque Cherubin Imagines colebantur in Templo: neque serpens æneus. Nam quum iste Serpens, ac propterea Christi Imago, interprete istomet, honorari religiosè cepit, ab Ezechia, Rege Iuda deiectus est 2. Reg. 18. vers. 4. Ergo falsum est Bellarmini assumptum. Deinde affert alios locos

eos velut ex Ps. 99. ver. 5. *Adorate scabellum pedum eius.* Matth. 5. ver. 34. *Ne iuretis per caelum:* & ex Exod. 3. ver. 5. 28. ver. 2. ex 2. Timoth. 3. ver. 15. vbi quaedam res creatæ dicuntur *sancta*, & *sacra*: ergo religioso cultu venerandæ. Quod si hæc, & Imagines Sanctorum quoque sunt & sanctæ, & venerandæ. Respondeo, Hæc Bellarmini ratio est fallacia duplex, vna A Petitione Principij. Petit enim & supponit illud esse verum, quod tamen est falsum, nempe scabellum pedum Dei, Terram, vestes sacerdotales, characteres & codices, & litteras S. Scripturæ esse religioso cultu honorandas. Nam & sanctæ, & sacræ dicuntur, quod vel rei sacræ sint significatio, sicut erant vestes: vel sacram doctrinam contineant, velut S. Scriptura. Ergo relatè, non per se: ex usu & fine, non ipsæ, quales natura sunt: *νατῆς*, non *ἀπλῶς* tales nominantur res istæ, sicut aqua in Baptismo, panis & vinum in S. Cœna. At soli ei rei, quæ per se, naturâ, & simpliciter sancta & sacra est, estque Deus, religiosus cultus & veneratio debetur, Matth. 4. ver. 10. teste Christo: Deuter. 6. ver. 13. teste Mose, Galat. 4. v. 8. Paulo teste. Quare res istæ creatæ nequaquam sunt colendæ religiosè. Altera fallacia est A falsa locorum, quos citat, interpretatione. Nam Psalmi locus 99. v. 5. nihil ad hoc argumentum pertinet, & loquitur de Deo ipso, non de creaturis adorandis. Matthæi locus 5. ver. 34. ostendit esse blasphemiam grauissimam, si rei creatæ cultus religiosus (quale est Iururandum) tribuatur. Confirmatur nostra sententia can. *considera*, & can. *Si quis per 22. quæst. prima*. Reliqui ex Exodo & Paulo loci mō-

strant vsum rerum earum, quæ Sanctæ vocantur: non autem cultum earum, neque venerationem religiosam iis deberi.

Conclusio denique Bellarmini, & locorum applicatio ad imagines est insulsa. Nam est fallacia A non consequente. Neque enim sequitur, Quòd si Sancti ipsi sunt honorandi, eorum imagines sint quoque honorandæ. Alia enim Sanctorum ipsorum, alia imaginum eorum ratio est. Neque si honor debetur corpori Patris à filio, debetur quoque honor vel idem, vel similis vmbrae istius corporis paterni: id quod tamen iste ἀσυλλογίστως concludit.

Secunda Bellarmini ratio sumpta est ex quatuor illis idololatricis Conciliis, Niceno II. VI. Synodo reiecta, Concilio sub Gregorio tertio, & Stephano III. furiosis hominibus, & iconolatriis: quæ nos antea & in generali, & in particulari luculenter confutauimus. Nihil enim, quàm iam actum, agit hic Bellarminus. *Crambe repetita mors est.* Et quod de Niceni Concilij secundi valida autoritate tam obstinatè disputat iste, cum ipsius diffidentiam in sua causa ostendit: tum inane est. Antea enim in Controuersia de Conciliis refutata est ista Concilij Niceni II. autoritas tota: & postea cap. XIII. de eo ipso disputabit hic idem Bellarminus. Quod illius Concilij Acta integriora seruata fuisse addit, quàm reliquorum omnium Conciliorum, nihil istum iuuat. Idcirco enim ita euenit, quòd iconolatræ isti magno dolo, & audacia omnia suppresserunt, quæ suam idololatriam oppugnabant: ea verò fideliter, & diligenter conseruarunt

uarunt, quæ suum errorem manifestum cõfirmabant. Sic Hieronymus Vigilantij, & Ioviniani eruditorum virorum scripta suppressit. Sic Lanfrancus, & Transsubstantiores Libros Berengarij viri eruditissimi sua ætate habiti extinxerunt.

Tertia Bellarmini ratio sunt aliquot Patrum sententiæ, sed eorum duntaxat, qui post errorem in Ecclesia de imaginibus habendis natum extiterunt. Verùm etiam ad illam ipsam rationem dupliciter respondeo, Primùm esse ista Patrum dicta tantùm eorum rhetoricationes, non dogmata. Deinde non quid Patres, i. homines senserint: sed quid ex Dei verbo sentire debuerint, esse nobis spectandum & sequendum, præsertim in Articulo Fidei. Adde quoque & hoc tertium, Nullum Patrem ante Concilium Secundum Nicenum (quod demùm conuenit circa annum Domini 788.) dixisse, sensisse, aut scripsisse adorandas, vel religiose colendas esse Sanctorum imagines: sed duntaxat memoriæ, & historiæ causâ haberi, vel retineri inter Christianos posse, quemadmodum ex ipsis locis quos hîc citat, & describit Bellarminus, apparet. Nam quod ait Ambrosius Imperatorem ipsum contemni, quum sit ipse statuæ iniuria, id verum est, quatenus de civili honore intelligitur, & fit statuæ Imperatoris iniuria animo iniuriandi, & spernendi Principis. Verùm si cibus, si potus, si arma, si vestimêta statuæ Principis, denegentur, quoniã is nō eget imago, nec inest tunc vllus contẽptus Principis, nō fit Principi iniuria. Ratio igitur, cur facta Principis statuæ iniuria redūdare dicatur in Principẽ est, quòd cultus quãuis civilis

qui Imperatori debetur hoc postulat, vt vbique de eo bene sentiamus, eius memoriam vbique, etiam in Imagine honoremus. At verò Cultus non Ciuilis, sed Religiosus à Bellarmino tribuitur Sanctorum Imaginibus. Cultus autem Religiosus soli Deo debetur: ipsius autem Dei Imagini exhiberi neque debet, neque potest: nedum Sanctorum Imaginibus. Itaque in eo discrimen est magnum inter Ciuilem, & Religiosum honorem, quòd Ciuili etiam imagini tribui potest: Religiosus non potest. Est igitur hæc fallacia Ab æquiuocatione vocis *Honor*, vel *Cultus*.

Denique ipsemet Bellarminus, col. 1579. L. A. fatetur, dum olim Crux Christi adoraretur, & adorari diceretur, esse metonymicam, saltē tropicam locutionem, in qua suppositum pro apposito sumitur, Nempe Crux pro ipso Domino nostro Crucifixo. Sic igitur quum de Imaginibus Sanctorum honestè Patres loquuntur, & sanctæ vocantur, hæc phrasēs de ipsis Sanctis sunt intelligendæ. Minutius lib. 8. contra Gentes, *Nos crucem, inquit, neque adoramus, neque optamus.* Quod autem hoc loco tam prolixè, col. 1578. & 1579. tradit de Cruce Christi adoranda, postea hoc ipso libro cap. 27. 28. repetet, vbi nos Bellarminum confutabimus.

Quartum Bellarmini pro Religioso Imaginū cultu argumentum sunt Miracula, quæ ad eas ædita putat. Respondeo, Primùm illa miracula magnam partem esse falsa. Deinde vt etiam omnia sint, aut fuerint vera: non ex solis miraculis veritas doctrinæ alicuius constat: sed potissimum ex
Dei

Dei verbo scripto, cui consentiens esse debet. Nā Sathan pro suorum etiam Mendaciorum confirmatione Miracula ædit, 2. Thessal. 2. ver. 9. Apoc. 16. ver. 14. Id quod sæpius iam respondimus. Et bene Centuriatores respondent, quum negant Instrumenta, per quæ Deus ædidit Miracula, esse adoranda. Nam Sputum, Terræ pulvis, & Saliva oris esset adoranda. Iohan. 9. ver. 6. Marc. 7. vers. 33. quoniam per ea Deus fecit Miracula: item Aqua, Baculus, Lignum, Virga, & quid non? Ergo ineptus est, & bardus Bellarminus, qui tam verā Cēturiatorum solutionem reiicit, & repudiat.

Bis autem insulsus est, qui à Deo Miracula ædita esse putat ad aliquas Sanctōrū statuas (si tamē credere dignum est) vt ipsæ statuæ docerentur honorandæ, quas Deus ipse expressissimè vetat honorari. Exod. 20. ver. 4. Deut. 5. ver. 8. Effet enim sibi contrarius Deus, varius, & mutabilis, quod negat in Epistola Iacobus. cap. 1. v. 17. estque vel sentire blasphemia.

Quintum Bellarmini argumentum est, Homo honoratur, quia Dei Imago est: ergo etiam Hominis ipsius Imago est honoranda, ac proinde & Christi, & Sanctōrum. Respondeo, Innumera sunt istius Bellarmini vitia. Primū Ab æquiocatione vocis *Imago*. Nec enim Hominis statua, de qua hīc agitur, eodem modo est Hominis statua, quo Homo est Dei Imago. Est enim Homo viua Dei Imago. Statua, Imago Hominis mortua. Deinde vitium est Ab æquiocatione vocis *Honor*, vel *veneratio*. Nam Homo, licet viua Dei sit imago, tamen ciuili tantū, non religioso hono-

re colitur, estque dignus. At iste ex hac similitudine & comparatione colligit mortuas hominum imagines religioso cultu esse honorandas. Tertium vitium huius loci est fallacia A non Consequente. Nec enim sequitur, quod si quispiam sit honorandus, eius vestis, & imago mortua quoque sit honoranda, colenda, in sinu ad mensam, in lecto, in foco habenda, vestienda. Aliud enim corpori, aliud umbræ debetur. Neque vtriusque eadem ratio est. Et hæc tot manifesta sunt istius rationis vitia, quicquid Centuriorum rationibus respondere conatus Bellarminus, cauilletur. Nihil enim soluit, imò toto cælo aberrat, dum viuum quemuis Hominem religioso cultu venerandum esse ait, quia Dei sit imago. Ergo & Turcæ, & Idololatræ, & Iudæi Iudaizantes sunt religioso cultu colendi ex istius sententia. Quis autem hæc opinionum, & errorum monstra pius vnquam probauerit? Sed isti Afino suus carduus sapit: rosa verbi Dei malè olent.

Ad Sextum Bellarmini argumentum, Nempe imago regis civili honore colitur: ergo imago Sanctorum religioso est veneranda, iam hoc ipso capite respondimus in tertio argumento. Sed continet hæc collectio manifestam fallaciam Ab ignorantia Elenchi, Nimirum eadem de Disparitatis concludit: & quod duntaxat de cultu Civili conceditur, transfert *αυτολογισως* ad religiosum cultum.

Ad septimum itidem argumentum istius respondimus iam in tertio quoque huius capituli argumento.

gumento, Ait igitur, Imago est capax iniuriæ: ergo & Honoris, Chrysoftomus Homil. 1. & 2. ad Popu. Antiochen. Respondeo, Est capax duntaxat Ciuilis iniuriæ: ergo & Ciuilis solum honoris. Quamquam & hic quoque ciuilis honor, qui tribuitur imagini, exiguus omnino, moderatus, ac pene nullus sit, nisi fatui esse & videri velimus, & quales Diogenes ille Cynicus, qui panem à staturis emendicabat. Et positus est hic ciuilis imaginum honos potius in non agendo, quàm in tribuendo eis quidpiam: in non lædendo eas, quam eas honorando ornando & salutando.

Octauum Bellarmini argumentum est, Imagines sanctæ repræsentant Sanctos: ergo sunt religiosè venerandæ. Respondeo, Imo ne sancti quidem ipsi sunt siue Viui siue Mortui religiosè venerandi: ergo multo minus eorum defunctorum imagines.

Nonum argumentum, Iconolatræ fuerunt sapientiores, quàm Iconomachi: ergo verior est cultorum imaginum sententia, quàm eorum, qui eas nequaquam colunt. Respondeo, Est fallacia A petitione Principij. Nam negamus illud, quod hoc loco assumit iste. Sunt enim sapientiores, qui Dei verbum scriptum sequuntur (quod faciunt Iconomachi) quàm qui illud euertunt quod Iconolatræ manifestè agunt.

Decimum argumentum Bellarmini est idem, quod prius: ergo iam confutatum. Declamat enim iste ex Paulo Diacono, Matthæi Palmerio, & Zonara Iconolatrissimis Monachis in eos Imperatores, qui Constantinopoli

Imagines, & idola ista disiecerunt, & clades ab
 iis acceptas accidisse idcirco putat superstitiosus
 iste Monachus, quod illi cultū Dei ex ipsius verbo
 reformassent, & manifestam Imaginū idololatriā
 deieciisset. Respondeo, Ab istis Iconomachis (quos
 Bellarminus vocat) Imperatoribus fortiter & de-
 fensum, & retētum esse imperium: ab iconolatriis
 autem Imperatoribus turpissimē amissum: imō,
 teste Leonardo Chio, qui interfuit, quo tempore
 Vrbs Constantinopolis à Machomete II. Turca-
 rum Rege capta est, omnes omnium Sanctorum
 Imagines, imprimisque B. Mariæ religiosissimē
 cultæ sunt, circum Vrbs mœnia gestatæ, adoratæ,
 honoratæ. Fuit Leo 3. Isauricus, qui primus Icono-
 machus dictus est, Imperator fortissimus Fuit Co-
 pronymus summus bellator, & multa præclare
 gessit, fines imperij recuperavit, & auxit, vt ex e-
 ius historia constat. Quod imperium Italiæ (quod
 illis perfidi, & scelerati Papæ Romani, Gregorius
 II. Constantinus I. Gregorius III. Zacharias pri-
 mus ademerunt) non recuperarunt postea Con-
 stantinopolitani Imperatores: (quorum tamen
 plerique imagines religiosē coluerunt: non vi-
 imaginum, & earum potentia id effectum est: sed
 Caroli Martelli, Pipini, & Caroli Magni Franco-
 rum Regum potentissimorum armis, & robustis-
 simis exercitibus, qui Imperij partem illam Occi-
 dentalem & ambibant iam, & habebant, quod si-
 bi eripi volebant. Denique eadem hac ratione &
 Ezechie, & Iosiaz Regum Iuda sanctissimorum ve-
 ra religio, ac pietas suggillaretur, quorū tēporibus
 varię clades Ecclesię, & Regno Iuda acciderunt.
 Verum

Verum, ut ait ille,

careat successibus opto,

Quisquis ab euentu facta notanda putat:

Ad Cap. XIII.

Am repetit Bellarminus eadem illa, quæ supra cap. xi. dixerat. Itaque nostrorum rationibus respondere, sed frustra nititur, ac satagit. Prima nostra ratio est ex Exod. 20. vers. 4. Deuter. 5. vers. 8. ubi Deus Imaginum cultum damnat & reprehendit. Respondet, Bellarminus id solum de Idolorum, id est, Gentilium Deorum, & eorum Imaginum cultu intelligi. Respondeo, Verba prohibitionis Dei in lege sunt generalia, & de quavis, & cuiuscunque rei Imagine loquuntur, quam colli religioso cultu lex vetat. Quod ait Calvinus Ethnicos nunquam existimasse Imagines suorum Deorum esse Deos ipsos, qui erant in cælo, vero verius est, & probat duobus sermonibus seu λόγους Maximus Tyrius, qui sunt de Idolis. Nec enim Imagines mortuas Deos viuos esse existimabāt. Neque obstat, quod istas Imagines tamen Deos appellabant, quia suorum Deorum picturæ erant. Sic enim pictus equus, pictus homo, picta femina, equus, homo, femina vocatur homonymos. Sic Imagines Dij dicuntur.

Israelitæ vitulum in deserto colentes, aut vituli Imaginem, Deum verum omnino non erant oblitati tamen: & tamen eum deseruisse dicuntur Psal. 106. vers. 19. 20. quoniam in eo colendo mandatum ipsius deseruerant: non autem eius memoriam plane & omnino abiecerant. Vituli autem Imaginem potius, quam equi, aut ovis poposcerūt, quia

vitulos, & vitulorum imagines in Ægypto (vnde recens egrediebantur) coli viderant. Reliquæ solationes Bellarmini sunt verba, & voces, & nugæ canoræ, ambitionis & ostentationis plenæ, nihil solidi, aut veri habentes. Quod enim obiicitur *Iehouah* (quod soli vero Deo competit) ac proinde veri Dei, qui eos ex Ægypto eduxerat, memoriam ex animo tunc non deleuisse, est tam verum, & solidum Caluini argumētum, vt illud Bellarminus, quantumuis æstuarit, conuellere nō potuerit. Modò ad Caietani solationem confugit, qui fingit apud solos Iudæos fuisse duo genera idolorum, alia nempe nominata: alia Anonyma. Modò diuinat, & ait Iudæos fortè non existimasse vocem *Iehouah* esse proprium veri & sui Dei nomen. Quis hanc ineptiam, quis nugas ferat istas? Itaque nihil affert certum, ac propterea quod sit à nobis refellēdum, & in quo pedem figere contra eum possimus. Deliberet igitur quam sententiam ex tot & tam variis suis eligat.

Quartum mendacium, quod Caluino affingit, est ipsiusmet Bellarmini mendacium, nempe Ethnicos credidisse imagines ipsas Deorum brutas & stupidas & mortuas esse suos & ipsos Deos, quos & viuos, & in cælo esse fatebantur, id refutat M. Tullius Cicero lib. 2. de legib. Tyrius Maximus duobus Sermonibus de idolis. Eas enim imagines æquiuocè Deos vocabant, vt picta cucurbita dicitur cucurbita. Nec obstat, quòd Sacra Scriptura, quòd Patres, quòd Prophetæ docent ista simula-

era aurea, vel argentea non esse Deos. Nam non ipsa per se simulacra, & imagines spectat vel Scriptura, vel Patres &c. neque de iis loquuntur, proprie quum negant eas esse Deos, sed tropico, & metonymico dicendi genere (ubi signum pro re signata sumitur) de illis agunt Scriptura, & Patres, quorum hæc signa & statuae erant imagines: quos pernegant esse Deos & colendos. Ergo pueriliter decipitur Bellarminus, qui signum pro re signata accipit, & quod de hac intelligi debet, de illo signo imperitè, vel malitiosè sumit.

Verum quid tandem efficiet iste, etsi hoc illi conceditur, quod contendit, Ethnicos putasse imagines ipsas esse veros Deos (id quod nemo homo, nisi prorsus amens, sensit unquam, licet Ethnicus) quid inde colligis Bellarmine? Calumniam nempe mentitum esse, dum de Ethnicorum mente in imaginibus colendis loquitur. Atque facile fuit Caluino viro pio, & nunquam Ethnico, quid singuli & imperiti Ethnici de suis imaginibus sentirent, ignorare. Tu verò eorum mentem scilicet melius nosti? Cur id verò? Quoniam Ethnicus in eo es manifestè, quòd, ut illi, colis imagines istas brutas religioso cultu. Ergo dum Caluinum mendacij, mi homo, accusas, te ipsum impletatis manifestæ damnas. Vide quid lucreris.

Quintum mendacium homo iste impudens affingit Caluino, quia dixit eadem ab Iconolatris Christianis exhiberi suis imaginibus & Sanctis, quæ Ethnici olim suis Diis faciebāt. Dicis hoc esse Caluini mendacium. Meritis strenuè ipse. Nā ipse tu ex Cyrillo docere voluisti antea Christianos

suis Martyribus mortuis iam eundem honorem deferre, quem olim Ethnici suis Deis & Idolis. Deinde quid certius est, quàm Iconolatræ Christianos suis Sanctis, & eorum Imaginibus Aras, Tempa, Festum, peculiarem cultum, & officium deferre, & instituire. Nec vero alia neque plura Ethnici olim aut Iudæi, Idololatræ à Prophetis damnati suis Diis exhibuerunt. Ergo vetissimum dixit Calvinus: tu mendacium.

Ad Cap. XIII.

SECUNDA nostra ratio, per quam Imagines, & earum cultum religiosum damnamus, est sumpta ex quattuor Conciliis (Bellarminus tamen *dumtaxat* tria enumerat) nimirum ex Concilio Eliberino ca. 36. circa annum Domini CCCXXV. Duobus Conciliis Cōstantinopolitanis, vno sub Leone III. Imperatore circa annum Domini DCC. Altero sub Constantino Copronymo postea: & quarto Francofordiensi sub Carolo Magno anno Domini DCCXCIII. quæ omnia anathematizant Imagines religiosas. Respondet Bellarminus, tria posteriora Concilia esse illegitima, quoniam ab iis Romanus Pontifex, & alij Patriarchæ abfuerunt. Respondeo Bellarmino. Primum nihil respondet ad Concilium Eliberinum, quod & legitimū est, & minimè controuersum, & Bellarmini sententiâ prorsus antiquat, tollit, abrogat. Deinde, licet quod ad externæ cuiusdam cæremoniæ particulâ eis Conciliis aliquid deesset (quod est omnino parui momenti) tamen nihil istis Conciliis defuit, quod ad Internam & essentialem validitatem, auctoritatem, bonitatem, & decretorum firmitudinē, Consentiant

Consentiunt enim trium illorum Conciliorum canones, (qui imaginum cultum religiosum damnant) & concordant plane cum Dei verbo scripto: quod solum est iustum decretorum de fide (quæ à Conciliis fieri possunt) fundamentum. Denique respondeo, Nihil obesse & Pontificis Romani, & aliorum Patriarcharum (quos iste vocat) absentiam, quò minus illa tria Concilia sint legitima. Vocati enim & interpellati illi ut adessent, interesse noluerunt, vel quoniam erant Iconolatæ, vel propter itinerum difficultatem, vel odiû suum in Imperatorem suum. Ergo quemadmodû in Electionibus Ecclesiasticis, ut sint legitimæ, satis est, si vocati sint vocandi, valentque electiones illæ, quamvis isti vocati abfuerint, vel quia noluerunt, vel quia non potuerunt venire, textus expressus in cap. *Quia sicut*, in cap. *Bona* & glossa in cap. *Coram*, & cap. *In Genesi*. Extra de *Electione*: & formaliter textus, & glossa in can. *Factus est VII*, quæst. I. sic in conciliis & generalibus, & particularibus, ea valent, quod ad formam externam, si vocandi fuerint vocati, quamvis illi interesse noluerint, vel non potuerint. Habet igitur Bellarmi, iustum ad suas solutiones responsum.

Illis autem Conciliis à nobis allegatis derogari, vel obrogari à Niceæo secundo nõ potuit, quia verbo Dei illa eorum decreta nituntur, cui ab hominibus nullo pacto derogari potest I. Corinth. 10. vers. 22. I. Petr. I. vers. 25. Quum autem istorum trium Conciliorum decreta probamus, nõ omnia sed ea tantum, quæ cum Dei verbo scripto consentiunt, admittimus. Itaque fatuus est Bellarmi-

nus, qui scribat hoc loco nos Concilia laudare, à quibus anathematizamur, & damnamur.

Ad Cap. xv.

Tertia ratio nostra sumitur ex libro Caroli Magni, ubi Synodus ista Nicena secunda, quatenus imaginum cultum religiosum admittit, reprobatur, & ex Dei verbo evertitur. Respondet Bellarminus, se iam in lib. 2. de conciliis cap. 8. ad eam respondisse: & nos ad eum locum remittit. Respondeo, Et nos quoque pios lectores reuocamus ad ea, quæ illic Bellarmino respondimus.

Ad Cap. xvi.

Quarta ratio nostra ex Patrum dictis est, qui Christianos imaginum cultores grauissime reprehendunt, etiam Christi ipsius, quod fecere hæretici Carpocratiani, Irenæus li. 1. c. 28. Epiphanius hæresi 27. Augustinus de hæresibus ad quod vult Deum ca. 7. item & Collyridiani, & ipsi quoque hæretici. Epiphanius hæresi cap. 79. Respondet Bellarminus ad dictum Irenæi lib. 1. cap. 24. Ambrosij in oratione de Obitu Theodosij *Helena crucem inuenit, Regem Christum adorauit, Hieronymi in cap. 3. Danielis, Qua Deum colunt, non debent statuas adorare: eos damnare duntaxat cultum Gentilium idolorum, non imaginum. Respondeo, Damnat Irenæus eos, qui statuam & imaginem ipsam Christi colebant religiosè: Epiphanius eos, qui venerabantur B. Mariæ imaginem hæresi 79. At hæ imagines non erant Deorum gentilium imagines. Ambrosius crucis Christi adorationem abrogat. Ergo subterfugiùm & mendaciùm est solutio*

lutio Bellarmini. Deinde respondet, eos solùm reprehendi, qui colūt imagines eodem cultu, quo adoratur Deus. Respondeo Bellarmino, Atqui Pontificij suas imagines eodem modo colūt, quo Deum ipsum, nimirum Ara, Templo, Festo, officio peculiari illis dicato. Quare ex Bellarmini sententia sunt Pontificij & idololatræ, & meritò anathematizandi.

Ad Augustinum lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 36. vbi picturarum adoratores negat esse Christianos, nihil respondet Bellarminus: sed tantùm diuinat, & variat. Ait enim, *Forte loquitur de Idolis Gentium*: deinde *Forte loquitur de nimis imaginum adoratoribus*. Dic, & responde aliquid certi, Bellarmini. Denique inquit Augustinum mutasse postea sententiam, quæ est effrons & impudens Bellarmini diuinatio. Hoc enim falsum est, August. lib. 20. cap. 21. contra Faustum. Ciuitate lib. 22. cap. 10.

Eadem fraude Gregorij Magni auctoritatem li. 9. epist. 9. & lib. 7. epist. 54. & 109. qui negat imagines adorandas esse, eludit. Nam apertè & sine circuitione loquitur Gregorius, locus inspiciatur, negat enim colendas esse Sanctorum imagines.

Ad Cap. xvii.

Qvinta nostra ratio est ex 2. Reg. 18. vers. 4. Ezechias enim Rex pius Iuda æneum serpentē fregit, quòd illa imago à populo religiosè coleretur. Respondet Bellarminus, Primùm falso. Negat enim incēsum alicui offerre, esse religiosum cultū. At refutatur ex 1. Reg. 12. v. 30. 31. quem ipse citat, ex 2. Reg. 12. vers. 3. Exod. 29. vers. 3. vbi oblatio

incensi dicitur esse diuinus, ac religiosus cultus. Deinde respondet Iudæos adorasse illam Imaginem propter pretiosam materiam. Respondeo. At illa erat penè nihili. Ergo per contemptum *as exiguum* appellata est ista Imago. Constabat enim *ære* exiguo & pauxillo. Cur igitur tam audenter diuinat iste, & quidem falsa, inaudita, inepta?

Ad Cap. xviii.

Sexta ratio nostra est, hic cultus Imaginum perierit inter Christianos veram meramque Idolatriam. Nam credunt quandam diuinitatem inesse in illis statuis. Ergo ad has potius, quàm ad illas precantes conuertuntur, & respiciunt: illas frequentant, has deserunt: ad has peregrinantur ex voto, illas negligunt. Respondet iste, tribus de causis id fieri. Respondeo, Quacunque de causa id fiat, fit ab illis superstitiose: & quòd in his Deitatem quampiam & numen inesse, latere, & inherere putant. Id quòd, vel hoc ipso Bellarmino teste, fecerunt, faciuntve Ethnici quoque. Denique quàm *θεόλογοι* illud est, quòd hic scribit, quasdam Imagines esse magis pias & religiosas? quasdam ab ipso Christo: quasdam ab Angelo factas? Id quòd est etiàm blasphemum.

Ad Cap. xix.

Septima ratio nostra est ex optimæ Ratiocinationis legibus verissimis. Prima, Imago est res bruta, & inanima: ergo incapax istius honoris. Respondet iste verum esse quòd dicimus: sed coli propter Prototypon. Respondeo Prototypon istud est vel Deus, vel homo Sanctus. At Deus vetat se in Imagine coli, Exo. 20. vers. 4. Sancti quoque idem
sibi

sibi fieri prohibent, Augustinus de vera Relig. ca. 54. Actor. 20. ver. 25. Ergo neque propter se, neque propter Prototypon Imagines coli debent. Deinde ipsemet Bellarmin. Inf. cap. 21. negat quod hic ait, Imagines propter prototypon coli. Contendit enim eas per se, & proprie colendas esse: ergo non propter prototypon. Secunda ratio nostra est, Imago non est res sancta: ergo non veneranda. Respondet Bellarminus per se Imagines non sunt sanctæ, sed relatè propter significationem Prototypi, velut Christi: & propter Ecclesiæ institutionem, quæ hoc præcipit, & Imagines ad Dei cultum consecrauit. Respondeo, vtrunque hoc responsum est fallacia. Ac quidem Primum A petitione Principij. Assumit enim Imagines esse in Templis Christianis legitimas repræsentationes & probandas. Id quod est falsum. Damnantur enim in Templis Christianis religiosæ Imagines, siue per sese considerentur: siue relate ex suis Prototypis. Exod. 20. ver. 4. Deinde non quicquid est repræsentatio rei sacræ, religiose colendum est. Nam Ianua, Agnus, via potest esse figura Christi Iohan. 1. ver. 29. 14. ver. 6. nec tamen hæc sunt à nobis veneranda. Secundum responsum Bellarmini est fallacia A non causa. Nec enim aliquid rectè fit ad cultum Dei, quoniam ab ecclesia & hominibus institutum est, Matth. 15. ver. 9. Tertia ratio nostra est, homo ipse est vera, & viua Dei ipsius imago, qui tamen religiose non est colendus: ergo multo minus hominis ipsius imago sic honoranda est. Iste respondet, Propter periculum Idololatriæ hominem nõ coli religiosè. Respondeo, Ergo neque hominis

Imago propter idem Idololatrię periculum (quod iam apparuit) religioſe veneranda eſt, vbi enim eadem ratio eſt, & ius idem obtinere debet.

Ad Cap. x x.

IAm verò hoc caput, & tota ſequens diſputatio uſque ad cap. xxvi. eſt & inutilis, & à nobis conſutata. Nam diſſertat & diſceptat laborioſe miſer iſte Iconolatra & Mönachus, quo cultus genere ſint colendæ, & inuocandæ, defunctorum Imagines. Fruſtra. A quocunq; enim remouetur genus, ab eodem remouentur ſpecies. Nam quod Animal eſſe non poteſt, nec eſt: illud neque homo, neque brutum eſſe poteſt. At nos cultum omnem, præſertim religioſum, ab Imaginibus remouimus: ergo non eſt quærendum qua cultus religioſi forma ſeu ſpecie ſint illæ venerandę. Audiamus tamē quid Bellarminus dicat, ne ſe neglectum conque-
ratur, aut ſe non conſutatum à nobis iactet.

Primum, vel ex hac ſententiariorum inter ſe contrarietate fatiſ pparet, totum hoc eorum de Imaginibus colendis dogma eſſe incertum, dubiū, varium, & anceps. Nam Alexander Halenſis 3. parte quæſt. 30. artic. finali, & Durandus in 3. Sentent. Diſt. 9. quæſt. 2. negant Imagines ipſas eſſe colendas: ſed ſolum in Imagine exemplar. At Thomas in 3. parte ſecundæ quæſt. 25. Artic. 3. & ibi Caietanus, Carthuſianus, Marſilius in li. 3. Sentent. Diſt. 9. aſſerunt Imagines non modò colēdas, ſed etiam eodem, quo Prototypon, cultu. Denique Martinus Peretiſus Tract. de Imaginibus, Biel in 3. Sentent. Diſt. 9. quæſt. vnica Ambroſius Catharinus, Nicolaus Sanderus li. 2. c. fin. de Imaginibus cōtra Thomam,

Thomam, & alios Iconolatrias scribunt & sentiunt, imagines minori cultu dignas, quàm ipsarum exemplar. En nimirum, præclaræ, & certæ de præcipuis fidei suæ decretis Sententiariorum sententiæ: imo incertissimæ.

Has tantas fratrum discordias ut placet iste & conciliet, quærit magnum, & triplex præambulum, nempe Primum, quædam per se, quædam per accidens honorari. Secundum, quædam propter se, quædam propter aliud. Tertium, quædam propriè, quædam impropiè coli. Hæc tria præambula sunt vnum duntaxat, ut septem vaccæ, & septem spicæ macræ, quas vidit Pharaon Genes. 41. Nam quæ propriè honorantur, illa & per se (utpote ipsum honoris obiectum & suppositum) & propter se, nempe causam honoris istius continentia, honorantur. Verùm Bellarminus in simpulo turbas mouet, in lente vnguentum ac laureolam quærit, & ex Musca vir ambitiosissimus facit elephantem.

Ad Cap. XXI.

Positis sui erroris, quem hinc accumulatur, & multiplicatur, fundamentis, iam plene piis & venenum idololatriæ, quod antea retentum pectore tantum concoquebat, euomit aperto ore. Scribit enim Imagines Sanctorum & per se, & propriè religioso cultu venerandas esse. Quo quid magis blasphemum, & in Deum sacrilegum dici, aut fingi potest? Ergo vult ipsas Imagines esse proprium adorationis eorum (qui eas colunt) terminum. Quis Ethnicus peiora unquam scripsit, aut sensit? Quicquid enim veterator iste, excipiat, eas

non esse latria venerandas: tamen & religioso cultu honorandas ait, & rotundè adorandas esse contendit & affirmat.

Rationes Bellarmini audiamus. Prima est, quia Nicenum Concilium I. definit esse venerandas, sed non latria: ergo, colligit iste, vult concilium esse eas honorandas per se, & religiosè. Respondeo, Nego cõsecutionem. Nam coli possunt ciuilitè, & tãtum propter ipsarum exemplar, quemadmodum Traiani mortui statua triumphans, teste Sexto victore, & ciuilitè solum, & nõ propter se, sed propter Traianũ Prototypon honorabatur. Christi Imago dicitur hoc loco impie totam Hypostasin Christi repræsentrare. & non modò naturam eius humanam: sed etiam diuinam. Hæc enim corporali forma effingi non potest. Sed nec cuiusquã hominis imago visibilis, illius animum refert, licet Petrus, vel Petri imago, illa nominetur. Est enim hæc locutio Synecdochica, in qua totius nomen vni parti tribuitur. Sic carina pro tota naui ponitur.

Secunda, & tertia Bellarmini ratio sumitur ex Nicenæ Synodi secundæ autoritate. At illa synodus nullius est momenti in eo decreto, quoniam illud prorsus est idololatricum, & verbo Dei contrarium Exod. 20. vers. 4. Deuteron. 4. vers. 16. 5. vers. 8.

Quarta ratio Bellarmini est prorsus falsa, imagines aliquid sacrum, ait, in se continent, quia diuino cultui consecrantur. Respondeo, Imo quatenus sic consecrantur, nihil, nisi profanum, continent & habent, & meram idololatriam Matth. 15. vers.

vers.9. Coloss.2.vers.23. Nec enim quicquam homines extra Dei verbum scriptum instituere possunt ad Deum colendum:& si quid præcipiunt, est profanum.

Denique sibi ipse manifeste iam est contrarius Bellarminus. Nam col.1592.L.C. initio capituli negat *Imagines semper, & solum propter exemplar suum adorandas*. At col.1593.L.B. fatetur *Imaginum honorem transire semper ad exemplar, & semper propter suum exemplar Imagines honorari*. Et hæc eodem capite. Hoc ipsum repetit col.1598.L.C. §. *Denique*: Sed & suis præceptoribus contrarius est, ut apparet ex col.1590.L.D. & col.1593.L.B. & C. Homo enim iste neque Deum, neque homines, tã est effrons, reueretur.

Ad Cap. XII.

NVllum nobis in hoc capite cum Bellarmino certamen erit, quatenus negat imagines Sanctorum esse adorandas latria, quam ipsi vocant. Verum in eo mendacium eius deprehendimus, quod capite sequenti seipsum refutat: & ipsemet non facit, quod dicit. Nam Pontificij istis imaginibus ponunt Aras, Tempia, Festa, officium peculiare, in quibus posita est tota cultus latriæ *etia*, ingenium, vis, & natura. Ergo se refutant. Augustinus epist. 119. cap. 11. Gregorius lib. 7. epist. 109. ad Serenum, Irenæus lib. 1. cap. 27. Epiphanius hæref. 79. negant vlllo pacto, vlllove cultu adorandas Imagines. Sed iste tam bonos autores non sequitur. His enim præfert Peresium, Catharinum, Sanderum, magnos ardeliones, & homines impios, ut habeant istius hominis similes labra lactucas.

Ad Cap. xxii i.

Nequè hîc quoque cum Bellarmino amplius,
 quàm in duobus hisce, pugnabimus. Primû;
 Quòd neque piè loquitur, neque satis se, suorum-
 que blasphemiam execratur. Piè nō loquitur, dum
 inquit rectè dici per Apostrophen Imagini cruci-
 fixi, *Tu nos redemisti*. Est enim hoc genus dicendi
 impiissimum. Impiè loquitur, dum ait, Propriè
 quidem, sed per accidens, Imaginem posse latria
 adorari, & eodem, quo Deus ipse (cuius erit Ima-
 go) cultu honorari. Primum blasphema est, & pia-
 rum omnium aurium offensiva ista locutio, Ima-
 ginem propriè latria adorari. Deinde si per acci-
 dens sic colitur Imago, quomodo propriè? Hæc
 non cohærent, vt ex ipsomet Bellarmino apparet
 ca. seq. 24. §. 1. Verum latet Anguis in herba, sunt-
 que istæ robustæ hominis istius fraudes, qui suam
 illam Imaginum Idololatriam summam hoc mel-
 le, & techna verborum, *per accidens*, illitam con-
 dire, tegere & dulcem facere nobis conatur. Quod
 addit de veste & Diademate Regis, ea simul à no-
 bis quum ipsum Regem his indutum veneramur,
 honorari, nihil istum iuuat. Illa enim neque pro-
 priè honorari, vel salutari dicuntur à quoquâ, (cō-
 tra quàm iste vult & scribit) sed Rex ipse propriè
 salutari dicitur: neque Imagines parem rationem
 cum istis rebus habent. Nam Imagines à suis Pro-
 totypis toto cælo, totâque terra diffusæ & separatæ
 sunt. Prototypa enim sunt in cælis, Imagines sunt
 in terris. Verùm vestis & Diadema Regis tunc
 tantùm sic honorantur, quum his Rex indutus est,
 illique adhærent. Itaque propter cohærentiam, &
 vnionem

unionem cum ipsa persona Regis. tunc honorantur: non quum à persona Regis separatur. Id quod vult iste in Imaginibus tamen.

Non satis autem se, & suam istam blasphemiam damnat, qui solùm dicat eatenus peccare, qui Imagines latria colunt, quòd illis tribuunt per se honorem, qui competit iisdem, ait, duntaxat per accidens. Hoc est vulnus alere, non sanare: excusare, non damnare: fouere, non tollere Idololatriam: quo scelere ecquod esse potest in Christiano Theologo sceleratius.

Ad Cap. xxiiii.

EXclamare hìc quoque in Bellarm. licet, quod antea sæpe ex Homero, *Est Pylus ante Pylum, sequitur Pylus altera post hanc.* Nugæ post nugas. Sunt enim hæc omnia farrago immèsa nugarum, & ineptiarum inutilis, imò quæ multas quoque continet impietates. Sed iste se ad nauseam vsque hac crambe toties repetita misere exsaturare voluit. Atqui neque hæc ipsa tamen pertinet ad nos, qui negamus Imagines vllas religiosè coli debere, aut piè posse. Verùm dicis causã, perpendamus quid Bellarminus hoc capite dicat, doceatque, vt hunc scriptorem ineptissimum esse omnes norint.

Primum ait, Nullam Imaginem adorandam esse cultu latriæ per se, & propriè. Hæc propositio primum tota est repetitio mera capitis superioris. Id quod ex vtriusque loci comparatione apparebit. Deinde refutatur ab ipsomet Bellarmino capite vicefimo tertio columna 1594.

L. D. ubi scribit Imaginem quidem etiam proprie cultu latriæ adorari posse. Ergo in ipso limine impingit miser iste scriptor, sibi que contradicit.

Ratio prima, quam affert iste pro sua sententia tuenda, est ex Synodo Nicena secunda, ac proinde illa est nulla. Istius enim Concilij in eo argumento nulla est inter verè pios autoritas.

Secunda ratio ex Augustino, Gregorio, & aliis Bellarminum euertit. Illi enim negant Imagines esse vlllo pacto religiosè colendas, nedum adorandas.

Tertia ratio hæc, latria est cultus vnus Dei proprius: ergo imagini, quæ Deus nõ est, nequaquam debetur, omnem religiosum, & Sanctorum, & ipsorum imaginum cultum abrogat. His enim omnibus latriam proprie Pontificij tribuunt, dum illis aras erigunt, templa ædificant, festa instituunt, officium comminiscuntur. Sic Bellarminus ipse col. 1596. L. C. colligit, qui colit aliquid diuinis honoribus, colit vt Deum, & propter se. Nam quod hic inculcat, & offundit, vt sæpia, illud suum atramentum, *propter se, & propter aliud*, vt effugiat, frustra fit ab eo. Deus enim omnino prohibet religiosè imagines coli siue propter se, siue propter aliud Exod. 20. vers. 4. Deuter. 5. vers. 8.

Quarta & quinta Bellarmini ratio idem responsum habent: atque tertia: & sunt mera, solaque tertiæ rationis repetitio.

Sexta ratio est adulteratio locorum ab isto citatorum. Restrigit enim eos ad imaginum cultum, qui latria dicitur. At Irenæus lib. 1. cap. 24. Epiphanius heresi 27. & 79. Augustin. heres. 7. omnè religio-

religiosum imaginum cultum damnant, quocunque nomine appelletur. Nam dum sic coluntur Imagines, *Dij fiunt, iuxta illud, Qui pingit sacros auro, vel marmore vultus, Non facit ille Deus, qui colit, ille facit.* Ex quibus apparet Bellarminum nihil rectè, & syllogisticè effectum ac conclusum in hoc capite habere. Sed hæc dicis causâ sicut monui, degustavi.

Reliqua huius capituli, quia nihil ad nos pertinet (qui negamus Imagines vlllo modo colendas) & tantùm ipsorum Scholasticorum in præcipuo fidei suæ dogmate summam inter se discordiam monstrant, denique nullam certam Bellarmini solutionem habent, sed dubiam, *Vel dic, Vel dic,* hæc, inquam reliquâ non attingo. Nec enim bonas & honestas cartas meas his sordibus inquinare, & commaculare volo. Sunt enim ista Sententiariorum inter sese mutuo pugnæ turpissimæ.

Ad Cap. xxv.

NEque hoc caput nos attingit, qui Iconolatræ minime sumus, vt iste. In summa, tales restrictiones, modificationes, cautiones, & tot affert Bellarminus in imaginum cultu, vt dum sic coluntur non colantur. Est igitur hic cultus reductiuus tantùm non proprius, non per se: sed per accidens improprius, & nullus: Ipse vocat analogicum duntaxat, & imperfectum, De hoc ipso cultu Imaginum & eius restrictionibus, vide supra cap. xii. & quæ ibi diximus.

Ad Cap. xxvi.

Non contentus Bellarminus ipsos Sanctos defunctos eorum reliquias & imagines in

occasionem idololatriæ & summæ in Deum blasphemiam arripuisse: etiam eorundem cruceſ, Supplicia & Patibula, præſertim autem crucem & Patibulum Domini noſtri Ieſu Chriſti, in eandem blaſphemandi occasionem trahit, & proponit. Quo quid turpius, & homine Chriſtiano, (qui illa ſuppliciorum viris piis exhibitorum instrumenta omnia deteſtari debet) indignius? Et tamen inde quoque ſibi palmam, & gloriolæ ſpem quærit Bellarminus, homo ambitioſiſſimus, qui nullum non lapidem mouet, vt polyhiſtor & eruditus videatur.

Verùm quia totum hoc caput poſtea capite xx. ab eo repetetur: nos illud hoc loco prætermitemus, illic diſcutiemus.

Ad Cap. xxvii.

Quod de figura crucis hîc tractat Bellarminus ingenij duntaxat oſtendendi gratia congeſſit in hunc locum. Nam ex Tertulliano in Apologetico cap. 16. lib. de Idololatria Eufebio libro 9. capite 9. Hiſtoriæ de Vita Conſtantini libro primo, qualis fuerit crucis Chriſti figuræ ſatis intelligi poteſt, vt de eo nobis longa iſta narratio cor texenda non fuerit. Et quod in extremo eius ſummo, figuram pedi paſtoralis fuiſſe expreſſam addit iſte, id temporibus demum recente ſcribitur factum eſt: quum illius figuræ & pedi paſtoralis mentionem neque Tertullianus, neque Irenæus contra Tryphonem, neque Eufebius vllam faciant.

Crucem autem ipſam, in qua Crucifixus fuit Chriſtus,

Christus, venerabilem ac honorabilem nobis Christianis esse debere: imo etiam *ὑπερδουλεία* colendam, efficere, ac probare conatur Bellarminus.

Prima illius ratio est, crux illa fuit instrumentum à Christo selectum ad vincendum Diabolum & liberandum genus humanum: ergo illa crux nobis venerabilis esse debet. II. 53. versu 10. Iohann. 10. ver. 17. Coloss. 1. ver. 20. Philip. 1. ver. 8. Damascenus lib. 4. cap. 12. de fide Orthodoxa: Respondeo, Hæc ratio est fallacia A Petitione Principij. Nam falsum est: crucem ipsam, seu lignum hoc, in quo pependit Christus, aliquid vel ad nostram salutem, vel ad victoriam contra Diabolum obtinendam contulisse, vel ut causam vel ut instrumentū. Verum in cruce mori voluit Christus patiens pro nobis quoniam in eo præsertim supplicij genere maledictio Dei apparebat, & esse censebatur, Deuter. 21. ver. 23. Galat. 3. ver. 10.

Nec obstant loci à Bellarmino hinc citati quoniam intentum ipsius non probant. Quod enim crux illa Christi nonnunquam à Patribus vocatur *Ara*, vel *Altare* sacrificij à Christo facti pro nobis est locutio tropica, ut veteres legis figuras ad mortem Christi melius applicent. Itaque hoc similitudine quadam ab his dicitur, non rei veritate. Idem respondeo ad illud, quod addit iste crucem eandem appellari Scalam, per quam Christus in suum regnum ascendit. Est enim metaphorica locutio, quæ similitudinem daturat, non autem rei veritatem monstrat.

Loci ex Damasceni libro 4. capite 12. citati

nihil omnino probant, quia ex allegorica & tralata interpretatione colliguntur: non autem ex vera illarum, quæ afferuntur, rerum interpretatione. Itaque nihil solidi, verique habet ista Damasceni autoritas. Nec obstat, quod Christus accomodat serpentem æneum (de quo Numero. 21.) ad mortem suam, Iohan. 3. v. 14. Nihil enim illic agit Christus de Cruce, aut crucis ligno, vel forma, nec in eo mortem suam cum illo serpente comparat: sed in eo solum, quod exaltabitur moriens, uti Serpens erat exaltatus. Id quod etiam in suspendio fieri, si hoc genere mortis mori voluisset, Christus, potuisset.

Locus Pauli Galat. 6. vers. 14. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* facilis est ad intelligendum. Crux enim illic pro crucifixo, & pro ipsa Christi morte metonymice sumitur, non pro ligno crucis, non pro ipsius figura.

Locus Coloss. 2. ver. 14. vbi chirographum peccatorum nostrorum cruci Christi affixum, & in ea deletum scribit Paulus, proculdubio de ipsa Christi poena & morte debet intelligi: non de ligno in quo Christus est passus: & de illius morte, quæ fuit plena pro peccatis nostris satisfactio coram Deo, Roman. 4. versiculo vigesimo quinto. Ergo fallacia est ab æquiuocatione vocis huius *Cruce*, quam S. scriptura & pro crucifixo Christo, & pro ligno ipso, in quo passus est Christus: aut illius figura. Id quod est fatuum & puerile nugamentum.

Secunda Bellarmini ratio sumitur ex allegorica crucis interpretatione sic, Crux Christi, & illius forma, allegoricè magna arcana significat: ergo est à nobis veneranda. Respondeo ex allegoricis istis interpretationibus nihil certi potest colligi. Itaque sunt Patrum rhetoricationes, & Crucis laudes, & interpretationes, quæ sunt & extant apud Irenæum lib. 5. cap. 17. Augustinum Epistola 120. 26. & Epistola 119. Rufinum in Expositione Symboli Apostolici, Nissenum Orat. prima de Resurrectione. Quare nulla est ista Bellarmini ratio, vt pote prorsus incerta, dubia, anceps.

Tertia ratio ducitur à Miraculosa Crucis istius in qua Christus fuit crucifixus, inuentione: ergo Deo placuit ista Crucis inuentio, & veneratio illius, quæ tunc facta est, Rufinus lib. 1. Historiæ c. 8. Socrates lib. 1. cap. 13. Theodoritus lib. 1. Histor. cap. 18. Respondeo hoc argumentum esse fallaciam A non consequente. Nam aliud ponit in præmissis, aliud colligit in cōclusionē. In præmissis enim agit de inuentione crucis: in cōclusionē de Adoratione. Ergo non sequitur, Placuit Deo inuentio crucis Christi: ergo placuit Deo illius quoque adoratio. Vini inuentio placuit Deo, non autem abusus vini, & ebrietas, Genes. 1. ver. 21. Est enim hæc crucis adoratio & veneratio religiosa abusus Crucis. Deinde hæc eadem Bellarmini ratio est fallacia Ab Ignoracione Elenchi & diuersorum finium confusione in eodem opere inuentionis. Nam vt concedantur omnia illa tunc euenisse, quæ Rufinus & Socrates recitant, tamen ex

alio fine Deus voluit crucem illā detegi. Nimirū
 vt quia tunc prædicabatur (ex summo Dei benefi-
 cio, & Constantini edicto) libere gentibus omni-
 bus Christus Crucifixus, appareret hoc verè an-
 nuntiari, & verè, ac re ipsa fuisse Christum crucifi-
 xum: atque ita Euangelij prædicationi certior fi-
 des haberetur ab Ethnicis ex ipso aspectu crucis
 Christi: licet antea de eo dubitassent, & longa ætas
 id confectum fuisse, suadere potuisset. Ex alio verò
 fine idem fieri voluit Diabolus, videlicet vt prima
 tam tetæ & immanis Idololatriæ (quam in Eccle-
 siam vniuersam, velut Zizania, cum bono semine
 Euangelij spargere volebat) fundamenta poneret
 ex plausibili illa caussa, & prætextu colorato, & in
 speciem honesto, Nimirum rem ipsam & blasphemiam
 istam exorsus ab ipsa cruce Domini nostri
 Iesu Christi. Fuit enim iste Diabolus ex eorum
 numero, qui se transformant in Angelum lucis,
 vt Ecclesiam decipiant 2. Corinth. ii. ver. 14. Qua-
 re quod in ista inuentione crucis est à Deo, con-
 fundit Bellarminus cum eo, quod est profectum à
 Diabolo, & vtriusque dissimillimos fines miscet
 in vnum. Quæ fallacia dicitur à Dialecticis *Plures*
interrogationes in unam confundere. Ergo conceda-
 tur esse ipsa quidem inuentionio crucis à Deo, vt
 Euangelij doctrina confirmaretur: Verum vene-
 ratio religiosa & adoratio eiusdem crucis est à
 Diabolo, vt hoc exemplo & errore semel recepto
 adorationem, & cultum religiosum (qui soli Deo
 debetur) ad creaturas transferret, & idololatriam
 in Ecclesiam induceret. Ex quo fit vt rectè Cen-
 turiatores scripserunt plus superstitionis additum
 & inie-

& iniectum fuisse in hac inuentione quàm veræ pietatis retentum, & demonstratum fuerit.

Ratio quarta & quinta Bellarmini sumitur à Iudiciis hominum plane superstitiosorum, & iam hoc de Crucis adoratione fascino maculatorum atque excæcatorum, qui hanc crucem vel totam, vel illius particulas plurimi fecerunt, honorarunt, religiosè coluerunt: vt apparet ex Cyrilli Catechesi, 10. & 13. & Epistola ad Constantium, Paulini Epistola 11. ad Seuerum, Euagrio lib. 4. Historiæ cap. 26. Procopio lib. 2. de Bello Persico. Gregorio magno lib. 7. Epist. 126. ad Recharedum Regem & ex aliis. Respondeo. Non quid illi fecerint, senserint, aut dixerint, spectandum & sequendum nobis esse, sed quid bene senserint, & consentienter Dei verbo. Ait enim Christus, *Scrutamini scripturas*, Io. han. 5. versiculo. 39. & Math. 23. ver. 2. 3. docet non omnia, quæ Doctores Ecclesiæ præcipiunt, esse seruanda, & facienda: sed ea duntaxat, quæ illi docent ex Cathedra Moysis: id est, ex Dei verbo scripto. Nam consuetudo, inquit Augustinus, est tyrannus: à qua illi abrepti & victi sic egerunt, & senserunt. Ergo potius hoc eorum factum condonandum illis est, quàm imitandum, aut probandum.

Sexta ratio ducitur à Minori ad maius, Si locus, vbi Angelus stetit, erat terra sancta: cur non & ea, in qua Christus vixit? Si sudaria Pauli venerati sunt fideles, cur non & crucem Christi? Respondeo, Fallacia est à dissimilibus, quæ finguntur hîc esse similia. Nam terra, in qua

Iosue apparuit Angelus, non sanctitate illi inhaerente fuit, aut dicitur sancta: sed quæ tandiu durat fuit, quandiu in eo loco Angelus subsistebat. Verum Bellarminus, & socij sanctitatem istam, quam tribuunt cruci Christi, faciunt illi perpetuam & inhaerentem. Deinde terra illa & sudaria Pauli, nihil ignominiosum in Deum, & Paulum habebant. At crux ista supplicium Christi & ignominiam continet. Ergo sunt res istæ dissimillimæ, de quibus tamen eadem iste concludit. Deinde Angelus ipse, qui Iosue tunc apparuit, erat Christus ipse Deus, nondum homo factus. De locis autem nullis, in quibus Christus in his terris homo versatus est, dictum est Apostolis, *Solue corrigiam calceamenti tui. Nam terra, in qua stas, est sancta*, sicut Iosue dictum fuit Ios. ca. 5. vers. 15. sicut Moysi, Deo ipso in rubo apparente Exod. 3. vers. 5. Ergo ista veneratio non debet extendi ad omnia loca, in quibus fuit Christus: neque ad omnia quæ circum se habuit Christus, qualis crux.

Quod ad sudaria & semicinctia Pauli, & umbram Petri Act. 5. vers. 15. 19. vers. 11. etsi fides eorum, qui hæc fecere laudanda est: modus tamen iste alligandæ Dei potentia rebus externis damnandus est, quoniam omnipotentiam Dei liberrimam restringit: quod est nefas.

Ad Cap. xxviii.

Postquam de ligno, in quo crucifixus est Dominus noster Iesus Christus, egit Bellarminus: iam de illius figura, & imagine differit. Ut utque autem nos venerari religiose debere contendit, ne in vno tantum idololatriæ genere peccet: sed

sed in omnibus immanis appareat, tam est homo iste superstitiosus, & in Deum blasphemus. Rationes autem, cur Bellarminus hanc crucis imaginē, vbicunq; apparet, venerandam esse vult, audiamus, & examinemus.

Prima est ex Matth. 24. vers. 30. *Apparebit signū filij hominis in cælo, ante postremum iudicium.* At signum illud est vel crux ipsa, in qua Christus pendit. Beda illic. Augult. Serm. 130. de Tempore, Hilarius ibid. Hieronymus, Chrysostomus in sermone de cruce Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa, & ne quid ad fidem faciendam desit, etiam Sibyllinos versus citat ex lib. vi. & eam sententiā confirmet. Vel saltē illius imago facta ex aëre, vel igne in cælo vel nubibus condensato, vt vult Abulensis, Iansenius, & ipsemet Bellarminus: ergo crucis imago veneranda est, & adoranda tanquam Christi, id est, summi Regis vexillum. Nam etiam Ethnici milites Imperatorum suorum vexilla adorabant olim. Respondeo, Hęc argumentatio est fallacia multiplex, primum A non consequente. Nec enim sequitur, vt si crux ista, vel illius imago apparebit in cælo ante iudicium vltimum, sit religioſe à Christianis colenda. Nam multa alia signa filij hominis tunc in Cælo apparebunt, in Sole, in Luna, in Stellis, teste eodem Christo Matth. 24. vers. 29. Ergo Sol, Luna, & stellæ essent adorandæ, & religioſe colendæ. Id quod fieri disertè verrat Deus Deuter. 4. vers. 19. Nec valet simile, milites Ethnici vexilla suorum Imperatorum adorabunt: ergo & nos Christiani idem præstare debemus. Nos enim ab illis Ethnicis in eo prorsus dif-

similes esse oportet, ne quid præter vnum Deum verum religiosè colamus. Nisi quis malit etiam militum cultum vexillis datum interpretari de civili tantùm cultu: non autem de religioso. Deinde est fallacia A falsa interpretatione illius loci Matthæi, quemadmodum ex ipso Bellarmino apparet, qui hic tres saltem diuersas explicationes affert, Nempe Iohannis Caluini, Patrum nonnullorum, denique suam, seu Iansenij. Itaque ludit in ambiguo. Sed quid opus est? Nam signū Filij hominis, quod ante postremum iudiciū in cælo cernetur, sunt illa ipsa, quæ in Sole, Luna, Stellis futura, ver. 29. (qui hunc præcedit) prædixerat Christus, non aliud. Ergo postquam illa signa proximi aduentus sui prædixisset Christus, addit conclusionis, & ἰσχυρῶς gratia, Illa ipsa signa esse signum illud proximum sui aduentus de cælo. Tertiò est hæc eadē ratio fallacia Ab impossibili, quod possibile fingitur: Fingit enim ista opinio Patrum, Crucem Christi, quæ per particulas fracta iam est, esse colligendam in vnum corpus, sicut partes humanorū corporum dissectæ colligentur. Id quod est omnino ἀδύνατον. Nam non est à Deo promissum.

Secunda ratio Bellarmini sumitur ab autoritate Conciliorum nonnullorum, & eorum etiam, quæ post hunc errorem in Ecclesia natum, & receptum conuenerunt. Illa enim præcipiunt Crucis religiosam venerationem. Respōdeo, Primùm in generali, Nō ex hominum decretis, sed ex Dei ipsius præceptis verbo scripto comprehensis definiendum quid credere debeamus, & quid in Dei cultu præstandum sit, ac retinendum, Matthæi 15, ver. 9.

ver.9. Deuter. 12. ver.8. Job. 22. ver. 22. In particulari dico, Synodum VI. cap. 73. nequaquam præcipere venerationem Crucis religiosam, sed tantum civilem, ne Nempe in silice humi sculpatur, Crux Christi, & ne pedibus in Christi contemptum conculcetur, vt est Libro primo Codicis Iustiniani, Tit. *Ne signum crucis in silice, &c.* Ad Nicenæ Synodi secundæ decretum, illud esse nihili dico. Nā ista Synodus in hoc argumento fuit prorsus idololatrica & blasphema. Synodus VIII. etiam ipso met Bellarmino teste, est illegitima, inanis, & nugatoria. Eam enim in Controuersia de Conciliis ipsemet confutauit, & reiecit. Cur non igitur & nos eam repudiabimus?

Eadem responsio valet ad tertiam Bellarmini rationem sumptam ab autoritate duorum Patrū, Nempe Iustini, & Tertulliani. Respondeo, Imò vbiq; illi nihil, præter vnum Deum colendum religiosè tradunt, Iustinus in Lib. de Monachia, & contra Tryphonem: Tertullianus in Libro De idololatria. Arnobius autem, quem iste velut suū citat, hunc iugulat. Ait enim ibidem Libro octauo, *Crucis neque adoramus, neque optamus.* Et vsurparunt Veteres signum tantum Crucis in aere factum, non in vlla materia perseverans, non ad cultum, sed ad fidei suæ in Christum crucifixum testimonium. Testabantur enim se non pudere Christi crucifixi, Matthæi cap. decimo, versiculo tricesimosecundo.

Amplificat Bellarminus hanc ipsam rationem ab exemplo nonnullorū Imperatorum Christianorum, qui summè istam Crucis imaginem

coluerunt. Respondeo, Neque aulas Principum, neque ipsosmet Principes esse bonos, & irrefutatos fidei, quam sequi debemus, testes. Fecerunt igitur id, illi quidem, sed iam isto errore & nato, & recepto, miserè fascinati, & decepti. Verùm Leo 3. Imperator, Constantinus sextus, & alij, & ipsi Imperatores hunc Crucis cultum reiecerunt ex Dei verbo. Ergo à Regibus malè informatis ad Reges bene informatos prouocamus.

Porro insulfus est iste, qui scribit, Labarum vexillum Imperatorum ante Constantinum Magnū in Crucis formam exstructum nō fuisse. Nam refutatur à Iustino Martyre in secunda Apologia, à Tertulliano cap. 16. Apologetici: ab Eusebio lib. 1. de Vita Constantini, Ruffino, & aliis. Verùm mentiri mauult Bellarminus, quàm non tueri per fas, pèrque nefas suum errorem.

Lactantij carmen tam est Lactantij, quàm M. Ciceronis. Stylus hoc ipsum indicat, malè tribui Lactantio.

Autoritas Athanasij, Chrysofomi, ex Socratis historia, lib. 6. cap. 8. Augustini in Iohannem tractatu 36. Cyrilli lib. 6. in Iulianum perspicuè monstrant Christianos non solitos olim, & eo tempore colere religiosè Crucis imaginem, vel signum: sed iis figuris dūtaxat vsos ad suæ, Christianæq; Fidei testimonium publicè proferèdum. Quare pessimè Bellarminus ex illis colligit religiosè cultas fuisse istas imagines, & ab iis adoratas. Libri ipsi Patrum, & loci citati, à piis legantur. Nam extant testes pro nobis locupletissimi. Quod verò ad Poëtas, quos idem hic Bellarminus citat, hoc responsum

sponsum ex disticho Catonis habeat,

Nam miranda canunt, sed non credenda Poeta.

Sunt igitur istæ sententiæ rhetoricationes Poëtarum: non autem oracula Prophetarum: legantur ista Poëtica, sed non credantur: quanquam sapientius ista non scripsissent Poëtæ, qui Christiani audire voluerunt.

Quarta Bellarmini ratio est ducta A Miraculis Crucis, quæ hoc loco enumerat laboriosè à se vndique conquisita. Respondeo, Primum in generali illud idem, quod antea sæpe. Nullam ex solis rebus miris, seu Miraculis autoritatem, ac certitudinem veritatis vlli doctrinæ conciliari: sed ex solo illius cum Dei verbo scripto consensu. Ergo primum ex Dei verbo probet Bellarminus hunc religiosum imaginis Cruciarie cultum Deo piacere: tum postea nobis proferat sua Miracula, Deut. 18. ver. 20. Nam & Satan, & Antichristus Miraculis, ac prodigiis suas quoque in Deum blasphemias confirmarunt, Matth. 24. ver. 24. 2. Thessal. 2. ver. 9. Apocal. 16. v. 14. Vnde illud, *Mosen, & Prophetas habent*, Luc. 16. ver. 29. *audiant eos*. In particulari respōdeo, Primum Miraculum à Bellarmino prolatum esse vel falsum, vel dubium. Illud enim Eusebius lib. 1. De Vita Constantini scribit euenisse Constantino vigilanti, & clara luce diei. At Sozomenus lib. 1. cap. 3. & Paulus Diaconus lib. 11. historię, affirmant contigisse & noctu, & dormienti Constantino.

Secundum Miraculum habet vnicum duntaxat restē, nēpe Cyrillū Hierosolymitanū, eūque superstitiosissimū hominē, etsi Sozom. lib. 4. c. 5. idē recitat, & habet, sed ex aliorū relatu tantū, & auditu.

Tertium Miraculum de signo Crucis, quod in veste Iuliani Imperatoris, in extis pecudum, in templi Hierosolymitani reedificatione capta cōspectum in cœlo est, ex eadem officina est profectum, ex qua & alia, Nimirum ex hominum superstitiosorum relatu, qui nihil præter auditum, & ipsi habuerunt, quemadmodum testatur Sozomenus Lib. Quinto historiæ, cap. 1. & 2. De Iudæis in Templi sui ædificatione sub Iuliano Imperatore cœlitus impeditis, omnes testantur, & consentiunt. Ammianus Marcellinus Libro 23. initio Libri, Chrysostomus Homilia quarta, de Laudibus Pauli, Theodoritus Libro tertio historiæ, cap. 20. Sed de isto Crucis signo, quod tunc apparuerit, omnes non consentiunt, qui hanc historiam scribunt. Itaque dubium est.

Quartum & Quintum Miraculum neque creditur facile quisquam, neque alios testes, quàm singula vnum duntaxat, & singularem testem habent. Sed in ore duorum ad minus, vel trium, non autem vnus solùm testis stat omne verbum, Deuteronom. decimonono, versic 15. 2. Corinthiorum 13. ver. 1.

Reliqua miracula itidem vnum, & solitarium duntaxat testem habent, & eum auritum, non oculatum. Mirum est, quòd iste Suita suorum Suitarum in India Occidentali, miracula non profert hoc loco. Verùm illa falsa esse iudicat. Itaque non commemoravit. Factum prudenter, & astutè.

Quinta, & vltima Bellarmini ratio ducitur à Ratione

à Ratione , A Minori ad Maius , Signa rerum
 sanctarum sunt sancta , & veneranda : ergo &
 Crucis Christi imago , quæ redemptionis nostræ
 signum est. Respondeo Duplex est fallacia, Vna in
 assumpto Bellarmini, Nimirum omnia esse vene-
 randa , quæ homines sanciant , & constituunt esse
 signa rerum sanctarum, quales sunt ex eorum iudi-
 cio & statuæ seu imagines, & Reliquiæ Sanctorum,
 & Picturæ , & Caplæ. Sed ea sententia falsa est.
 Nam ea sola signa rerum sanctarum sunt hono-
 randa honestè , & piè , quæ sunt à Deo ipso institu-
 ta , qualia sunt in diuinis Sacramentis signa , Au-
 gustin. lib. 3. de Trinitate cap. 10. Quare hæc ratio
 est fallacia A Petitione Principij. Altera Deinde
 fallacia est A non consequente. Nec enim effici-
 tur , vt si Sacramentorum signa sunt veneranda, i-
 mago Crucis sit colenda , quia non est vllius sa-
 cramenti signum à Deo institutum. Imo Crucis
 adoratores dicti sunt contumelioso iam olim no-
 mine *Staurolatra* , & *Chazinzarij* , & ab vniuersa
 ecclesia, tanquam pessimi hæretici, vti sunt, dam-
 nati, circa annum Domini DC. quemadmodum
 scribit Nicephorus Callistus libro decimo octa-
 uo, Historiæ cap. quinquagesimo quarto. Sed &
 quum Honorius primus Papa Crucis ligneam i-
 maginem & statuam in Templo Romæ posi-
 tam auro & gemmis ornasset , postea ista su-
 perstitio & exornatio Aquisgranensi Concilio
 primo tota improbata est , & eiecta de tem-
 plis : quam tamen postea Leo IIII. Papa in
 Dei , & ecclesiæ contemptum : priuato iudicio

suo, restituit Balleus lib. 2. & 3. de Vita Pauperum. Videt igitur Bellarminus, vt sit ipse hæreticus, & hæresin iam damnatam reponat, dū Crucis ipsius Christi, vel illius imaginis cultum in ecclesia defendit, tuetur, & amplificat.

Ad Cap. xxix.

IAm verò ne non satis superstitionum & blasphemiarum in hoc argumento accumularet Bellarminus, etiam Signo Crucis in aëre facto, & quod omnino nullam *καὶ οὐκ ἔχει* habet & subsistentiam, sed statim diffluit, huic inquam, signo religiosum cultum etiam tribuendum esse contendit. Quò non tandem prolabetur, homo iste? Væ iis, qui hūc cæcum ducem ipsi cæci sequētur, inquit Christus, Nam ambo in foueam cadent Matth. 15. vers. 14. Quid non tandem erroris protrudetur ecclesiæ. Quum & isti Cruci Innocentius VI. anno Domini MCCCLX. Festum solemne instituerit: & in Processionali Cadurcorum Sudarium Christi inuocetur, dicaturque, *Sancte Sudari ora pro nobis. Sudarium Christi liberet nos à peste:* & Mappa quoque super quam dicitur Christus S. Cœnam celebrasse. Ergo apud Cadurcos in Abbatia Pontis cantatur magno Monachorum beato, *Sanctissima Dei Mappa ora pro nobis.* Sed tu Domine, vsque quò istas in te blasphemias tolerabis?

Verùm Bellarmini rationes audiamus, quæ quantum iam sunt in superioribus nostris responsionibus omnes refutatæ: ne quem tamen scrupulum animis lectorum relinquamus, & has quoque singulatim examinabimus.

Prima ducitur Ab allegoricis interpretationibus

bus sanguinis Agni postibus domorum aspersi,
 Exod. 12. ver. 7. Litera *tau*. Ezech. 9. ver. 6. Nomi-
 nis Christi & Patris Apocal. 7. v. 3. 14. v. 1. decussa-
 tarū Iacobi manuum, Gen. 48. v. 13. Nam hæc om-
 nia fuerūt signa Christi crucis, ergo signum crucis
 est religiosè venerandum. Respondeo Primum in
 generali, huiusmodi omnes interpretationes esse
 ambiguas, & incertas: ac proinde nihil ex his certi
 colligi, & firmi. Nec enim expositiones istæ à Dei
 verbo (vt illa, quæ ex Galat. 4. ver. 24.) sed ab ho-
 minibus ex proprio eorum cerebro fiunt. Vide
 apud Iustinum cōtra Tryphonē plures huius cru-
 cis figuras. Deinde fallacia est A nō consequente,
 quia non sequitur quidpiam religiosè colendum
 esse, quoniam sub Veteri Testamento fuit præfi-
 guratum, Nam sel datum Christo, Ps. 69. v. 22. itē
 vestimenta Christi, tali, qui proiecti sunt supra ve-
 stem eius fuerunt præfigurati in Veteri Testa-
 mento, Ps. 22. Ergo omnia illa sunt religiosè co-
 lenda. Quod vel sentire est absurdissimum, &
 nefas.

In particulari respondeo, Sanguinem Agni re-
 præsentasse sanguinem crucifixi, & Christi, non
 crucis, quæ nullum sanguinem habet 1. Corinth.
 5. v. 7. *Tau* litteram apud Ezechielē de littera *Tau*
 Hebræa (quæ est in alphabeto Hebræo vltima, &
 sic n̄ pingitur) intelligendam: non de littera *tau*.
 Græca, quæ sic fit T. Nam loquutus est Propheta
 Hebraicè, non Græcè. Littera verò, *tau* Hebræo-
 rum nihil cum crucis figura commune habet. Lo-
 ci ex Apocalypsi nullo pacto de cruce, aut eius

figura, vel signo sumi possunt. Sed signum illud, quod fidelium frontibus est inscriptum, est custodia eorum quæ fit à Deo, & obsignatio impressioque arrhæ salutis & electionis eorum, quæ fit à spiritu Sancto, 2. Corinth. I. v. 22. Ephes. I. vers. 13. Denique decussatæ manus non figuram Crucis Christi, sed potius Andreæ referunt, ac repræsentant. Quamobrem ista nihil probant, & efficiunt.

Secunda Bellarmini ratio sumitur Ab autoritate Patrum, qui huic Crucis signo multum tribuunt, & illud prædicant. Respondeo Duplicem hic esse Bellarmini fallaciam, Vnam Ab ignoratione Elenchi, Nam finem, propter quem Patres laudes istas signo Crucis Christi tribuunt, (qui sanctus & pius est) confundit cum suo, qui est idololatricus. Patres illas laudes scribunt de signo crucis quatenus est, & erat confessionis Christianorum intrepidæ de Christo testimonium, liberum, apertum, manifestum, licet illis propterea minarentur Ethnici pœnas gravissimas. Erat igitur huius signi inter Ethnicos usurpatio confessio de Christo crucifixo pulcherrima, quæ à Christianis palàm fiebat. Hanc verò pulcherrimam confessionem, & finem Patrum sanctissimum Bellarminus commutat in pessimum & in meram idololatriam istius signi: de quo ne cogitarunt quidem unquam Patres illi pij, sicut ex Tertulliani, Cypriani, Lactantij, Cyrilli, Paulini locis ab ipsomet Bellarmino citatis apparet.

Tertia

Tertia istius ratio sumpta est A Miraculis, quæ Deus per crucis signum fecit. Respondeo, Non Miraculis, sed ipsius Dei oraculis scriptis fidei nostræ certitudo probanda est. Fiunt enim Miracula à Dæmonibus quoque, ad sui erroris confirmationem, & Antichristi regnum ac doctrinam confirmandam, 2. Thessal. 2. v. 9. Apocal. 16. v. 14. Ex quibus apparet nullius esse momenti omnia ista Bellarmini argumenta. Nam quis de euictione istorum Miraculorum, si falsa deprehendantur, nobis cautor, & sponsor erit? Addere verò debuit Bellar. & ea quæ scriptor insulsus vitæ Apostolorum Abdias recenset, eiusdem farinae & fidei cuius sunt quæ Bellarminus habet. Ad populum phaleras istas.

Ad Cap. xxx.

Argumenta nostrorum conuellere, ac confutare nititur, si potest, Bellarminus. Loquatur autem, ut eum audiamus.

Primum nostrum argumētum est (nam hoc caput est repetitio capitis xxvi.) crux ignominiam Christi continet, ac Dei Patris in eum Maledictionem, Philip. 2. v. 10. Galat. 3. ver. 10. Ergo vel crux ipsa, vel ipsius signum minime venerandū est à nobis Christianis. Respondet Bellarminus, Non tantum ignominiam Christi representat crux ista, & illius imago: sed etiam gloriam Christi. Respondeo, Hoc esse falsum, si crux ipsa per se, & propriè quid denotet, spectetur. Nam est fallacia Ab accidente, quia per se, propriè, & immediatè, crux Christi nobis illius Infamiam &

Maledictionem refert: per accidens autem aliud, velut gloriam Christi. Tribuere autem alicui rei accidens pro proprio ipsius subiecto & effectu est ἀδελφικόν & ἀθεόλογον. Nam eadem ratione & fundamēto nitebātur Sathanici hæretici, qui Saranā religioso cultu, & Iudam Iscariotam colebant, quod per accidēs essent caussa nostræ salutis, Act. 4. v. 28. Eostamen grauissimè damnant August. Hæresi 57. Theodoritus lib. 4. Hæreticar. Fabularum. Epiphanius, Hæres. 80. Sed obedientia Christi in cruce Deo Patri exhibita: non autem crux ipsa Christo gloriam, & nobis salutem confert, & peperit Philip. 2. v. 8.

Eodem verò modo respondemus solutioni Bellarmini ad secundum nostrorum argumentū.

Et solutioni ad tertium nostrorum argumentū. Crux enim vel Christi vel Martyrum nullam illis per se gloriam affert, sed dedecus. Verum obedientia eorū Deo præstita, fides, cōstantia, quam etiam morientes demonstrarunt, gloriosa illis est, & salutaria, gloriam habet coram Deo, & piis hominibus. Quod enim ait Paulus Coloss. 2. versi. 15. Christum per crucem suam triumphasse, totum crucifixus mortis non crucis solius, Christi complexum finera, & fructum monstrat, & comprehendit. Mors enim & crucifixio Christi est triumphus Christi, quia per ea summam suam obedientiam Christus Deo probauit, Philip. 2. ver. 8. non autem crux ipsa, in qua pependit, vel illius imago.

Quartum nostrum argumentum est, Similium similis ratio esse debet: Præsepe, lanceæ, flagella, Spinæ tetigerunt corpus Christi: ergo illa quoque sunt

sunt veneranda, & eorum imagines. Respondet Bellarminus non omnia præsepia, lanceas, spinas, flagella repræsentare illa Christi: Quod si repræsentent, esse & illa quoque digna veneratione.

Respondeo Bellarmino. Hoc est non finare vulnus, sed augere, ac errorem suū multiplicare, dum error errori additur, & cum imagine Christi præsepia, flagella, Spinæ, lanceæ, adoranda scribuntur. Atqui Romani & interfectores Cæsaris Imperatoris, & eorum pugiones execrati sunt. Deinde tam ista reliqua sunt vbique figuræ præsepis Christi, Spinæ, Lanceæ, flagellorum, quam crux quæuis est imago crucis Christi. Nam crux Christi nihil, præter titulum habuit diuersum à crucibus duorum latronum; vt scribit Ruffinus lib. primo, Histor. ca. 7. Sozomenus lib. 2. cap. 1. & quum reperta est non potuit ab illis ex figura distingui Theodor. lib. 1. Histor. cap. 18. Ergo non magis quæuis Imago crucis est adoranda vbique (quod tamen isti certatim & religiosè faciunt) quam quæuis Imago, & pictura lanceæ, spinæ, præsepis, &cet.

Quas autem iste tres rationes affert, Cur imago sola crucis Christum repræsentet: alia non item, sunt falsissimæ. Itaque ipsemet limitat suam illam sententiam ex tempore edicti Constantini Magni, ne quisquam nempe post hæc supplicio crucis afficeretur. Præterea quæuis imago crucis non magis crucem Christi, quam laureoli, quam serui, quam latronum refert. Est igitur hæc fallacia

A Petitione Principij.

Ad solutionem Quinti nostri argumenti, quam

affert Bellarminus, iam respondimus in argumēto nostrorum primo, quū ageremus de Sathanicis. Præterea sicut ex Actis apparet, cap. 4. ver. 27. 28. tam Iudas, & Iudæi fuerunt instrumenta mortis Christi à Deo selecta iustè, quàm crux ipsa. Deuter. 21. v. 23. Galat. 3. ver. 13. Philip. 2. versiculo 8. Cur igitur hæc potius honorabitur, quàm illi, Nempe Iudas Iscariotes, & Iudæi, qui eum cæciderunt, & manus eorum, qui illum crucifixerunt?

Respondet Bellarminus, Crux ipsa, quæ fuit in anima non fuit ullius sceleris conscia, sicut os Iudæ, quod Christum osculatum est: & Manus Iudæorum fuerunt conscie sceleris in Christum perpetrati, & partes hominum hoc scelus perpetrantium extiterunt. Respondeo, licet os Iudæ fuerit pars Iudæ: & manus Iudæorum partes eorum, tamen hæc membra per se fuerunt sceleris istius non conscia: sed eorum hominum Anima tantum fuit conscia istius facti, & autor. Nam ut istorum hominum partes fuerint, tamen ipsa per se neque scelus cogitarunt, neque intellexerunt, uti neque crux Christi. Ergo similitudo similis ratio & veneratio esse debet, ut & Iudæ Iscariotæ, & Iudæorum Christicidarum os & manus perinde, atque crux, religiosè honorentur. Quæ pene Bellarmini sententia quoque est. Certe ex eius responso manifeste colligitur. Ac proinde Sataniatorum hæreticorum tetram hæresin renouat miser Monachus, dum suam idololatriam tueri vult.

Sextum nostrum argumentum est, characteribus, si-

bus, figuris & huiusmodi rebus vti ad quidpiam efficiendum, est Magicum: ergo crucis figuras & Imagines ad ædenda miracula adhibere, est plane Magia Deo detestabilis. Respondet Bellarminus, hanc nostram regulam vbique in cæteris rebus esse verissimam: sed exceptionem pati in vna crucis figura, quoniam illa sit à Deo instituta ad magnas & miraculosas operationes præstandas, velut ad fugandos Dæmonas, pellendos morbos, Sanctificanda ea quibus imprimitur. Respondeo ista præsupponi, sed ex nullo S. scripturæ loco probari. Itaque tota ista responsio est Petitio Principij falsi pro vero: dubij pro concessio. Nam quòd aliquando Dæmones fugantur ad signum crucis, faciunt id illi tum ex astutia, vt homines magis ad istam crucis adorationem & idololatriam exaquant, quasi sit magna istius signi vis: tum ex pacto cum Magis conuento, quasi signum illud inanimatum metuant ipsimet.

Cur autem vim istã Crux, & Crucis figura nãciscantur, & vnde, in dubio relinquit Bellarminus. Modò enim ait id fieri ex opere & fide ipsius operantis viui: modò negat, sed vim eam pendere potius ex Dei institutione inquit. Sed mutata tertio sententia scribit id fieri vi operis operati. Quarto in dubio est Bellarmini animus, vtum hoc signum Crucis sit igitur octauum quoddam Sacramentum. Quo teneam vultus mutantem Prothæ nodo? Dicat aliquid certi, probetque ex Dei verbo, tñ nos quid dicat perpèdemus. Et hæc sētētia Bellar. varietas apparet hoc capite col. 1614 L. C.

Quod denique ait crucis signum esse inuoca-

nionem Christi, commemorationē mortis ipsius,
& precationem Dei, quæ fit & corde, & nutu, fal-
sum est. Nec enim inuocatio Christi, vel precatio
Dei est, quoniam neque Deus Pater, neque Chri-
stus vsquam præcepit se sic & eo signo inuocari.
Non est autem aliter quàm ex ipsius verbo inuo-
candus. Non est commemoratio mortis Christi,
Sacra enim Domini Cœna sola ex Christi præce-
pto est illa commemoratio, 1. Corinth. II. vers. 24.
non autem crux, aut Christi signum.



AD LIBRI TERTII.

Præfationem.

Titulum huic libro plausibilem quidem
dedit, ac fecit Bellarminus: minimè au-
tem verum. Inscribit enim hunc, *De iis*
rebus, quibus superna Hierusalem ab Ec-
clesia in terris peregrinante colitur. Magna fraus ista
est, piè præfatur, ac tota tractatio blasphemias sca-
tet. Titulus quidem libri honestus est: sed tota li-
bri disputatio meram idololatriam habet, ac si po-
test, suadet. Ergo verè hîc illud vsurparo,
Nam veluti pueris absinthia tatra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci statoque liquore,
Vt puerorum etas improvida ludificetur
Labrorum tenuis: intere a perpotet amarum

Absinthii

Absinthi laticen. Sic Bellarminus verus hic impostor lectores fallit. Est quidem honoranda cęlestis (quis negat?) Hierusalem: imo optanda, Hebr. ii. vers. 16. 12. vers. 22. sed nequaquam colenda iis rebus, quas hoc loco & libro vult Bellarminus: nec eo honoris genere, quod hęc fingit. Verum sola imitatione fidei, constantię, confessionis Christi, vitę Sanctę, obedientię, quam demonstrarunt nobis ij, qui in eam recepti sunt: & sola pręlatione felicitatis, quę nobis illic à Christo parta est, rebus omnibus terrenis. Altaribus verò, Templis, Festis, seruitio peculiari, eoque religioso nequaquam colenda. Quod tamen iste contendit. Soli enim Deo Ara, Templum, Votum, Festum, cultus religiosus debetur. Et hęc de Titulo libri istius, fallaci, ac insidioso.

Pręfatio verò nihil aliud habet, quàm excusationem autoris, cur hęc de iis rebus tractet. Et certe de iis silere melius omnino fuisset. quia manifestam in Deum blasphemiam, ac idololatriam continent. Nam omnino tacuisse non nocet, nocet autem esse de ea locutum. Distributio operis ostendit Bellarminum inanis glorię avidissimum esse, qui quamvis occasionem captet ingenij sui ostentandi. Septem enim disputationis vnus, quę est de Templis capita constituit, quę & breuiter, & commodè, & satis vnico, vel saltem duobus confici, absoluique potuit. Iam ad rem accedamus.

Ad Cap. I.

DVo constituit Bellarminus hominum genera qui Tempia oderunt, vnum eorum, qui propter Gentem, vel Religio-

nem, quæ illic exercetur, Templum oderunt. Alterum eorum, qui Tempia ipsa, aut quid in templis malum, nefarium, & impium inesse putant, & idcirco illa damnant. Quid de utroque isto hominum genere ipse sentiat, non addit: nec istos inter se confert. Verùm solùm odio nostri, & viri religiosissimi, Iohannis Caluini, ut nos in inuidiam raperet, tanquam hæreticos, iste hanc distinctione certè quidem ineptissimam confinxit.

Nam Bis in hoc capite peccat Bellarminus, Primum, quòd falsam distinctionem pro vera profert. Falsum enim est omnes eos, qui Templum oderunt, id facere vel propter suum in populum, qui templum illud possidet, odium: vel quòd templum hoc putent esse quidpiam impium. Multa, imò penè infinita sunt causæ, propter quas homines Tempia euertunt, vel quia sunt arces munitissimæ, quale fuit Hierosolymitanum Templum: vel quia nimis celebre, ac frequentatum est. Itaq; propter auaritiam, & commoda sua Tempia aliena ditia oderunt, quæ maiori religione coluntur, sicut in oppido Sandionysiano prope Lutetiam in Gallia oderat Curio parœciæ Catullianæ Templum S. Dionysij, quòd sua sibi commoda immi-
nueret. Id quod Papponus in Arrestis suis scribit. Alij eadem illa oderunt propter ambitione, quòd illorum magnificentiam vel exæquare, vel superare non possint. Sic Asiaticæ Vrbes Templum Ephesæ Dianæ oderant propter ornatum insuperabilem, & priuilegia. Sed & falsum est quenquam eorum, quos hîc citat, euertisse Tempia in odium solius Gentis, & non propter religionem potius,
quæ

quæ illic exercebatur, quàmque impiâ iudicabat, vel propter sua commoda. Sic Nabugadnezer Tēplum Hierosolymitanum euertit. Sic Xerxes Tēpla Græcorum, quòd nefas esse diceret Deum (qui est immensus, & infinitus) parietibus concludit (quod faciunt, sentiuntque Pontificij tempore septimanae Pœnosæ) teste M. Tullio Cicerone, Lib. 2. De Legibus.

Deinde peccat Bellarminus, imò mentitur, dū affirmat Nos reprehendere, si quæ Tempora ad publicè orandum ædificentur. Nos verò eum Temporum vsum & causam probamus. Nam *αἱ τῶν ἐκκλησιῶν* Tempora Christiana vocantur vbique à Patribus Græcis: modò absit omnis superstitio, & opinio de Sanctitate quapiam illi loco inhærente, per quam nos, nostræque preces fiant Deo gratiores. Id quod isti tamen blasphemè putant, & docent.

Ad Cap. II.

HOc caput secundum nihil nos ferit: ergo prætermittetur à nobis. Probamus enim ædificari templa, sed sine superstitione.

Ad Cap. III.

DE forma Templi disputans hoc loco Bellarminus, duos errores suorum ostendit, Vnum absolutè: Alterũ ex cõsequẽte. Error & quidẽ absolutè est, Quòd Tēpla Christianorũ (qui per Christũ ab omnibus Veteris Legis caremoniis liberantur) ad Veteris Solomonici, ac Cæremonialis Tēpli similitudinẽ ædificanda esse docet, & Põtificij ipsi cõstruũt, Vvalfridus Strabo de reb. Eccle. c. 4. Ergo vt Tēplũ Cæremoniale tres partes habuit,

Atrium Populi, Sancta Leuitarum, & Sacerdotū,
 & Sancta Sanctorum (in quem locum solus Pon-
 tifex Maximus quotannis semel duntaxat ingre-
 diebatur) sic Tempa Christianorum habent tres
 eiusmodi partes, nempe *ἁγία ἁγίων, ἁγίων, ἁγίων*, seu *ἁγίων*
πατρῴων Turonensi Concilio secundo, capite 4.
 Quemadmodum Templū Solomonis habuit ce-
 remoniam illam partem, Sancta Sanctorum: sic
 & Christiana Tempa ex istorum sententia habe-
 re eandem debent. Durandus cap. 1. Lib. 1. Enchi-
 rid. & in proœmio Libri Quinti. Quid hoc aliud
 est, quàm nos ad Veterem illum Iudaismū à Chri-
 sto prorsus sublatum reuocare contra verbi Dei
 præceptum? Iohan. 19. ver. 30. *Consummatum est*, &
 Galat. 5. ver. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, si circum-*
cidamini (id est, Veteres Legis ceremonias reuo-
 catis) *Christum nihil vobis profuturum*. Itaque Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de Vita
 Clericorum Iudaismi imitationem eam appellat:
 & in Epistola de *Virginitate seruanda*, grauius in
 eam inuehitur. Cur verò ista similitudo quæritur
 in nostris, & Christianis Templis, quæ Durandus
 Lib. 1. Enchirid. cap. 1. N. 14. scribit formam hu-
 mani corporis referre debere? Quomodo si ita
 construuntur, vt Solomonicum, repræsentabunt
 humani corporis formam? Non possunt. Ergo sibi
 non constant isti, nec inter se consentiunt.

Alter error est ex consequente, Quòd nimirum
 caput Templorum suorum Pontificij præcisè ver-
 sus Orientem spectare, & vergere iubent, quasi
 Deus sanctius ad eam Mundi partem oretur, &
 nos in ea facilius, lubentiusque audiat, & exau-
 diat.

diat. Nam si sic exstrueretur Templum Christianum, ut lucis commodius accipiendæ gratia versus Orientem caput illius conuerteretur: vel maioris hominum multitudinis capiendæ causâ: vel alia aliqua de causâ non superstitiosa, quis non laudaret? Verùm Oriënti tribuere maiorem, quàm Meridiei, & Occidenti sanctitatem, ineptum est. Primum quia Mons ipse Sion, in quo fuit constructum Domini Templum, ad Aquilonem, non ad Orientem vergebat, Psal. 48. ver. 3. Deinde Augustinus disertè Tractatu x. in Iohannis Euangeliũ grauitè eos reprehendit, qui versus Mare orant. Id quod omnino fieri necesse est à nobis, si versus Orientem precari præcisè cogimur. Præterea Augustinus scribit quoque, Nos nullo S. Scripturæ loco doceri versus Orientem precandum esse, ut est in can. *Ecclesiasticarum*. Dist. 11. Idem scribit, traditque Basilius Magnus Libro de *Spiritu Sancto*. cap. 27. Denique non constant Pontificij sibi, dum causas, cur ad Orientem vergere Tēpla debeant, enumerant. Alij enim alias causas, sibi que contrarias recensent, ut ex hoc capite, & Lib. 1. *Enchiridij*. cap. 1. N. 8. Lib. 5. cap. 2. N. 57. apparet. Norint autem Lectores hoc totum caput ex eo Libro quinto Durandi, cap. 2. N. 57. planè transcriptum esse, ne quid laudis arroget sibi propterea Bellarm. Huius tamen rationes audiamus.

Prima ratio est, Quia Paradisus versus Orientem erat: ergo versus Orientem precandum est, & Templorum caput spectare debet. Respondeo, Est fallacia A non consequente. Nam Deus ipse per diluuium illum Paradisum deleuit: ergo hoc

fundamētum sustulit, vt vbique locorum nos piè precari posse doceret ipse, quemadmodum inquit Paulus, 1. Timoth. 2. ver. 8. Quum enim Deus velit se semper rogari, reliquisset Paradisum illū, si versus eum nos precari præcise voluisset.

Secunda ratio, Quia cælum ab Oriente moueri incipit: ergo versus Orientem precandum est Christianis. Respondeo: At septem Planetæ, ac proinde Sol ipse (cui maximè Christus comparatur, Psal. 84. ver. 12. Is. 60. ver. 2. Malach. 4. versu. 2.) ab Occidente versus Orientem incipit moueri proprio motu: ergo versus Occidentem conuerti debent precantes, si ex motu Astrorum sumenda est situs precantium ratio.

Tertia ratio Bellarmini est, Christus est Oriēs, sic enim vocatur, Zachar. 6. ver. 12. Responso, est falsa allegatio. Nec enim Christus illic *Oriēs*, sed *Germen* *tsemach* dicitur, sicut idem Zacharias interpretatur, cap. 3. ver. 8. Hierem. 23. ver. 5. 33. v. 15. Ergo non versus Orientem, sed versus *Germen*, & herbas crescentes est precandum, quia Christus *Germen* appellatur.

Quarta ratio, Christus moriens ad Occidentē spectabat, & ad Orientem in cælum ascendit, Pl. 67. vers. 19. ergo versus Orientem est precandum. Respondeo, Est hæc quoque falsa allegatio, sicut & superior. (Nec enim hoc habet textus, ex Pl. 67. Deinde Christus moriens in monte Caluarie, & pendens in Cruce spectabat Orientem, nō Occidentem, intuebatūque Hierusalem. Ergo qui precari in Christi faciem intuens volet, versus Occidentem, non versus Orientem obuertere faciem debet.

debet, contra quam hinc colligit Bellarminus. Verum autem, quod dicimus, esse probat topographia urbis Hierusalem plena nuper edita, seu descriptio fidelissima, verissimaque.

Quinta Bellarmini ratio est nihili, Iudæi versus Occidentem conuersi precabantur: ergo nos Christianos versus Orientem orare oportet. Respondeo, Hoc ipsum scripsit quoque Durandus de Iudæis: sed neque Durandus, neque Bellarminus hoc ex Dei verbo probant. Potius ex cap. 26. Exodi vers. 35. Ezechiel cap. 8. ver. 14. psal. 48. apparet Iudæos precantes faciem conuertisse versus Arcam, ac proinde versus Septentrionem, ubi erat sita in Templo Arca. Sed & si hoc concedimus, Bellarminum euertimus. Nam si Iudæi sic conuersi in Templo precati sunt, & Christus quoque, dum precabatur in templo, & Petrus, & Iohannes, & Paulus, precati sunt versus Occidentem. Cur non potius igitur Christum ipsum, Christi que discipulos in precando imitatur, quam Vigilium Papam, qui, teste Durando lib. quinto Enchiridij capit. secundo, N. 57. primus instituit circa annum Domini 540. ut versus Orientem conuertant se Christiani precantes in templis, & alibi?

Ad Cap. 17. de

Finem templorum inter Christianos quadruplicem fingit Bellarminus, Nempe Sacrificia, Adorationem, cultum Martyrum, & populi conuentum ad verbum Dei audiendum, & administranda participandaque Sacramenta. Hos suos fines quatuor non probat Bellarminus ex Dei verbo. Nos

secundum, & quartum Templorum, finem facile concedimus, absit modò superstitio, quasi alibi quoque omnino non liceat, & Deum publicè priuatimque inuocare seu adorare: & verbum Dei sacramentàque administrare. Est enim hæc sententia planè superstitiosa. Ergo impudenter mentitur Bellarminus dum calumniatur, nos secundum Templorum vsum non admittere. Primam igitur Bellarmini propositionem concedimus; prout iacet, & est concepta ac scripta. (quæ est col. 1621. L. B. §. *Vt igitur.*) Nempe rectè constitui, ædificarique certa loca, in quibus verbum Dei & Sacramenta populo ministrantur. Absit, sicut dixi, superstitio, & opinio, quòd Deus illis locis alligetur. Id quod est nefarium, & blasphemum. Sed ordinis tantum gratiâ & politiæ externæ, loca ista sunt habenda, nò tanquàm diuini cultus partes. Malè autem & falsò iste criminatur VValdenses; quasi Tempa, & loca eiusmodi ἐν ἀποστολικῆς & orthodoxis gratiâ constituta oderint. Habuerunt enim, atque etiam num hodie habent in Boëmia, in monte Tabor, & Pragæ: quæ est Metropolis Boëmorum.

Hoc tantùm lectorem pium monerè nunc volo, sæpe hîc Bellarminum abuti locis Patrum, dum vocem *Ecclesie* vbique apud eos pro Templis constructis sumit ab ædibus priuatorum separatis. Imò sæpe pro solo Christianorum cõuentu in priuatis ædibus collecto sumitur, velut Act. 20. v. 7. & 18. Cypriani Sermone de Eleemosynis, & alibi.

Secundam Bell. propositionem ex parte negamus: ex parte concedimus. Concedimus ista loca, quæ

quæ ecclesiæ vocantur, rectè nominari Templas: ea verò ad sacrificia vera, & propriè dicta, offerenda Deo rectè, & piè à Christianis extrui, aut retineri negamus. Nam hodie & post mortem Christi nullum verè & propriè dictum Sacrificium restat inter Christianos. Quum enim elemosynæ, laudes Dei, carnis mortificatio, dicuntur Sacrificia Roman. 12. vers. 1. Philipp. 4. vers. 18. Hebr. 13. vers. 15. metaphoricè & tropicè: non autem propriè *Sacrificia* nominantur, interprete Spiritu Sancto Hebr. 13. vers. 15.

Obiicit contrà Bellarminus, in Templis Christianis sunt Altaria: ergo in illis fiunt vera sacrificia. Nam Altare sacrificij peragendi gratiâ constituitur. Respondeo, Primùm in verorum ac reformatorum Christianorum Templis nulla sunt Altaria: sed solum in Templis Pontificiorum, qui veri Christiani non sunt. Deinde Metaphorica & tropica prorsus est locutio, non propria, quum & Eucharistia *Sacrificium* à Patribus, non à Dei verbo vsquam, appellatur: & Mensa Eucharistiæ vocatur Altare, quemadmodum suo loco demonstrabimus. Sic enim dicta Patrum sunt omnia intelligenda. Id quod tamen scriptitator iste ignoravit, id circòque hîc, & alibi turpiter hallucinatur.

De loco Apocalypsis cap. 21. vers. 22. nihil certandum est. Nam procul dubio de ecclesia futura post resurrectionem intelligitur, vt apparet ex eiusdem capituli vers. 3. Verùm Marloratus damnauit duntaxat supersticiosam Pontificiorum opinionem, quasi Tempia lapidea sint pars etiâ nunc

quædam cultus diuini (quod isti censent, & docent) eaque prorsus & quod ad conscientiam necessaria. Nequaquã verò: sed tantum quò ad politiam ecclesiæ, quum illa haberi conceduntur à Magistratu.

Dictum Isaia ex cap. 60. vers. 11. allegatum, Primum & verè, & simpliciter intelligitur de Ecclesia Dei, quæ est in his terris, quum per Christum, Christique prædicationem instaurabitur missis Apostolis. Anagogicè verò etiam ad futuram ecclesiam Dei post vltimam resurrectionem pertinet. Quo sensu alludit ad dictum Isaia cap. 60. vers. 11. Iohannes in Apocal. cap. 21. vers. 22. & 24. Quid igitur necesse erat hominum piorum animos istis tam variis vnus & eiusdem loci Isaia interpretationibus inuoluere, & perturbare? Nihil certè quidem erat necesse: sed vilis Monachus se, suumque ingenium hîc ostentare voluit: inepte, & intempestiuè.

Quòd loca, & Ecclesiæ Christianorù rectè Tempa nominètur, antea cõcessimus. Ergo de eo nullum nobis erit cù Bellarmino certamen. Solum obseruet lector, ineptas esse solutiones Bellarmini, & mæcas, præsertim eas, quas affert ad primã confirmationè sibi obiectã, & locum ex Octauio li. 8. Arnobij cõtra Gêtes in se contortum. Ergo hîc verum quidè tuetur iste, sed malè, & falsis respõsionibus.

Tertia Bellarmini propositio est, *Ecclesia*, id est, *Basilica & Templo Christianorum ad orandum, etiã priuatim, rectè instituuntur*. Respõdeo, Cõtrà Christus Matth. 6. v. 6. de priuatis fideiù precibus agens, ait, *Tu verò, quum precaris, introito in conclauem, &*
clausa

clauſo oſtio precare. Patrem &c. Eſt enim hypocri-
 tarum ad priuatas preces ſuas Deo fundēdas quæ-
 rere & captare præciſè angiportus, plateas, conuē-
 tus, loca publica, qualia ſunt Tempa, teſte ibidem
 Chriſto Matth. 6. verſ. 5. Alia eſt ratio publicorum
 precum, quas vnâ cum reliquo Eccleſiæ cœtu fun-
 dere debemus: ac proinde in Tempa propterea
 conuenire. Nec obſtat locus ex 1. Reg. 8. 2. Chron.
 6. Nam more impoſtorum agit Bellarminus, &
 fallaciam admittit ab Ignoratione Eléchi. Migrat
 enim de genere ad aliud genus. Quod enim de Pu-
 blicis precibus illic dicitur, transfert ad priuatas:
 ac proinde Sophiſtam agit.

Secunda ratio iſtius eſt, Anna precata eſt pri-
 uatim in Templo 1. Samuel 1. verſ. 13. Anna filia
 Phanelis non diſcedebat à Templo precans etiâ
 priuatim Luc 2. verſ. 36. Reſpondeo, Neque nos
 negamus pios poſſe in Templo precari (quoniam
 in quouis loco id facere poſſunt 1. Timoth. 2. verſ.
 8.) modò fiat abſque ſuperſtitione. Eſt autem hæc
 ſumma ſuperſtitio, vel Deum alligare certo loco,
 quaſi nos ibi ſolùm audiat: vel ſanctitatem, quæ
 nos, noſtrasque preces Deo commendat locis vl-
 lis tribuere. Quod iſti faciunt, quum præciſè pri-
 uatas preces in Templis concipiendas volunt, &
 tradunt. Deinde reſpondemus, Durante & ſuper-
 ſtite adhuc Templo & ceremoniis legalibus, quū
 Templum illud eſſet typus corporis Chriſti Heb.
 9. verſ. 20. pios meliore iure etiam ad ſuas priuatas
 preces concipiendas in illud Templum conueni-
 re potuiſſe, quàm nos in noſtra, quæ non ſunt cor-
 poris Chriſti typi & figura.

Reliqua exempla, velut Dauidis 2. Samuel. 7. 1. Chronic. 21. Iohannis & Petri Act. 3. Eunuchi Actor. 8. quæ profert Bellarminus, publicas, non priuatas preces continent & describunt: sîntque extra rem.

Tertia Bellarmini ratio ducitur ab autoritate Patrum. Respondeo, Patres scribere quidem Ecclesias esse domos orationis: sed neminem adstringere, vt, quum priuatim precaturus est, in Templum veniat præcisè. Id quod Bellarminus contendit. Itaque minimè à Patribus iste iuuatur, sed simplicibus imponit. Itaque Augustinus lib. 22. Ciuitate Dei cap. 8. se etiam in priuatis ædibus locum ad Deum precandum habuisse tradit. Nam quòd Tempia *ἐκκλησια*, id est, *oratoria* dicta sunt, propter publicas totius ecclesiæ preces, quæ illic fiunt, sic appellantur: nō propter priuatas, quemadmodum iste vult, August. epistola 109. Basilius autem li. 2. de Baptismo quæst. 8. nō magis in precibus, quàm in quouis alio bono opere, loci, velut cæterarum circumstantiarum, haberi rationem præcipit.

Iam verò Bellarminus pus & venenum, quod concoquebat pectore. palàm euomit: & superstitionem eam, quam in hac tertia propositione latere præsensimus, manifestè prodit, nempe Christianorum hominum preces priuatas, quæ fiunt in Templis lapideis, esse Deo gratiores, propter ea ipsa loca & Tempia. Blasphemè, contrà enim Christus, Iohan. 4. ver. 21. *Veni hora, inquit, quando neque in hoc monte, neque Hierosolymis adorabitur Patrem.* Contra Paulus 1. Timoth. 2. vers. 8. Malach. 1. vers. 11. Verùm huius suæ blasphemix tam tetra rationes

rationes aliquot commentus est Bellarminus col. 1626. L. A. B. & deinceps. Nos eas examinemus.

Prima est, Deus est in Templis Christianis magis, quàm alibi. Probare autem hoc antecedens iste nititur ex loco 1. Corinth. 3. vers. 16. 6. vers. 15. & 17. vbi pro corpore substituit malitiosè *membra* Bellarminus, 2. Corinth. 6. vers. 16. ergo in Templis potius, quàm alibi Deus, etiam priuatim, precandus est, & ibi sacratior est eius præsentia. Respondeo, esse fallaciam Ab Ignoracione Elenchi, quia quod de viuis Dei Templis scribit Paulus, iste transfert ad Tempia mortua & lapidea. Animi quidem piorum & corpora, Imo ipsi pij toti sunt templa Dei 1. Petr. 2. vers. 4. & 5. verum & viua, & Spiritualia, quæ Deum honorant, in quibus Dei Spiritus habitat. Sed lignea Tempia sunt mortua ædificia, neque Dei Spiritum capiunt. Ergo eadem de diuersis illis Templorum generibus colligere, est fallere: id quod facit Bellarminus: perinde atque si idem de lapide bruto atque de homine *concludas*, lapidem ambulare quia homo ambulat.

Excipit Bellarminus, At similitudo est ista, vt sicut in viuis habitat, sic in mortuis Templis esse dicatur. Respondeo, Docet Isaias cap. 66. vers. 1. & ex eo Stephanus Actor. 7. vers. 49. non esse eadem Templi mortui & lapidei, etiam Solomonici, & viui rationem: neque perinde habitare Deum in vtroque Templo. Ergo turpiter decipitur in ista similitudine Bellarminus, & idem propterea de vtroque genere Templi colligit.

Nec valet consecutio, quam iste ex Augustini

dicto lib. 2. quæst. 4. ad Simplicianum tamen sic efficit, David ante Arcam Domini precatus est, quia sacrator ibi erat Dei præsentia. Ergo priuatim precaturi in Tempora lapidea præcisè conuenire debent. Respondeo enim quæ de Arca Dei, illius Tabernaculo, & postea Templo Solomonico dicuntur, ad nostra, reliquaque Tempora non pertinere: quoniam vnicum illud Templum fuit typus corporis Christi Hebr. 9. versic. 11. à Deo fieri disertè præceptum 2. Samuel. 7. 1. Reg. 6. habuit præsentia Dei symbola, nimirum ab ipso Deo constituta, qualis fuit Arca, & Cherubini: ergo quum tot peculiaria privilegia Templum hoc habuerit, præter nostra, nimirum quod de eo dicitur, nõ est transferendum ad nostra, quæ nulla Dei præsentia peculiaria testimonia habent.

Eodem modo respondeo ad secundam Bellarmini rationem, & ad locum ex 1. Reg. cap. 9. Peculiariæ enim Dei promissiones habuit hoc Templum duntaxat ex his, quas exposui caussis. Nostra verò Tempora promissiones easdem non habent, quicquid Pontificij in consecratione suorum Temporum Magica precentur, & petant.

Tertia Bellarmini ratio est prorsus inepta, quoniam oratio res est nobilissima, locus ei nobilissimus debetur: ergo Templum. Respondeo, Istant magnificentiæ Temporum externam non spectat Deus II. 66. vers. 1. sed cor & fidem precantis: ergo non est quærenda, vel spectanda in precibus nostris ad Deum. Deinde in Regum & Nobilium Palatiis, Castris, & ædibus esset potius orandum, quàm

quàm in Templis, quoniam illa sunt nobiliora, & ornatiores, & sæpe Templum ipsa sunt tecta tesqua, squallida ædificia, lacera, rupta, & horrenda etiam.

Quarta Bellarmini ratio est falsa, nimirum Altaria, Cruces, Imagines in Templis magis excitant pios homines ad precandum. Respondeo, Quum illa omnia sint in Templis contra Dei verbum constituta, pios & fideles offendunt, & à precando auocant, ne dum ibi precantur, illa precari, & idololatram esse videantur.

Quinta Bellarmini ratio est falsissima, Præsentia corporis Christi Mediatoris est in Templis per Sacram Eucharistiam: ergo ibi potius est orandum. Respondeo, falsissimum est corpus Christi esse, & manere in signo seu Pane Eucharistiæ. Nã signa Sacramentorum extra ipsam actionem & usum, neque signa sunt, neque Sacramenta manent. Et sunt Papistarum templa Idolia verissima nefandissimamque: non autem, vt iste scribit, Dei Palatia. Itaque nemo pius ea querere debet, vt pie, & citra Idololatriæ iustissimam suspicionem oret.

Responsio Bellarmini ad locum Matth. 6. versic. 6. mentem ipsius loci conuellit. Nam & de loco secreto & priuato intelligitur, (teste etiam & interprete Nicolao de Lyra) & de vitanda ambitione, & hominum conspectu. Id quod fit si in loco semoto, tuo, & priuato preceris Deum.

Solutio Bellarmini ad locum Iohan. 4. vers. 21.

falsa est. Varia est & incerta. Nam quid *Spiritus & Veritas* sibi velint, in dubio relinquit, quum diuersas interpretationes de iis afferat. Alij enim Spiritum opponunt corpori: alij errori: veritatem alij ritibus Samaritanorum, alij ceremoniis legalibus. Eadem autem solutio est falsa. Restrigit enim col. 1627. L. C. D. totum cultum, quem Deus à nobis Christianis exigit, ad cultum spiritualem, internum, & cordis. Externum autem Dei cultum nullum nobis relinquit: neque tribuit veteribus Iudæis vllum Dei cultum internum, quæ fuit Serueti monstri horrendi summa in Deum blasphemia, & à nostris luculenter confutata: ab isto hic miserè renouata. Et vt sit iste Christianus?

Solutio Bellarmini ad locum ex 1. Timoth. 2. v. 8. nihil valet. Primum est incerta. Deinde non liberat eum. Ostendit enim locus siue publicæ, siue priuatæ preces Deo sint concipiendæ, eas in quouis loco concipi posse, non præcisè, vel duntaxat in Templis lapideis, sicut Bellarminus hic falso contendit.

Solutio Bellarmini ad locum ex Act. 7. vers. 49. 17. vers. 24. nulla est. Nam fatetur nos obiicere sibi verissima. Deum enim vbique esse, & vbique nos exaudire & velle & posse. Quare non solum ex Templis lapideis, vt iste putat. Concedit quidè Calvinus Deum peculiari modo in cælis habitare: propterea tamen aut in Cælis, aut in Templis Maiestatem eius contineri, ac comprehendi negat, sicut inepte putat hic Bellarminus. In quo blasphemus est, vt insulsus est, quum nostra Tempia Solomonico exæquat. Quare Templum Hierosolymitanum

lymitanū suo & peculiari honore spoliat, vt exor-
net sua. Dum igitur vult videri pius in lapidea sua
ædificia, fit in Solomonicum Sacrilegus.

Quarta propositio Bellarmini est, Tépla Chri-
stiana piè & recte non solum Deo: sed etiam San-
ctis mortuis religiose colendis institui & ædifica-
ri. Respondeo, Hæc propositio blasphema est. An-
tea enim enicimus cultum religiosum soli Deo
deberi. Itaque actum agit iste scriptitator. Dein-
de refutatur ab Augustino, qui lib. 8. Ciuitate Dei
cap. vlt. lib. 1. Contra Maximinum lib. 21. contra
Faustum, negat vlla Templum esse Martyribus de-
functis ponenda. Quid igitur hîc sibi vult Bellar-
minus? *Soli Deo seruias*, inquit Christus Matth. 4.
vers. 10. Sed & iste ipse col. 1631. L. B. §. *Altera*, sic
disertè scribit, *Idololatria est erigere Sanctis Tem-
plum sub ratione Templi*, vbi totum hoc caput con-
futatur.

Argumenta Bellarmini de re eadem, de qua su-
prà satis actum est, iterum audiamus. Primum du-
citur ab autoritate trium Conciliorum, Gangren-
sis cap. 20. Cabilonenfis can. 19. Carthaginensis v.
cap. 14. vbi Basilicarum Martyrum fit mentio. Re-
spondeo Bellarmino primum in generali, nullum
ex his Conciliis meminit, probat, aut commendat
cultum Martyrum in his Templis: sed cultum so-
lius Dei, teste Augustino locis iam citatis. Verùm
quòd ea Templum vocant Basilicas & de nomine
Martyrum, idcirco fit, quoniam illè ex nominibus
Martyrum nonnullorum sic tunc appellabantur:
nimirum vt vnum Templum ab altero distingue-
retur, sicut vnus & eiusdem ciuitatis fora distin-

guuntur ex variis appellationibus, & vici, & platear. Sic forum Romanum dicebatur vnum Romæ: alterum forum Traiani: aliud forum Boarium. Sic platea Catulliana, Martiana, Regillia. Quæ nomina monstrant duntaxat distinctionem illarum platearum, & rerum, non honorem, aut cultum earundem. Atque hoc ipsum verum esse fatetur ipsemet Bellarminus col. 1631. L. A. §. Quando. Augustinus lib. 22. Ciuitate Dei cap. 10. Est ergo fallacia ab Ignoracione Elenchi huic scriptori familiarissima, dum quod vna de causa, eaque laudanda fit, transfert iste malignè ad aliam causam & finem, & eum quidem blasphemum. Colligit enim inde Bellarminus Martyrum religiosum cultum (sed perperam) non autem Basilicarum, & locorum vnus & eiusdem vrbs distinctionem.

In particulari respondeo Bellarmino, Concilium Gangrense commendare duntaxat memoriam defunctorum Martyrum, non autem eorum statuere cultum vllum religiosum, vt hic vult nos fallens Bellarminus.

Concilium Carthaginense v. damnat apertissime istam in honorem Martyrum Templorum constructionem, non laudat, vt hic mentitur, & Basilicas istas Martyrum temerarias destrui iubet concilium.

Concilium Cabilonense prohibet ea, quæ inhonestè fiunt, etiam in honorem Martyrum. Quæ res ostendit damnari honorem Martyrum religiosum, si quis illis exhibetur etiam in Templis, quoniam turpiter fit, vt pote contra Dei verbum expressum, *Soli Deo seruias* Matth. 4. Quare nullum est hoc

est hoc Achilleum istius argumentum præ sua idololatria tuenda repertum.

Secundum argumentum Bellarmini est Ab auctoritate Patrum (nam ex Dei verbo ne litteram quidem, aut literæ apicem pro se proferre potest) qui Basilicarum de nominibus Martyrum appellaratarum meminerunt. Respondeo, In quibus Basilicis verus Deus, non Creaturæ (quales sunt homines & Martyres) colerentur religiose, eas solum probant Patres: non alias, id est, in quibus nec Ara, nec Sacrificium, nec votum, nec cultus vlli creaturæ religiose exhibeatur. Sed neque Martyribus, qui ne viui quidem cum honorem sibi oblatum acceptarunt, Actor. 10. vers. 25. 14. v. 14. Ergo probant Patres Tempa in memoriam, non cultum Martyrum posita, & exstructa. Id quod Bellarminum enertit, nedum iuuat, qui Tempa Martyribus ad cultum ædificanda scribit. Damascenus li. 4. orthod. fidei cap. 16. Eusebius lib. 4. de vita Constantinii, Cyrillus Catechesi 16. Chrysostomus homil. 28. & 66. ad populum Antiochen. Augustinus lib. 20. contra Faustum ca. 11. & 21. li. 1. contra Maximinum. Sed quid pluribus testibus opus est? Nā quod de Dedicacione Templorum citat quædam Patrum exempla, nos ad ea capite sequenti respōdebimus. Sed homo iste ambitiosus omnia confundit, & miscet, eadem sæpius repetit, sūsque, deque fert omnia sua, nihil distinguit.

Tertia ratio Bellarmini sumitur A simili, si Templum ad seruandam Dei Arcam fuit à Solomone constructum 2. Samuel. 7. 1. Chron. 17. & 28. ergo & Tempa debēt à nobis cōstrui ad seruādas

Martyrum reliquias & ossa, quæ maiori, quàm Arca Dei honore, & cultu sunt dignæ. Respondeo, Tot pene sunt in hoc argumēto blasphemiæ, quot verba. Nam primùm blasphemia est, Quòd ad Arcam simpliciter conseruandam (quæ fuit lignea, sed inaurata) id est, ad Vas quoddam mortuum, exanimum, exangue, opus fabri, & caducum habendum, Templum Solomonicum erectum fuisse, & putat & scribit. Secunda blasphemia est, Quòd ossa cadaverum contendit esse maiori honore digna, quàm olim fuerit Sacrosancta illa Dei Arca in ipsius Templo posita. Tertia blasphemia est, Quòd & Arcam ipsam in illo Templo adoratam, & ossa defunctorum in nostris Templis adoranda vult, & docet. His tot blasphemis vna responsio nostra, eaque facilis satisfaciet, easque extinguet. Hæc autem est. Arca illa vetus, vel per se, & vt materia quæpiam est, consideratur à nobis: vel ex Dei institutione, sine, scopo, & relatione ad rem, cuius erat signum, typus, & Sacramentum. Si primo modo, & per se consideratur, illa fuit materia lignea ex lignis Sethim, Exod. 25. ver. 10. composita (sunt autem ligna Sethim, vel Scittim imputribilia, firma, & longæua, qualis est Cedrus, vel Cupressus,) sed inaurata extrorsus magnificè. Et hoc quidem modo Arca ossibus defunctorum Martyrum (quæ resurgunt) vilior fuit. Sin autem eandem Arcam ex Dei institutione, & quâ typus à Deo Israëlitis data fuit, consideretur, & viuus, & Mortuis Martyrum corporibus est, fuitque præferenda: quomodo in Templo posita considerari debet. Fuit enim certissimum, visibile, & infallibile signum & sacramen-

eramentum Spiritualis illius, & salutaris Dei fœderis cum illo populo, id est, cum sua ecclesia initi, & quidem ex multis præcipuum, & potissimum, vnde Arca *fœderis* appellata est, Deuter. 10. vers. 8. 31. vers. 25. & Arca *Testimonij*. Exod. 25. vers. 22. 31. v. 7. Hebr. 9. vers. 4. Erat eadem Arca quoque Typus Domini nostri Iesu Christi, quatenus ille est æterna Dei sapientia, & omnes omnis cognitionis & sapientiæ thesauri in eo habitant Coloss. 2. vers. 3. Prouer. 8. Nam tabulæ duæ legis, id est, vera Dei sapientia in ea Arca conditæ, atque reconditæ erant, Exod. 40. vers. 20. Deuter. 10. vers. 5. Quum autem Christus æterna illa Dei sapientia sit rebus omnibus & viuis & mortuis præstantior Prouerb. 8. vers. 24. Coloss. 1. vers. 16. certè ex ea relatione, & ex eo fine fuit, estque Arca, diuinæ illius sapientiæ typus, omnibus rebus præferenda: utpote rei augustioris (quàm sint ossa, & reliquiæ Martyrum) nempe fœderis Dei, & personæ Christi repræsentandæ signum ac sacramentum. Nec propterea tamen illa fuit per se religiosè adoranda, quâ materia: vel ex illa relatione, quâ signum. Nam etsi signa diuinitus instituta honorem merentur, quâ signa sunt (Augustinus lib. 3. Trinitat. cap. 10.) tamen non sunt illa religioso aut diuino cultu colenda.

Nec obstat, quòd sæpe Sancti viri i. Reg. 8. corâ Arca adorasse dicuntur. Deum enim, non Arcam adorabant, quod si alicubi quoque Arca dicitur adorata, est metonymica locutio, per quam signo tribuitur illud, quod propriè competit rei signatæ id est Deo, cuius præsentia signum erat. Id quod

in omnibus Sacramentis fieri solet. Videt igitur Bellarminus totum hoc suum argumentum esse fallaciam & A non causa, & A non consequente: neque suum errorem confirmari.

Reliqua, quæ de Templis Angelo cuiusdam, vel B. Mariæ (cuius nulla extant ossa) construendis, differit Bellarminus, sunt eiusdem erroris (quem refutauimus) furculi, qui (quoniam à nobis excisa est eorum radix) sponte ruunt, & concidunt. Nam Angeli ita se coli, id est, religioso cultu præcise ventant, quia non sunt idololatræ Apocal. 19. vers. 10. 22. vers. 8. & B. Maria eos, qui egebant auxilio, ad filium Christum remisit, ad se verò non reuocauit, & in se non retinuit, Iohan. 2. vers. 4. contra Bellarmini sententiam. Denique illa ipsa reliqua, quàm sit ipsa sibi, & Conciliis veteribus contraria Bellarmini doctrina, manifestè monstrant, & ostendunt.

Quod ad contrarij Bellarmini sententiæ argumenti solutionem attinet, nempe Patres, & Augustinum imprimis lib. 1. contra Maximinum, lib. 8. Ciuitate Dei cap. vlt. contra sermon. Arrianor. ca. 20. docere meram idololatriam esse Templum ædificare Martyribus, illa, inquam solutio inepta est, & falsa. Inepta, quia nutat, & incerta est. Duas enim dissimiles, imo contrarias solutiones affert, vtramque tamen iste probat, tanquam veram contra immotam regulam contradictionis. Vna solutio vult Tempora tantum exstrui ad solam Martyrum memoriam conseruadam: altera docet etiam exstrui ad cultum religiosum illis exhibendum, non ad solam memoriam. Ergo, quæ sibi contradicant

cant iſtæ ſententiæ, ſi prior eſt vera, poſterior, ex lege contradictionis, falſa eſt. Et ſi poſterior vera, falſa eſt prior. Sed eadem ſolutio poſterior, quam magis iſte probat, falſa omnino eſt. Ait enim non Tempſa, ſed Baſilicas tantum exſtrui Martyribus. Magnum enim diſcrimen in hoc argumento conſtituit homo vanus inter Templum, & Baſilicam. Itaque col. 1631. L. B. *fatetur eſſe idololatriam, ſi quis Tempſa, ut Tempſa, conſtruat Martyribus.* Hoc totum eſt falſum. Primû refellitur ab omnibus Græcis Patribus, qui promiſcuè Tempſa & Baſilicas Martyrum appellant. Refellitur ab Iſidoro lib. xv. cap. iv. Etymologic. qui Templum, & Baſilicam idem inter Chriſtianos eſſe ſcribit: item à Papa Gelafio can. *Baſilicas* conſecratione Diſt. i. denique à ſeiſo, qui toto hoc capite quarto quam longiſſimo contendit Tempſa Martyribus exſtrui à Chriſtianiſ debere, idque piè & rectè fieri. Sed quid dicat iſte, vel ſcribat, non attendit tam eſt præceptus & ambitioſus.

Ad Cap. v.

DE Tempſorum Pontificiorum dedicatione Bellarminus acturus orditur à lætitia, & carnali voluptate, quam in ea qui adſunt præſentes capiunt, atque agitant. Primû malè, quòd actionis iſtius, quam Sanctâ & Spiritualem appellant, initium à voluptate, & lætitia carnali ducunt, quæ cû rebus Spiritualibus planè pugnat 2. Corinth. 7. v. 10. Deinde falſum eſt lætari verè pios in iſtiusmodi dedicatione rerû ac Tempſorum. Nã ſit in veri Dei contumeliã, & idololatriæ cõtinuandæ uſum.

Oderunt enim pij quicquid Dei gloriæ aduersatur, qualia sunt ista idolea ac Tempia, Psalm. 139. vers. 21.

Verùm Bellarminus instat, & commemorat lætitiã, quam cepit populus Dei in dedicatione Tabernaculi Numer. 7. Templi 2. Chronic. 7. Esdræ cap. 3. vers. 12. 6. vers. 22. 1. Machab. 4. vers. 59. Respondeo, Neque loci citati, neque exempla allegata Bellarminum iuuant. Nam omnino dissimilis est, fuitque veteris Tabernaculi & Templi conditio à Pontificiorum Templorum ratione & conditione. Quòd hæc Põtificia ad Creaturarum religiosum cultum exercendum, id est, ad Idololatriam dedicantur, & consecrantur. Templum autem & Tabernaculum vetus ad solius veri Dei seruitium & cultum. Itaque lætati dicuntur Iudæi pij 1. Macchab. 4. vers. 59. quum ab omni Idololatria purgatum fuit illud Dei Templum. Et merito.

Vera autem est Centuriatorum, virorum doctorum, obiectio, Quòd si ad Iudaismi similitudinem Tempia Christiana dedicantur, Christiani ad ritus Iudaicos & iam à Christo sublatos obseruandos reuocantur. Itaque fit illis inutilis Christus, teste Paulo Galat. 5. vers. 2.

Falsa est quoque Bellarmini responsio, Cæremonias, quibus Pontificij in Templorum dedicatione suorum vtuntur esse naturales. Sunt enim verè partim Iudaicæ, partim etiam, vt ipse fatetur, col. 1631. L. B. Ethnicæ. Ex vtrisque enim istas consecrationes suas composuerunt Papistæ Romani, quemadmodum docet Durandus in Enchiridio
lib.

lib. 7. cap. 48. per totum, & apparet ex cap. *Propo-*
suisti & cap. *fin. Ext. De Consecratione Ecclesie.* De-
 nique col. 16; I. L. B. scribit sine circuitione Bellar-
 minus cæremonias dedicationis Templorum non
 à Deo fuisse institutas, sed ab hominibus. Quo-
 modo igitur Deus ex his coli potest? Certe non
 potest. Mat. 15. ver. 9.

Sacrilegium verò est quod scribit iste, Deum
 illius Pontificiæ idololatriæ & superstitionis au-
 torem esse, quum suis operibus benedixit. Apage
 sis, homo impudens, qui Deum nobis autorem
 mali, & teterrimæ idololatriæ fingis, & prædicas.
 Hoc Manichæorum dogma fuit pessimorum hæ-
 reticorum. Item quid magis est *αθεολογον*, quàm
 quod ibidem tradit iste, Deum optimū Maximum
 die septimo nihil egisse. Falsum. Cessavit quidem
 Deus ab operibus, quæ creare instituerat: non au-
 tem ab opere administrationis Mundi. Nec ma-
 gis conuiuia agitavit in cælo die septimo Deus,
 aut celebravit, quàm die quarto, & tertio, quum
 creavit.

Quoniam autem neque Dei verbo, neque rã-
 tione suum errorem confirmare potest Bellarmi-
 nus, recurrit ad eorum exempla, qui post hunc
 errorem iam regnantem in Ecclesia vixerunt, &
 scripserunt. At horum nulla est autoritas, vt potè
 vulgari iam consuetudinè & recepta, & praua de-
 ceptorum & facinuratorum. Est enim inquit Au-
 gustinus, etiam in rebus Ecclesiasticis consuetu-
 do tyrannus. Deinde non quid Patres dixerint,
 fecerintve spectandum est: sed quid rectè, &
 consentienter Dei verbo scripto censuerint.

Itaque magnus iste cumulus locorum, & catalogus scriptorum ostendit, hunc errorem vagatum esse furiosissimè: & Patres eos imprudentes, prætextu cuiusdam suæ deuotionis, Ecclesiam Dei Christianam ad legalium, & Ethnicarum ceremoniarum vtrarumque tamen sublatarum, obseruationem reuocasse, & sic Christi beneficium violasse, Galat. 4. versiculo, 8. 5. versiculo. 2. Coloss. 2. ver. 23.

Secunda Bellarmini propositio idem agit, quod prima, verba tantùm immutat. Nam hic probare contendit & fatagit Tempia Martyribus ad cultum eorum religiosum à Christianis piè construi (id quod supra efficere, sed frustra, conatus est) non tantùm cum carnali voluptate: sed etiam cum precibus, & ceremoniis in Papatu institutis & receptis. Respondeo, Primùm ostentationis & ambitionis gratia hæc à Bellarmino repeti: non autem ædificationis. Nam ista trambe toties reposita mors est. Deinde esse fallaciam A Petitione Principij totam hanc disputationem. Præsupponit enim quod probandum ab eo fuit, Nempe piè consecrari, ac dedicari Martyribus Tempia: deinde agere de modo consecrationis istius, & iis, quæ in ea requiruntur, ceremoniis. Verum illo priore præsupposito, & non probato, de hoc, id est, de ceremoniis consecrationis agit, & tanquam ex Tripode definit. Ergo hoc velut verum (quod tamen est falsum) assumit, rectè dedicari Tempia Martyribus ad eorum cultum. Hoc falsum est, & ipsemet Bellarminus supra cap. 4. col. 1631. sine circuitione scripsit

scripsit esse veram idololatriam, Tempia Martyribus consecrare. Augustinus item libro contra Maximinū primo idem tradit. Quid igitur verbis istis opus est, aut agere de istius dedicationis precibus & cæremoniis, quæ nulla est? Non entis autem nullæ sunt qualitates.

Verum Bellarmini rationes perpendamus. Prima est hæc, Dedicatio Templorum & locorum Sacrorum iam inde à lege naturæ cepit. Nam Jacobus lapidem, & altare consecrauit Deo Genes. 28. ver. 18. 35. ver. 14. ergo sub lege Euangelica ista consecratio locum habere debet. Respondeo Esse fallaciam Primum A non consequente: deinde Ab ignoratione Elenchi, quia diuersos fines & respectus confundit Bellarminus. Ac quidem non est consequens, vt quicquid fuit sub lege naturæ, fiat quoque nunc, & sub Euangelio. Sub lege naturæ homines quærebant coniugia inter suæ cognationis sceminas, Sic Abrahamus Isaac, Isaacus Iacobo filio matrimonium quæsiuit, Genes. 24. & 28. Id quod tamen faciundum esse negat Augustinus, sed potius inter extraneos contrahendum, vt charitas hominum in plures familias diffundatur lib. xv. cap. xvi. Ciuitate Dei. Sub lege naturæ Primogeniti erant in singulis familiis Pastores Ecclesiastici: ergo & nunc sub Euangelio Primogeniti omnes Ministri Euangelici esse debebāt, Numer. 3. ver. 41. Quis hoc concesserit? Est & hæc Bellarmini ratio fallacia quoque ab Ignoratione Elēchi. Nec enim Iacobus inūxit lapidem Genes. 28. v. 18. vel altare Genes. 35. ver. 14. vt locum aut lapidem illum religiosiorem cæteris ad precan-

dū constitueret, vel vt eū adoraret, Augustin. Ser. 40. in Iohannem: sed duntaxat vt esset postea, & sibi, & aliis *μνημόσυνον* à Deo dati beneficij, ac Visionis sibi à Deo oblatae, & promissionis sibi à Deo factae, vicissimque suae Deo, ne propter longum tempus aut longinquam peregrinationem, eius obliuisceretur Iacobus, Vnixit Altare, quia sic repetita, leuique cæremonia testabatur Iacobus sese eum esse locum agnoscere, in quo prius Deo votum antea suum lingua nuncupasset, illudque tunc impleret. Iste refert ad consecrationem Templorum suorum, id est, Idoliorum, pessime, & nullo fundamento.

Exemplum consecrati à Mose Tabernaculi veteris nihil iuuat Bellarminum, imo euertit. Docet enim id expresso Dei mandato factum esse Moses, Exod. 40. & Numer. 7. Ergo quum nullum extet, teste Bellarmino col. 1633. L. A. Dei præceptum de Christianis templis consecrandis, ea minime sunt consecranda, illisque cæremoniis dedicanda, exemplo Mosis, qui in Dei tabernaculo nihil præter expressum Dei mandatum fecit.

Bis autē fatuus est Bellarminus, qui scribat tempore Pauli Corinthi Templum Christianorum extitisse certis cæremoniis consecratum: & Dionysium suum Areopagitā nesciat fere post ccc. Domini annum vixisse, & illa, quæ hîc ex eo citat Bellarminus ex lib. de Ecclesiast. Hierar. c. 5. parte 3. scripsisse.

Secunda Bellarmini ratio ducitur ab Autoritate nonnullorum Conciliorum, quæ demùm con-

conuenerunt post errorem istum de consecratione Templorum Christianorum receptum. Ergo illa consuetudine vitiosa iam obtinente victi homines isti sic sentire & scribere coacti sunt, absque **D**i verbo, quod de ea consecratione nullum extat in Euangelio, teste hinc Bellarmino. Quare nullius momenti sunt ista decreta. In rebus enim religiosis constituendis non hominum autoritas, sed solum Dei verbum audiri debet.

Deinde respondeo, Nec Concilium Carthaginense vi. neque Agathense, neque Braccarense ii. meminisse ullarum consecrationis Templi caeremoniarum; uti neque canones *omnes Basilicae*, & *De locorum* & quinque seq. *Consecra. Dist. i.* apud Gratianum: sed tantum ædificationis Templorum, quam moderatam & sine superstitione factam minime nos improbamus. Ex quo fit, ut istorum Conciliorum decretis nostra solum sententia confirmetur: Bellarmini de consecratione caeremoniali Templorum euertatur. Consecratio enim ista vetus de qua agit Braccarense Concilium 2. fuit tantum dedicatio, quæ Deo fiebat verbis & precibus, non ullis caeremoniis, & rebus aliis adhibitis. Errant enim, inquit Isidorus lib. vi. *Etymologic. cap. De officiis*, qui dedicationem putant esse consecrationem. Denique annotat glossa in can. *De locorum Consecra. Dist. i.* totam istam præceptionem de Consecratione Templorum iampridem fuisse abolitam, nec teneri.

Porro Cæremoniæ istæ Consecrationis quam sint turpes & Magicæ ostendit Liber dictus ab his Grimarius, ex quo accersitur Diabolus, cru-

ces blasphemie causa pinguntur, Satan inuocatur. Sed & quam sint eadem futiles & pueriles docet cap. *Proposuiſti* Extra de *Consecrat. altaris*, ubi Aqua, Cinis, Vinu ad istam magiam adhiberi ab Innocentio III. iubentur. Omitto vanas quaestiones, quae inde natae sunt, teste glossa in can. 2. & 3. *Consecrat. Dist. 1.* Vtrum missa sit de essentia Consecrationis: Vtrum Altare motum tam sit consecrandum, quam ruptum: & alias inutiles.

Respondimus superiore capite ad tertiam Bellarmini rationem sumptam ab auctoritate Patrum.

Quarta Bellarmini ratio nihil valet, & falsa est. Falsa. Nam dedicantur ista Tempia, ut Idolo alicui, & idololatriae, non Deo inseruiant, Nempe ad cultum mortuorum. Nihil valet eadem ratio, quia sacrum confert cum communi, religiosum, cum non religioso, de quibus diuersis idem concluditur. Nam Nuptiae, Coronatio Regis, Contractus, sunt res politicae. Dedicatio ista res religiosa. Concedimus igitur in rebus politicis & humanis caeremonias ab hominibus institui, modo sint honestae, posse. At in rebus religiosis posse negamus, quae conscientias obstringant, aut cultum Dei contineant. Ergo migrat in hac quarta ratione Bellarminus a genere ad genus, Nimirum a rebus Politicis ad religiosas, & ita miser & se, & alios decipit, nec quid scribat, homo praecipit amaduertit. Sed sic est ingenium hominis, cui sunt delitiae omnia confundere ac miscere, & susque, deque habere.

Sed si uae est, iucundum, ac festiuum, quod homo su-

no superstitiosissimus Bellarminus blasphema^s istas dedicationis cæremonias vult, scribitque arcana quædam mysteria continere, ac significare. Sic Magi sua, quibus homines incantant, verba mysteriodes quidpiam & augustum habere contendunt. Sic in turpissimis illis Cereris Eleusine sacris horrenda quæque magna piæque continere mysteria Sacerdotes fingeant. Hæc est Satanæ rechina, vt quæ blasphema sunt, pietatis prætextu regat, velet, & commendet ignaris, fallatque, more suo, specie recti.

Quam verò tota hæc dedicatio sit res & puerilis, & blasphema, ex ipsamet cæremoniarum, quæ adhibentur, significatione, quam illis affingit iste, cuius apparet. Puerilis quidem, quod quum istud Templum Deo consecratum esse sub Euangelio velint, & ex eo Satanam eiectionem, credunt Satanam Aqua, Cera, sale, Vino, & Cinere fugari, & terri, quasi ista metuat Satan, qui est spiritus; & Deus his delectetur qui colendus est spiritu & veritate Iohan. 4. versic. 24. Sed istas cæremonias partim repetunt ex Iudaicis, quoniam olim sub lege Sal, Farina, Vinum adhibebatur. Levit. 3. 4. in sacrificiis, quasi vel adhuc inter Christianos durent sacrificia, vel hæc Templi dedicatio sit sacrificium, quam Durandus lib. 1. Enchiridij cap. 6. N. 8. confert cum Baptismo Christiano, non autem cum villo legali sacrificio. Partim etiam easdem cæremonias repetunt ex Ethnicis. Nam, teste Plutarcho in Iside, Ægyptij, alique sacerdotes easdem pene in suis sacris Ethnicis cæremonias ysurpabant.

Blasphemia quoque est ista consecratio, Primum quod in Ecclesiam Christianam veteres caeremonias reuocat, sicut apparet ex Leuit. cap. 2. Numer. 19. Hebr. 9. & caeremoniis istis Papisticis inter se comparatis. At illae per Christi purum sanguinem omnes sunt sub Euangelio abolitae. Deinde, quod vim, virtutemque fugandi Daemonis tribuit rebus istis futilibus, externis, creatis, quae soli vero Deo competit. Praeterea, quod per has actiones, ritus, cruces, & figuras quaedam sanctitas huic Templo & loco inhæere dicitur, & creditur, quod est Magicum, & Dei, Christique gloriam vel tollit, vel imminuit, à quo solo est nostra sanctitas. Per hanc enim sanctitatem Templi etiam preces nostras Deo commendari, & gratiores esse putat Bellarminus col. 1634. L. D. in fi. & col. 1635. L. A. B. quae per solum Christum sunt illi grata.

Omitto quod ille cum præceptore suo Durando (ex cuius lib. 1. Enchiridij cap. 6. totum hoc caput transcripsit.) in harum caeremoniarum significatione non consentit, tam malè fratres isti sunt inter se concordēs. Hoc quod dico facile ex vtriusque loci collatione apparebit, neque diutius in his ineptiis & fordibus hære mihi animus est: imò in veris blasphemis.

Tertia propositio, id est, trina repetitio eandem rei in hoc vno & eodem capite facta à Bellarmino, est, Templum Christianum his magicis & blasphemis caeremoniis consecratum ac conspurcatum, & pollutum, esse debere pijs omnibus venerabile, ac diuina quadam virtute præditum censendum. Respondedo, Primum ineptè hoc col-
ligit

ligit iste. Nam per istas cæremonias, quas esse blasphemias ostendimus, non sanctificatur locus iste, sed polluitur, & profanatur. Imo absque ista consecratione purior, & Deo gratior esset, quia *Domini est terra, & tota plenitudo eius*, Psalm. 24. Verum propter istos ritus fit exosus Deo. Deinde falsum est, quod hinc ait Bellarminus, ex relatione eius, cui consecratur locus iste, esse religiosum. Nam idolo, & idoli seu Creaturæ religioso cultui per has cæremonias consecratur, nempe ossibus defuncti cuiuspiam hominis honorandis: ergo Templum illud est res Idoli, cui consecratur, non Dei. Nec valent loci ex Leuit. cap. 27. Matth. 23. citati. Agunt enim de rebus vero Deo dicatis ex Dei ipsius præcepto: non autem de rebus idolo consecratis, qualia sunt Tempia Pontificia, à quibus propterea nobis est piis & Christianis abstinendum, quandiu in his idola manent illa, & eorum cultus exercetur in illis iisdem, 1. Ioh. 5. vers. 21. Apocal. 18. vers. 4.

Secunda ratio Bellarmini, & tertia, sunt fallaciæ à petitione Principij. Præsupponit enim, non autem probat, preces Episcoporum, & res quæ sunt idoli, in Templis istis consecrandis esse piæ, & sanctas. Imo sunt impiæ, quia Dei gloriam, & Christi beneficium aliò transferunt, nimirum in cadavera, qualis est cultus Religiosus, & nostra cum Deo reconciliatio.

Quarta ratio est inutilis & falsa. Ait enim, Deus Templo veteri, & à se iusso in suum vnius honorè ædificari, benedixit, Exod. ca. 40. 1. Reg. 8. 1. Macc. c. 3. Ergo etià benedicit Tēplis Pontificiis sic ma-

Blasphema quoque est ista consecratio, Pri mū quòd in Ecclesiam Christianam veteres cæremonias reuocat, sicut apparet ex Leuit. cap. 2. Numer. 19. Hebr. 9. & cæremoniis istis Papisticis inter se comparatis. At illæ per Christi purum sanguinem omnes sunt sub Euangelio abolitæ. Deinde, quòd vim, virtutemque fugandi Dæmonis tribuit rebus istis futilibus, externis, creatis, quæ soli vero Deo competit. Præterea, quòd per has actiones, ritus, cruces, & figuras quædam sanctitas huic Tèplo & loco inhæere dicitur, & creditur, quod est Magicum, & Dei, Christi que gloriam vel tollit, vel imminuit, à quo solo est nostra sanctitas. Per hanc enim sanctitatem Templi etiam preces nostras Deo commendari, & gratiores esse putat Bellarminus col. 1634. L. D. in fi. & col. 1635. L. A. B. quæ per solum Christū sunt illi gratæ.

Omitto quòd iste cum præceptore suo Durando (ex cuius lib. 1. Enchiridij cap. 6. totum hoc caput transcripsit,) in harum cæremoniarum significatione non consentit, tam malè fratres isti sunt inter se concordēs. Hoc quod dico facilè ex vtriusque loci collatione apparebit, neque diutius in his ineptiis & fordibus hæreere mihi animus est: imò in veris blasphemis.

Tertia propositio, id est, trina repetitio eundem rei in hoc vno & eodem capite facta à Bellarmino, est, Templum Christianum his magicis & blasphemis cæremoniis consecratum ac conspurcatum, & pollutum, esse debere piis omnibus venerabile, ac diuina quadam virtute præditum censendum. Respondeo, Pri mū ineptè hoc col-
ligit

ligit iste. Nam per istas cæremonias, quas esse blasphemias ostendimus, non sanctificatur locus iste, sed polluitur, & profanatur. Imo absque ista consecratione purior, & Deo gravior esset, quia *Domini est terra, & tota plenitudo eius*, Psalm. 24. Verum propter istos ritus fit exosus Deo. Deinde falsum est, quod hîc ait Bellarminus, ex relatione eius, cui consecratur locus iste, esse religiosum. Nam idolo, & idoli seu Creaturæ religioso cultui per has cæremonias consecratur, nempe ossibus defuncti cuiuspiam hominis honorandis: ergo Templum illud est res Idoli, cui consecratur, non Dei. Nec valent loci ex Leuit. cap. 27. Matth. 23. citati. Agunt enim de rebus vero Deo dicatis ex Dei ipsius præcepto: non autem de rebus idolo consecratis, qualia sunt Tempia Pontificia, à quibus propterea nobis est piis & Christianis abstinendum, quandiu in his idola manent illa, & eorum cultus exercetur in illis iisdem, 1. Ioh. 5. vers. 21. Apocal. 18. vers. 4.

Secunda ratio Bellarmini, & tertia, sunt fallaciæ A petitione Principij. Præsupponit enim, non autem probat, preces Episcoporum, & res quæ sunt idoli, in Templis istis consecrandis esse pias, & sanctas. Imo sunt impiæ, quia Dei gloriam, & Christi beneficium aliò transferunt, nimirum in cadavera, qualis est cultus Religiosus, & nostra cum Deo reconciliatio.

Quarta ratio est inutilis & falsa. Ait enim, Deus Templo veteri, & à se iusso in suum vnius honorè edificari, benedixit, Exod. ca. 40. 1. Reg. 8. 1. Macc. c. 3. Ergo etiã benedicit Tēplis Pontificiis sic ma-

gicè, & blasphemè consecratis. Respondeo, Dispar rerū comparatarū ratio disparè efficit earū cōditionem. Templo suo benedixit olim Deus, quia sibi soli consecratum erat, eo, quem ipse iusserat, ritu: Templis Pontificiis nō benedicit Deus, quia vel non sibi, vel non soli consecrantur: sed & simul idolo cuiuspiam religiosè colendo, teste Bellarm. suprā cap. 4. col. 16. 8. L. D. §. *Quarta*: nec ex ritibus à se præscriptis, eodem Bellarmino teste hoc capite, col. 1633. L. A. §. *In statu Evangelij*. Ergo manifestè seipsum refutat Bellarminus.

Quinta huius ratio est, Dæmones per hanc dedicationem ex istis Templis fugantur: ergo veneranda sunt, & sancta. Respondeo, Imò per istam consecrationem Dæmones in hunc locum euocantur. (Nam idololatriæ dedicantur:) ergo neque sancta sunt, neque veneranda. Quod autem Bellarminus ait, Homines minùs in istis Templis à Diabolis vexari, impeti, & infestari, quàm in aliis locis, quotidiana rerum experientia falsam esse arguit, & docet. Infestius enim vexantur Dæmoniaci in illis, quàm alibi. Sed mendacio mendacium tueri Bellarminum non puduit.

Ad Cap. vi.

Nihil est istius hominis Bellarmini vana superstitutione portentosius, qui sese cuiusvis, vel apertissimæ Pontificiorum idololatriæ patronum, acerrimum præbet, quemadmodum hic aduocatū exhibet inanis ornatus Templorum, & superbæ suorum ambitionis, phantasiæ, & pompæ in rebus inanimis exornandis. Hoc illud est, quod Quintilianus scribit, Nullam esse tam absurdam sententiam,

tiam, quæ suos autores, & defensores non habeat. Confutata quidem iam sunt hæc omnia, & vana esse vident omnes pij: tamen ne conqueratur ille se pro dignitate non esse tractatum à nobis, agere quæ dicat hoc capite, & cur dicat, perpendamus. Dicit opus pium, & bonum ex genere suo esse, ingentibus sumptibus Tempora Dei exornare. Respondeo, Hæc Bellarmini propositio nihil eum iuuat, quia Tēpla illa, quæ vult exornari, non Deo, sed idolis, i. mortuis hominibus religiose colendis sunt dicata, & consecrata. Respōsum hoc meū probatur ex Quarta Bellarmini propositione, ca. 4. col. 1628. L. D.

Deinde falsa est ista Bellarmini propositio. Deus enim sub Euangelio nihil tale fieri præcepit. Dicit igitur Deus, & exprobrabit eiusmodi sui cultoribus ambitiosis, ac sumptuosus, Quis hoc requisitum è manibus vestris? Elegerunt vias suas, ut me colerent, quæ sunt iniquitas, Is. 1. ver. 12. 13. 66. ver. 3. Hierem. 7. ver. 21. 22. Et quum sit opus impiū colere Deum ex hominum voluntate, & præscripto, Is. 29. ver. 13. Matth. 15. ver. 9. non sit autem hic Templorum ornatus in Euāgelio à Deo præscriptus, non nisi impiū opus, & Deo prorsus exosum, superstitiosum, Bellar. ipse c. 6. col. 1644 L. A. ingratum, & malum cēseri potest. Rationes Bellarmini audiamus, ac refutemus. Id quod est facillimū. Prima ratio est, Deus ornari suū illud (quod sub Lege fuit) Tēplū Vetus iussit, Exod. 25. 26. & Numero. 7. ergo & Christiana Tempora sub Euangelio vult quoque sumptuosè exornari, & decorari, Respondeo, Est duplex fallacia, Vna ab igno-

ratione Elenchi. Res enim diffimillimas iste confundit, Nempe Tempia nostra sub Euangelio cū illo Cæremoniali, & Vetere Templo. Templum Vetus, & Christi (qui est omnium Dei gratiarum thesaurus, Coloss. 2. ver. 3.) & Cæli, beatorum sedis, typus fuit, Hebr. 9. ver. 9. 11. 28. Item & Ecclesiæ, teste hoc ipso, cap. 6. col. 1643. L. D. §. *Secundo.* Ergo Vetus Templum quàm ornatissimum esse debuit, vt figura veritati responderet: idque Deus iussit. Nostra verò neque Christi, neque Cæli sunt typi, vel figura: sed simpliciter ædificia honestæ politix Ecclesiasticæ, & conuentus publici causâ constituta. Altera Bellarmini Fallacia est A non consequente. Quum enim res hïc ab isto comparatæ sint disparæ, dispar non eadem vtriusque ratio, & collectio sit, necesse est. At iste eadem de vtraque colligit.

Secunda Bellarmini ratio vitiis iisdem, quibus & prior laborat. Ait enim, Licuit multa olim in ornatum, & sumptum Veteris Templi conferre, Marc. 12. ver. 42. ergo nostra licet sumptuosè ornare. Respondeo, Dispar est, fuitque Veteris Templi, & nostrorum ratio, vt diximus. Ergo in ea disparitate ab vno ad alterum vitiosa est argumentatio, & collectio. Id quod tamè efficit Bellarminus. Deinde quum Apostoli, Matth. 24. ostenderent sumptuosos illos Templi lapides Christo, docuit Christus eos esse profusè demoliedos: nec adidit illam sumptuositatem sub Euangelio, & in Euangelicis Templis esse à piis reponendam, & instaurandam. Quod tamè vult hïc Bellarminus. Est autem impius, qui sanctissimū Domini nostri Iesu Christi;

Christi corpus à Maria Magdalena ante mortem unctum minoris æstimet hoc loco, & faciat, quàm nostra lapidea Tempia. Arguit enim hic à minori ad maius, Nimirum à corpore Christi ad templa nostra, velut res pretiosiores.

Tertia ratio istius est, ex Isaiaë cap. 60. Pollicetur Deus Ecclesiæ per Christum colligendæ fore, ut auro, argèto, gémis abundet: ergo Tēpla Christiana sunt ædificanda sumptuose, & ornanda. Respondeo, Fallacia est Ab æquiocatione, seu figura dictionis. Nam sumit absque metaphora, & tropo de Ecclesia, quæ tropicè de ea dicuntur. Illis enim Isaiaë verbis dona Dei in Ecclesiam per Euāgelij prædicationem colligendam, spiritualia, & cælestia significantur: iste verò de donis, & bonis terrenis accipit ea verba. Nimirum quoniã est, nõ homo, sed Animal brutũ Bellarminus: qui terrena tantum sapit. Confirmatur nostra sententia ex eiusdem Isaiaë c. 54. v. 11. 12. 66. v. 18. 19. & deinceps.

Quarta Bellarmini ratio sumpta est Ab autoritate eorum Patrum, qui post hunc errorẽ in Ecclesia natum, & receptũ vixerunt. Respondeo, Cõsuetudo etiã mala semel recepta, est tyrannus, cui parent homines etiam inuiti. Sic Patres abrepti sunt ab ista consuetudine, sicque scripserũt vel inuiti. Deinde nõ quid Patres senserint, sed quid cõsentienter Dei verbo scripserint, & spectandũ est, & sequendum. Nã hæc Patrũ rē istã non satis perpendentiũ sententia Christianam Ecclesiã ad Iudaismum reuocat, Christi beneficiũ abolet, & libertatem piorum imminuit, Christum denique tollit, Galat. 5. v. 2. Nam si vel vna cęremonia Iu-

daica in Ecclesiam reuocatur, fit Christus inutilis. Ignatius, Polycarpus, Clemens Alexandrinus, Iustinus, Ireneus, Tertullianus, Cyprianus de isto Templorum Christianorum ornatu nihil scripserunt, quoniam ante Constantinum Magnum extiterunt, sub quo maximè hic error & inualuit, & receptus est. Ergo quemadmodū est in can. *Vasa Consecrat. Dist. 1.* tunc cœperunt esse futiles, ac Lignei Episcopi, quum cœperunt Tempia, & Vasa Ecclesię Christianę esse aurea. Et quorsum aurū & argentum habeat Ecclesia, ostendit Ambrosius, extatque in can. *Aurum Ecclesia habet, 12. quæst. 2.* Nimirum non vt seruet, non vt parietes Templorum exornet: sed vt eroget, & pauperibus subueniat. Quid adhæc Bellarminus: certè nihil. Sui erroris, velut Polypus suo saxo, miser adhæret affixus. Quem tamen, vti & ornatum ipsum Templorum, ex Ethnicorum imitatione prodiisse, & certo certius est, & confirmat in hymno de S. Laurentio Prudentius.

Quinta Bellarmini ratio ducitur à quatuor Christianorum Imperatorum exemplo, qui ista magnifica Tempia exstruxerunt, & exornarunt. Hos autem ait iste esse, Constantinum Magnum, Iustinianum primum, Carolum primum, & Carolum quartum. Respondeo. Primum ceteris Imperatoribus facit iniuriam, quos sua laude, si qua laus in ea superstitione tamē inest, fraudat, vt hos quatuor solum condecoret aliorum spoliis. Alij enim præter hos quatuor etiam in iis sumptibus Templariis faciendis fuerunt penè furiosi, saltē prodigi, qualis Ludouicus Pius, Hêricus Sanctus, Otho

Otho primus: & alij plerique. Deinde respondeo ista exempla nihil valere, quoniam Imperatores illi hoc veneno, & errore iam fascino Templi illa sic sumptuosa condiderunt, id pietatem esse existimantes, quod vera prodigalitas primum fuit, deinde blasphemia mera postea euasit.

Sexta ratio Bellarmini quattuor causas eius oratus maximè affert. Primam & Secundam ex Dei maiestate summa, cui propterea sit excellens domus ædificanda. Respondeo, Nulla domus maiestati Dei exæquari potest: ergo nulla esset ei ædificanda. Is. 66. Deinde non est aliter colendus Deus, quam ipse præscripsit. Hunc sumptum templorum à nobis Christianis Deus non postulat, nec expe- tit. Ergo frustra fit, & inaniter, ut minimum de eo errore dicam.

Tertia ratio inepta est, Est autè hæc, sumptuosa templi ædificatio est signum pietatis & charitatis in Deum. Respondeo, Imo signum est infidelitatis & contumaciæ in Deum. Ostendit enim & arguit eum, qui hoc agit, & esse infidelem, qui soli Dei verbo in ipsius vero cultu non acquiescat: & contumacem, qui Deo non se subiiciat: sed ei rebellet, & resistat, suumque arbitratum in Deo colendo Dei voluntati præferat, Matt. 15. v. 9.

Quarta ratio, ducitur ab utilitate, ut ait iste, quoniam & homines & sacramenta, & pietas sanctius in magnificis templis sunt, versantur, exercentur, quam in non magnificis. Respondeo, est omnino & Ethnica & puerilis ista ratio. Ethnica quòd Deum, qui Spiritus est Iohan. 4. v. 24. rebus

istis externis & terronis delectari putant. At Deus spiritu & veritate colendus est Deuter. capit. 32. vers. 4. Puerilis hæc eadem ratio: quod Deum istis naniis, velut pueros crepundis suis, gaudere statuunt. At verò etiam Ethnicus autor Persius melius de Deo sensit. Scripsit enim Satyra 11.

Dicite Pontifices in sacris quid facit aurum?

Nempe hoc, quod Veneri donata à virgine pape.

Quinta ratio Bellarmini nihil valet. Sumitur à pœnis eorum seueris, qui templa diripuerunt. Respondeo Ergo & Delphicum templum profusidololatricum gratum erat Deo, eratque honorandum, quia Brennus, & Galli, qui illud diripuerunt, diuinitus fulmine icti, ac puniti sunt. Que ratio est impia, Sed sic statuendum est, Eos, qui in ipsius Deitatis odium & contemptum Templa diruerunt, à Deo sæpe, non semper tamen (Nam Dionysius primus Rex Siciliae non legitur propterea diuinitus castigatus, etsi fuit sacrilegus) punitos fuisse. Inseuit enim Deus has notitias hominum mentibus, esse aliquem Deum, & eum adorandum, Roman. 1. vers. 19. 20. 21. quas notitias in nobis deleri Deus non vult. Itaque eos punit, qui illas delent. Quum autem in odium idololatriæ in templis exercitæ templa à piis viris excendantur, eos non punit Deus qui illa euertunt. Exemplum in Iehu, & in Iosia Regibus 2. Reg. cap. 10. & 24.

Secunda Bellarmini propositio est, Hoc opus ædificandi sumptuose templa, quod per se bonum & piùm esse supra scripsit, ex quattuor circum-

circumstantiis nēpe Temporis, Loci, Modi & personę vitari. Respōdeo, pij omnes hęc agnoscūt artem Bellarmini veteratoriam & fraudem: quī quum animaduertet, suam sententiam infinitis locis scripturę aduersari, maluit ipse leuiter eam labefactare, quam pati, vt vno semel ictu corrueret, & deiiceretur. Itaque hęc secunda propositio est primę, id est, Bellarmini sententię de Templis sumptuosę ædificandis & euersio, sed astuta & lenior, quàm si à nobis fieret ipsius aduersariis. Deinde si tot exceptiones huic sumptuosę Templorum ædificationi sunt addendę, si tot cautiones, tot obseruationes necessarię, quam nobis iste regulam tradit, ex qua intelligamus tot istas exceptiones à nobis obseruatas fuisse? Certe nullam tradit. Denique omittit multas alias exceptiones quę sunt in can. *Sicut antiquitas* 17. quęst. 4. quot passus in circuitu habere debeat magnifica Ecclesia: item in can. *Pulchra* Dist. 86. Quam mundum esse debeat eius pauimentum: & quod plus est, omittit finem, propter quem hic ornatus additur Templis Christianis, & qui maxime totam hanc exornationem damnat. Nam si hac ratione homines fiunt supersticiosi, tollendus est omnis iste ornatus ex Templis. Id quod fit in Papatu. Si ambitio, si curiositas, si vanitas alatur, radendus etiam est talis ornatus, nedum, vt vult hęc ipse col. 1642. L. D. §. *quantum* addendus. Ergo quàm veras hęc nugas agat, & se refutet Bellarminus, omnes pij vident. Quanquam omnia sumptuosę Templarię istius ædificationis vitia in solos Cluniacenses Monachos miseros, & hęc, & postea col.

1645. L. D. congerit, & ex splendida bile euomit.

Argumenta verò nostrorum suo errori contraria conatur duntaxat eludere, Nam ea refutare non potest. Primum est ex Hierem. 7. v. 4. Verat Propheta, ne de Templo etiam Solomomico & à se edificari iusso glorientur Iudæi & in eo confidant: ergo multo minus Pontificij de suis Templis gloriari, & in iis confidere debent. Respondet, Bellarminus sic, vt fateatur reprehendi confidentiam hominum in suis Templis, quantumuis magnificis. Respondeo, Bellarmino, Ergo Pontificij reprehenduntur, quorum, sicut Iudæorum tota fiducia sita est in suis illis externis Templis, nihil respondet ad Hieronymi locum ex eo capite citatum.

Secundum argumentum nostrum fumitur ex Epistola Hierony. ad Nepotianum, vbi irridet Hieronymus Christianos, qui magnifica ista templa construunt, & eos Iudaismum inter Christianos reuocare, conqueritur. Ad hoc argumentum nihil respondet Bellarminus, quia nihil asferre potest: solum quasdam longas præcautiones, & præfationes confingit, quibus se, suæque Templamuniat, ne istis telis nostris validis subruantur. Sed ruinam istam euitare, aut arcere non potest. Nam quod ait Templi Salomonici ornatum etiam Moralem fuisse: quæ obsecro, animi intemperix hominem istum exagitant, vt hæc scribere audeat? Nam nihil Morale est, nisi quod in lege Dei Morali continetur, vbi de Templi isto ornatu,
ne p. p.

ne ꝓd̄ quidem. Totum autem illum ornatum Templi, & ipsum illud Templum fuisse cæremonia-
 nale docet Apostolus ad Hebræos toto capite nono. Sed iste falsa scribere mauult, quàm non aliqua rima euadere.

Tertium argumentum nostrum est ex Ambrosij lib. 2. de officiis c. 28. vbi omnino pauperes isti Templorum ornatui præfert, & hunc spernendum esse docet. Respondet iste ex eo Ambrosij loco apparere fuisse igitur in Ecclesia iam tum & vasa aurea, & ornamenta. Respondeo, Hoc verum esse: sed quæ reprehendit Ambrosius, non laudat, neque retineri ea vult. Idem scribitur in can-
Aurum Ecclesia XII. quæst. 11. & sine circuitione
 scribit Ambrosius. *Aurum sacramenta non querunt.*
 Sed addit huic Ambrosij dicto Bellarminus falsum glossema, *Non requirunt de necessitate, sed de decentia.* Tollo istud glossema, vt Ambrosij verba pura maneant, & suus illis sensus verus, ac nitor restituatur. Nam sunt generalia Ambrosij verba, adeo, vt ille velit neque de necessitate, neque de decentia in sacramentis Domini aurum adhiberi, quod neque Deus ipse, sub Euangelio exigit.

Quartum nostrum argumentum est ex Socratis historia lib. 7. cap. 21. vbi respondet Acacius (quia vasa sacra, vt succurreret pauperibus, vendiderat)
Deus noster neque discis, neque calicibus eget, quia neque comedit, neque bibit. Respondet, Bellarminus tunc rectè vendita fuisse illa vasa, quoniam iis Ecclesia abundabat. Respōdeo, Acacij hanc rationem generalem esse, *Nā Deus nunquā edit, aut bibit.* Itaq; nullo tēpore iis eget. Idem de Exuperio

Episcopo Tholosano scribit Hieronymus. Vasa enim Tholosanz Ecclesiaz, & quidem tunc pauca, pro captiuis redimendis omnia vendidit tamen, adeo vt postea Panem Domini in vimineo canistro deferret ad ægrotos; Idem quod nos docet Ambrosius lib. 2. De officiis cap. 28. Denique si illa aurea vasa, eumque ornatum esse in Ecclesia, & Sacramentis administrandis oporteret, præstaret ex Theophylacti, vt ipsemet Bellarminus vult, col. 1645. L. D. §. *Ad Octauium* in cap. 14. Marci, sententia illa in Dei honorem retineri, quam in hominum vsum impendi. Nec legimus vasa aurea Templi Solomonici vnquam ablata, vt captiui Iudzæ redimerentur. Nam quod de Ezechia Rege scribitur 2. Reg. 8. ver. 16. eum aurum ademisse ex Templi postibus, quod addiderat, vt populum subleuaret, nihil illud exemplum ad vasa sacrificiorum pertinet: nec dicitur Ezechias ea confasse: sed ornatum à Deo non præscriptum sustulisse: à Deo iussum reliquisse. Id quod nostram confirmat sententiam.

Quintum argumentum nostrum est ex Hilarij Epistola contra Auxentium, in qua eos irridet, qui parietum Templi splendore & ornatu capiuntur. Hoc nihil ad propositum facere scribit Bellarminus. At verò vident omnes pij vel vno isto testimonio ipsius sententiam damnari, & refutari, quum ipse tantopere nobis commendat istum splendorem.

Sextum argumentum nostrum est ex Lactantij lib. 2. Institutionum Christian. cap. 4. qui disertè grauitérque reprehendit eos, qui putant Deum
verum

verum auro, ebore, gemmis coli & delectari.
Itaque illud Persij Satyra. 2.

Dicite Pontifices in sacris quid facit aurum?

occinit, & laudat. Respondet iste Deos ligneos & idola auro non delectari. Verum Deum eum, qui verus est, eo gaudere, & illud ad sui cultum probare. Respondeo, Hæc Bellarmini distinctio & responsio prorsus in verum Deum blasphema est, quem fingit carnalibus istis rebus, auro, ebore, &c. delectari. & capi. Impium prorsus dogma, quod & Deus ipse cõsutat in Pl. 50. v. 9. & Isaias cap. 66. & Stephanus Act. 7. v. 49. Itaque damnanda est ista responsio.

Septimũ argumentũ nostrũ cõtra hũc Tẽplariũ ornatum est ex Bernardi Apologia ad Guiliel-
mum, vbi execratur Bernardus, & inuehitur in eiusmodi Templorum ornamenta. Respondet Bellarminus hæc Bernardi responsionem ad solos Cluniacenses Monachos, & eorum Tempora restringendam. Respondeo, Bellarmino, falsum hoc esse, tum quia Bernardi rationes sunt generales, quòd hoc pacto curiositas & ambitio hominum, qui frequentant ista Tempora, alatur, foueatur, augeatur, tum etiam rationes, quas ex eo loco profert Bellarminus ipse, monstrant ad omnes in vniversum Monachos, & eorum Tempora Bernardi dictum pertinere. Sunt enim istæ rationes, quòd Monachi Paupertatem, Mundi abnegationem, Humilitatem, Pauperum curam profiteantur: quæ veris Monachis omnibus rationes competunt: imo cunctis Christianis. Nec enim Christum iam nos Christiana i secundum carnem, co-

gnoscere, & ex iis rebus externis & carnalibus cogitare debemus 2. Cor. 4. v. 16. Spiritu & veritate colitur, quæ duo rebus externis opponuntur, Iohan. 4.

Octauum argumentum nostrum est ex Chrysostomi Homil. 51. & 81. in Matthæum, vbi Templorum ornamenta reprehendit, & pretextum illum speciosum refutat, *Deus sic honoratur*. Respondet Bellarminus nugas. Primum negat Chrysostomum damnare ista Templi ornamenta. Respondet, Textus ipse Chrysostomi Bellarminum refutat. Inspiciatur modò. Deinde Chrysostomo Magistro Theophylactum discipulum opponit. Sed verior est Chrysostomi, quàm istius Theophylacti sententia. Denique vult iste in solo casu extremæ Pauperum necessitatis hunc Templorum ornatum præmittendum, & postponendum; extra hunc præcisum & miserum casum semper ornamenta Templi vult esse pauperibus præferenda, Imo Respondeo, ex verbis Christi ipsius Marc. 2, v. 27. Sabbatum, & Templum propter hominem non homo propter Sabbatum, & Templum à Deo conditus est. Ergo Pauperes semper sunt isti ornatui & splendori Templorum nostrorum præferendi. Præsertim autem quis tot in Templis istis ornandis sumptus toleret & laudet? aut quis istius pompæ tandem & phantasie erit finis? quum in Templis magnificis tot hæc ornamenta requirantur, & quæ Iudaicam supellectilem plane referant, qualis in eorum olim Templo fuit, Nempe oleum nardi, Thymiamata, Candelabra, Lucernæ, Coronæ, Calices, Scyphi, Disci aurei & argentei, Cerui, Pallæ, Conchæ, oua Struthionis, vt docet Damascus in vita Syl-

ta Syluestri, & Durandus in Enchiridio.

Nonum argumentum nostrum quinque habet rationes, e quibus prima est, Christus ipse, 2. Corinth. 8. v. 9. pauper esse voluit, vt omnem superfluitatem nos abiicere & tollere doceret, qualis est iste magnificus Templorum ornatus. Respondet iste: Christum, dum hinc viueret & ante mortem amasse paupertatem: at post resurrectionem suam diligere magnificam ædem, & domum. Respondeo isti, Ne nunc quidem, & post suam resurrectionem Christus à nobis coli, & agnoscere vult secundum carnem, 2. Corint. 4. v. 16. quales sunt isti sumptus, & ornatus: sed secundum spiritum & quàm Deus, & quàm homo est, Ro. 1. v. 9. Phil. 3. v. 3. vbi externa omnis ista pōpa cessat, & remouenda est.

Secundà ratio est, aurum, Gemmæ, & cætera similia sunt in Templis Christianorum aut otiosa, vel duntaxat ambitionis augendæ flabella. Negat hoc Bellarminus, Respondeo, Sed hoc verissimum esse, primum, Res ipsa docet. Nusquam enim maior ambitio est, & superfluitas, quam in istorum Templis: & ex Templis in priuatas ædes tandem irripit, defluxitque. Deinde nostram sententiam confirmat Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem & Bel. ipse col. 164; L. A.

Tertia ratio nostra est, iste splendor externus templorum auertit & oculos & mentem eorum, qui illic sunt, & eum videt à spiritualibus cogitationibus. & in se eos retinet. Negat hoc Bell. Resp. Bell. Res ipsa hoc verum esse docet, vt dum aliquid splendidum oculis se nostris obicit, nos retineat velut picture nobiles. Testis Terentius in Eunuchis, Virgi-

lius li. 1. Aeneidos de pictura Belli Troiani in Tēplo Carthaginiensi agens. Nam mentem hęc mortalia tangunt.

Quarta ratio, Præstat Tempia Dei viua, (qui sunt pauperes fratres & Christiani 1. Petri cap. 2. vers. 5.) ornare, quàm ista mortua Tempia. Respondet iste, Etsi egeant pauperes, ædificari tamen Regum Palatia, & agitare diuites inter se conuiuia, cur non & Tempia ornentur? Respondeo, Allegare absurdum, & inconueniens non est soluere argumentum. Præstat enim intermittere pro fus istam regionum Palatiorum ædificationem, quàm finire vt Pauperes Dei fame crucientur Ps. 22. vers. 30. 132. vers. 19. 2. Samuel. 6. vers. 19.

Quinta ratio nostra est ex Matth. 25. vers. 35. nō damnabuntur in extremo iudicio, qui Tempia nō exornarint: sed qui Christi pauperes non aluerint. Ergo viris Christianis in hoc postremū & potius, & maximè est incumbendum, nimirū vt Dei pauperes alant. Negat Bellarminus, Hoc de Templis exornandis præceptum in Christi verbis contineri, quia continetur & hoc, Alienum non rapies, etsi verbis disertè non expressum. Respondeo, Plura potest negare vācors homo, & Afinus, quàm probare Theologus & Philosophus. Verū dico præceptum aliena non rapiendi contineri illis Christi verbis Matth. 25. expressè, quia de nostro erga proximos officio agunt, quod alienum disertè rapere vetat, teste Christo ipso Marc. 10. vers. 19. Templorum autem exornandorū mandatum iisdem Christi verbis comprehendi omnino non potest, quia de primæ tabulæ præceptis nihil

nihil illic differuit Christus. Vide Augustinum Serm. quinquagesimo de Tempore.

Ad Cap. VII.

DE Magicis Aque, Salis, Cinerum, Pernarum, Candelarum, Olei, Ramorum, Buxi, Cerci, &c. benedictionibus (quæ itidem in istis tam superstitiosè exornatis Templis fiunt & de incantationibus ad morbos pellendos, Dæmones fugandos, delenda etiam peccata nostra dicturus Bellarminus, Primùm contra se ostendit quavis ætate illis superstitionibus in ecclesia Dei contradicturn à piis viris fuisse, nimirum à VValdensibus, VVicleuensibus, M. Luthero, Iohanne Caluino, Centuriatoribus, Iohanne Brentio, viris & piis & eruditis, imo (si modò Mundus verum audire potest) fuerunt VValdenses, VVicleuenses, Lutherus, & Calvinus post Apostolos Christi verissima totius orbis terrarum lumina. Ergo perpetua successione isti & errori & Magiæ, & superstitioni natæ restiterunt, seseque opposuerunt viri pij, qui puram Christi doctrinam in ecclesia retentam esse volebant, & pro ea decertabant.

Bellarminum tamen has quoque tam crassas & putidas superstitiones, ac plane magicas tueri, & subfulcire conantem (nam pene iam omnes corruerunt) audiamus, & confutemus.

Primùm igitur contendit, Harum rerum benedictiones (vt in Romana Ecclesia fiunt) rectè, & piè institutas esse, imo nunc quoque fieri, & retineri piè.

Prima istius ratio est; Christus Panes multiplicaturus, illis benedixit: ergo benedictiones

Pontificiæ piæ sunt, dum Salem, Aquam, Ramos, Palmas, Buxum, Cereos benedicunt, Matth. 14. ver. 19. Luc. 9. ver. 12. Iohan. 6. ver. 11. Respondeo, Primum falsum est, quod ait iste, Christum benedixisse Panes. Dicitur enim *ευχαριστῆσαι*, id est, gratias egisse, non Panibus, sed Deo, quemadmodum & quum Lazarum excitauit, Iohan. 11. ver. 41. Vtitur enim S. Scriptura eodem verbo. Ergo colligere benedictionem Panum ex eo loco, est falsum ex Dei verbo scripto colligere. Deinde hæc Bellarmini conclusio est fallacia Ab ignoratione Elenchi, & A non consequente: sic Christus benedixit Panes, quibus miraculosè bis, aut semel tantum turbas se concionantem audientes alere voluit: ergo & reliqua, quæ hîc enumerantur, Nempe Lardum, seu Pernam, Buxum, Ramos, Ceram, Salem benedicere, quoties vult Sacerdos, licet, & ordinariè id fieri fas est. Sic ratiocinari planè delirare est. Nam quod egit tunc Christus, fuit miraculû, quod in exemplum trahi neque debet, neque potest. Deinde quod egit tunc Christus non ordinariè egit, sed extraordinariè. At isti Legem benedicendi ordinariam stabiliunt. Præterea factum est absque vlla Magia, & superstitione hæc benedictio Panum (si qua facta à Christo fuisset.) At ea, quæ fit ab istis, est & Magica, & superstitiosa. Fit enim ab his, vt putant, vi certorum verborum. Ergo planè à benedictione Christi est dissimilis. Vnde ab vna ad alteram nulla iusta conclusio cõtexti, duci, & proferri potest. Dictum autem Pauli, 1. Timoth. 4. vers. 4. de Deo inuocando antequam cibum sumamus, nihil ad hoc argumentum Magicas

gicas istas Pontificiorum Buxi, Ceræ, Lardi, Cineris, Candelæ benedictiones omnino pertinet.

Secunda Bellarmini ratio nihil valet. Ducitur ab Autoritate Patrum, qui solam Baptismi, non aliam, Aquam Deo consecrandam esse scribunt, id est, Deo, Deique institutioni ad signum lotionis peccatorum, & Vitæ regenerationis, Ephes. 5. ver. 26. Tit. 3. ver. 1. destinandam, declarandam, dicendam (idque à Presbytero Baptizante explicandum docent.) Quis hoc vnquam negavit? Certè nostrorum nemo. De Lardi, Buxi, Ceræ, Salis, Palmæ, & huiusmodi rerum consecratione ne in mentem quidem vnquam venit vlli Patri. Quare nugatur Bellarminus dum nobis Patres, & eorum scripta obiicit. Ad populum istas phaleras.

Caluini rationes refutare quoque conatur, sed non potest. Quid enim temerarius iste Monachus non audeat?

Non audeat Stygius Pluto tentare, quod audeat

Infamis Monachus, aut Papa. Prima ratio est, Alexander I. instituit hanc aquam benedictam: ergo neque Christi, neque Apostolorum institutum, est aqua ista. Negat hoc Bellarminus. Respondeo, Veram esse Caluini sententiã. Confirmatur enim ex 1. Alexandri ipsius Epistola, & ex Tomo 1. Conciliorum. Atque etiam hæc ineptia ex alia nata est, vt tradit Gregorius Magnus, & est in can. *Vir cum propria*, 33. quest. 4. Nimirum ex eo more, quo in Ecclesia Romana qui mariti nocturnã commixtionem cum suis vxoribus habuerant, Templum, aut Ecclesiam ingredi vetabantur, nisi se prius abluissent aqua. Ergo Aqua illa Benedicta in

Templis haberi cœpit, qua se Christiani coniuges aspergerent, Templum intraturi. Quæ fuit mera superstitio.

Secunda ratio Caluini est ex Epistola Augustini 119. vbi apparet in Ecclesia Dei tunc solam Aquam Baptismi fuisse religiosam, & benedictam: non autem aliam. Negat hoc Bellarminus, more suo, qui quæ soluere non potest, negat esse scripta. At veram esse Caluini sententiam, demonstrat ipse locus Augustini, qui est cap. 18. Epistolæ 119. & primæ ad Ianuarium.

Tertia Caluini ratio est, Aquam istam benedictam esse manifestam Baptismi profanationem, & sanguinis Christi. Nam illi tribuitur aliquorum peccatorum remissio, quæ tota Christi propria est. Nihil respondet Bellarminus, solùm eam ait esse institutam, vt esset Baptismi refectio, & *μυστικόν*. At contrà ex d. can. *Vir cum propria*, & Lombardi lib. 4. Sentent. Dist. 31. cap. 8. & 9. apparet inuentam esse, ex infana illa hæresi pios coniugio pollui, vt illâ pollutionem tolleret, & purgaret. Ergo ex mera superstitione nata est hæc aqua.

Quæ testimonia citat hic Bellarminus ad confirmandam benedictionem olei, Panis, Cerei, Cineris, nullius sunt momenti. Illa enim nullo Dei verbo scripto nituntur: ergo sunt *ἑθελθηρησικῆται* à Christo, Matth. 15. ver. 9. & Paulo, Coloss. 2. ver. 23. damnatæ, minimè que probandæ.

Secunda Bellarmini propositio magis adhuc & blasphemata, & Magica est, quàm prima. Ait enim, Ad effectus supranaturales viros pios rectè uti istis rebus, & naniis sic consecratis. Respondeo, Imò

Imò magis hoc blasphemum est, quàm ipsa cõsecratio. Nã trãsfert in res creatas, & inanimas propria diuinæ virtutis, etiã extraordinariæ effecta. Quod est sacrilegũ. Nã quod addit, res istas in Ecclesia benedici tribus de caussis, Primũ, vt sint rerum spiritalium, & inuisibilium, sed præsentiũ, externæ repræsentiones: Secundum, Ad peccata Venialia tollenda: Tertium: Ad Dæmones fugandos, & morbos curandos, prorsus blasphemũ quoque est, falsum est, ineptum est. Blasphemum est sentire, & docere rem vllam externam in Ecclesia Dei esse rerum spiritalium Christianis signum, & sacramentum posse, nisi fuerit expressẽ à Deo in eum finem instituta. Quod de rebus istis dici non potest, falsum est, Peccata vlla esse venialia, & alio, quàm vnus Christi sanguinis, pretio, deleri, tolli, vel abluì, Roman. 3. ver. 25. Ephes. 5. ver. 26. 27. 1. Iohan. 2. ver. 2. Ineptum est, credere istis spectris, & laruis inanibus Dæmones fugari: & istis amuletis morbos curari. Id quod rerum experientia quoque refutat: Nisi id agat Satan ex pacto, quemadmodum quum idẽ dat Sorciariis suis potestatem morbos & immittendi, & curandi. Verũ de istis tribus alibi fufius agendum nobis erit. Nã & ipse Bellarminus col. 1649. L. C. §. *Tertio*, fateatur suas illas benedictiones, ac incantationes esse inutiles, & vanas: nec sua semper producere effecta, vel contra Diabolos, vel morbos.

Cæterũ suum hũc quoque errorem tueri conatur Bellarminus, tam est vxcors, & obstinatus, & sacrosancto Dei verbo in omnium perniciem abutitur.

Prima ratio istius est, Aqua zelotypiæ, Numer. 3. Aqua Iuuenæ Ruffæ. Numer. 19. Aqua Iordanis ex Elisæi Prophetæ respõso, 2. Reg. 5. item Sal iniectus magnas vires habuerunt, 2. Reg. 2. ergo res à Pontificiis benedictæ easdem vires habent. Respondeo, Fallacia est A non consequente propter infinitum rerum hic inter se comparatarum discrimen. Nam quæ res (id est Aqua, & Sal) vires sub Lege habuerunt, ex Dei præcepto, & promissione eas sunt consecutæ. At nullam Dei promissionem habent res à Pontificiis consecratæ. Dei quoque iussu adhibebantur, vt Aqua Iordanis in curanda Lepra Naamani, & Sal in sanandis amaris Aquis, & oleum in sanandis Morbis, Marc. 6. v. 13. Quæ enim Elizæus Propheta iubebat, Dei iussu præcipiebat. Sed Pontificiæ istæ rerum benedictiones nullum Dei præceptum, & mandatum habent. Ergo, vt vident omnes, sunt istæ res dissimilimæ: neque idem de vtrisque affirmari debet: id quod facit Bellarminus. Itaq; omnino fatuus est.

Secunda Bellarmini ratio est, A quibusdam miris rerû istarû euentis, quæ cõmemorat ex eorum dûtaxat libris, qui iã hoc errore fascinati erant, vel nihil præter incertû auditû de his rebus habebât. Itaque rectè negantur ea credenda. Nã & Sarã ædit & ipse sua miracula, 2. Thessa. 2. v. 8. 9. Sed & ficus essent benedicendæ, quoniam adhibita ficu Isaias curauit Ezechia regē ægrotû, Is. 38. v. 21. Effet benedicendum Sputum, & Lutum, quia Christus per ea cæcum sanauit, Iohan. 9. vers. 6. & quid non tandem sic magicè esset benedicendum?

Bene verò Tilemãnus ait, Aquã à Christo non esse

esse institutam ad fugandos Dæmonas. Nec valet responsio Bellarmini, omnis creatura per verbum sanctificatur 1. Timoth. 4. ver. 5. Nam tunc sanctificatur, quum eam homines applicant ad vsum, ad quem sancta à Deo destinata non aliter. Nec impetrat fidem quicquid petimus, vt ille perperam vult ex Iohan. 16. ver. 24. Nec enim impetrat fides quicquid orat: sed quicquid ex Dei voluntate postulat 1. Iohan. 5. ver. 14. Denique quod negat ille nomen Dei in vanum sumi, nisi peieretur, fallitur. Quum enim Dei verbo in alium, quàm ipse instituit, finem vtitur, Dei nomen summi in vanum Psalm. 50. v. 16. Nobiscum planè facit Toletanum Concil. 8. ver. 2. quod ille citat quidem: non intelligit tamen. Inuocat autem Diabolum, & incantat, quicumque rebus à Diabolo sumministratis, inuentis, & in Dei blasphemiam institutis vtitur, & eas vsurpat. Id quod quum in istis Pontificiis benedictionibus fiat, certè in iis Diabolus inuocatur, quicquid Pontificij id non existimèt se agere. Verùm re ipsa agunt.

Ad Cap. VIII.

DE Peregrinationibus ad loca, quæ vocat ille Sancta, dicturus, primum commemorat non hereticorum, vt nefariè putat: sed virorum verè Christianorum, piorum & doctorum testimonia contra istam Peregrinationum superstitionem, quam & antè Hieronymum Vigilantius vir pius reprehendit, & taxauit: & post eum Claudius Taurinas Episcopus, & sui seculi lumina VValdenses, VVicleuenses, Calvinus, &

post eum Magdeburgenses. Hæc tâta piorum cohortis, & agmen Monachorum superstitioni, & idololatriæ, (qui sanctitatem in ipsis telluris visceribus, & solis glebis, & pulueribus collocant) sese opponit, eamque debellat, & deiicit. Sed quid erat opus? Nam vel vnus Hieronymus fatis hoc totum superstitionis genus flagellarat in Epistola ad Paulinum. Ait enim, *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est: Non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare paruo terra loco, quem non capit cælum. Domini est terra, & plenitudo eius. Ps. 24. Vri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Garizim, sed ubique Deum adorabunt, Iohan. 4. ver. 22. Quum esset in Templo Christus dixit discipulis suis, Abeamus hinc. Et de Hierosolymis, & de Britannia equaliter patet aula celestis. Nec quicquam fidei tua deesse putes, quod Hierosolymam non vidisti.* Gregorius Nyssenus eundem errorem longa Epistola confutauit. Cabillonense Concilium cap. 45. itidem damnauit, quod Hieronymi dictum citat, & laudat. Denique hæc peregrinationum, & vagationum superstitio Turcis, seu Mahumetanis, & istis Christianis communis est, & ex eodem idololatriæ fonte profecta.

Bellarmini tamē rationes age videamus. Prima est hæc, Viri pij quotannister Templum Dei sub Lege adire iubebantur, Deuteronom. decimo sexto. Id fecerunt I. Samuel, I. Christus ipse adiit, Luc. 2. versiculo quadragesimoprimo. Maria, Iosephus, Apostoli. Actorum decimo octauo, versiculo vicesimoprimo. & capite vicesimo, versiculo tertio. Ergo & eadem loca debent sancta esse sub

sub Euangelio, & ter quotannis, saltem semel in vita visitanda. Respondeo, Ineptissimum esse hominem istum, qui sic argumentetur. Est enim hæc fallacia duplex, vna A migratione generis ad genus, nimirum legalium ceremoniarum ad libertatem Christianam nobis per Christum partam. Altera A non consequente Templum sub lege veteri fuit typus Christi, cœli, celestis ecclesiæ: nostra non sunt. Terra sancta Iudæis fuit typus celestis vitæ & hæreditatis Hebr. 15. vers. 15. 16. ideoque desiderabilis vocatur Daniel 11. vers. 41. Nostræ terræ, imo nec totus terrarum orbis est signum vllius rei celestis hodie. Deinde disertè Deus iusserat Templum illud suum adiri ter quotannis, & locum illum Deuter. 16. De vlllo loco terræ totius adeundo & visitando ne littera quidem scripta vel picta extat in toto Nouo Testamento. Quare dissimilima prorsus comparat hoc loco, vt idem de vtrisque concludit, tamen Bellarminus, quæ summa inepties est, & ignorantia.

Secunda huius ratio est Ab autoritate nonnullorum Patrum, sed eorum, qui post Constantini Magni tempora scripserunt, quo seculo iam error iste & nascebatur, & probabatur. Iustini autem Martyris, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Ignatiij scripta vetustissima, de hac peregrinatione ad loca sancta, quæ vocant, plane obmutescunt, quoniã error hic nondum natus & ortus erat. Respondeo, Igitur in generali istis autoritatibus omnibus, & scriptis, illa scripta, dictaque esse ab hominibus iam hac superstitione deceptis ac fascinatis: quorum propterea sententiam sequi, est cæcos viæ

dutes acceptare, quod est & fatuum, & ut ait Christus, periculosum Matth. cap. 15. vers. 14. Nam in rebus sacris definiendis, ac statuendis religiosis non Patrum autoritas: sed sacrosancta verbi scripti veritas est nobis sequenda. Quare non quid illi Patres senserint: sed quid sentire ex Dei verbo debuerint, spectandū est. Deinde respondeo confirmandæ duntaxat fidei suæ gratiâ, ut essent certiores de historia Evangelica, pios & Patres Hierosolymam adiisse, & terram illam Israëliitarum illustrasse. Eusebius lib. 3. de vita Constantini, li. 6. Historiæ cap. 8. & 11. non autem solius, aut ipsius terræ sanctitatis gratiâ, quam à Deo, propter ibi crucifixum Christum, maledictam agnoscebant, & res ipsa, miseriâque ipsius soli nunc quoque declarat, ipsius desolatio, vastatio, & captiuitas, teste Christo ipso Matth. 24. vers. 15. Hieronymus confirmat epist. 154. nostram sententiam, *Pars fidei est, inquit, adorasse Dominum, ubi pedes Domini steterunt.* Hac enim ratione fides & historia Evangelica apud incredulos, aut infirmos confirmatur. Sulpitius lib. 2. Historiæ idem docet. Paulinus epist. 11. ad Seuerum, *non aliter, ait, affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca in quibus corporaliter presens fuit Christus, videant, atque contingant.* Ergo hæc vera fuit causa, cur veteres nonnulli Christiani loca videre vellent, in quibus vixit Christus, ut fidem suam historicè confirmarent: non quòd, sicut iste putat, sanctitatem vllam in ea terra, & solo inesse crederent. Sed mutata postea hæc causa est à superstitiosis hominibus, & in veræ religionis ac cultus diuini partem sacrilegè

facilegè transformata, præsertim si peregrinatio susciperetur vel in terram sanctam, vel Romam ad limina Apostolorum. Denique aucta est hæc superstitio à Pontificibus Romanis, vt apparet super. *Licet.* & duob. seq. *Extra* de voto, & voti Redempt.

In peculiari dico Hieronymum sibi ipsi aduersari in epistola ad Paulinum, & epistola 17. ad Marcellam. Alexandrum quem Eusebius li. 6. Histor. ca. 8. & 11. non propter peregrinationem sanctum habitum, sed propter constantiam in persecutione constat ex teste eodem Eusebio, & ibidem.

Tertia ratio Bellarmini sumitur Ab vtilitate peregrinationum istarum, præsertim votiuarum. Atqui illa nulla est, Verum eam Bellarminus triplicem fingit. Primam, Quòd sic Deus & Sancti honorantur. Respondeo, Quum Deus in Euangelio has peregrinationes suscipi ad loca ista non præceperit, per eas non honoratur, sed blasphematur Matth. 15. vers. 9. If. 29. vers. 15. Quòd si verus Deus sic non honoratur, neque serui illius Sancti, vel homines, neque Angeli. Honorem enim suum non putant eum, qui est vera in Deum blasphemia.

Secunda commentitia vtilitas est, Quòd huiusmodi peregrinatio sit actus pœnitentiæ, quoniam iter conficere est laboriosum, præsertim iter longum. Respondeo, vigilare, pugnare, sitire in exercitu & castris, in obsidione vrbs est magis pœnale: ergo magis esset actus pœnitentiæ. At pœnitentibus militare non licet, nec pœ-

nitentia cum militia esse potest ex Toletano Cō-
cilio can. *Si quis*. Dist. 50. & can. *Contrarium*. De
Pœnitentia Dist. v. estque Leonis Papę decretum.
Ergo est fallacia A non consequente. Nec enim
ferre quemvis laborem & ærumnam, pœnitentia
est, aut illius actus.

Tertia à Bellarmino conficta utilitas est, exci-
tatio, inquit, deuotionis ex noui loci inspectiōe,
& aspectu. Respondeo. Hoc ipsum est alere, & au-
gere hominum curiositatem, non pietatem exci-
tare: ergo vana, & inutilis est, imo pernitiōsa ista
utilitas, à Bellarmino conficta.

Sed quid ad nostrorum quoque argumenta re-
spondeat, audiamus. Tres ex Nysseni oratione Pa-
tris antiqui, & Græci rationes contra peregrina-
tiones huiusmodi afferuntur, ac demonstrantur,
rationes inuictæ, vt proferuntur, à Centuriatori-
bus, vna, quòd ista peregrinatio non ponitur in-
ter beatitates à Christo Matth. 5. vers. 2. 3. 4. Alte-
ra, quòd multa pericula & viri, & præsertim mu-
lieres adeunt, dum vagantur sic, & peregrinantur.
Tertia, quòd quæ ibi quærimus, domi habemus,
& Deum præsentem, & piorum memoriam defun-
ctorum. Denique ab Antonio, & aliis primis Mo-
nachis cōtemptæ sunt istæ peregrinationes etiam
ad loca illa sancta.

Respondet Bellarminus, suo more, negat esse
scripta ea, quæ soluere non potest. Negat hanc o-
rationem esse Gregorij Nysseni. Deinde sibi re-
pugnans agnoscit esse procul dubio Nysseni col.
1653. L. D. sed peregrinationes istas tantum Mo-
nachis & Monialibus interdici, quia in claustris
suis

suis ac Iustis, (vt feræ bestia in suis caueis,) concludi Monachi debent. Denique fatetur Bellarminus has peregrinationes neque pertinere ad Christianorum perfectionem, neque ad salutem. Cui bono igitur erunt? Ergo de his nos minime sollicitos esse vult iste. Quid autem melius hanc totam peregrinationum harum commédationem toto hoc capite defensam tollere potest, quàm huiusmodi Bellarmini sententiæ, & quidem verissimæ? Ergo neque nos de his solliciti sumus.

Ad Cap. ix.

Vota sanctis defunctis voueri & nūcupari posse ipsemet Bellarminus refutat. Primū, quia votū est actus Religionis soli Deo debitæ, Num. 30. Deuter. 23. vers. 23. Ps. 116. vers. 14. Is. 19. vers. 21. Deinde ait iste, posse id fieri *aliquo pacto*, quod dubitationem animi significat. Præterea refutatur can. *Quod Deo* 33. quæst. 5. Quod enim Patrum iam isto errore imbutorum testimonia quædam profert, inane est, & fallacia A non caussa pro caussa. Verbum Dei scriptum, non hominum arbitrium fidem nostram & fundare, & regere, & moderari debet.

Quod ad solutionem à Thoma in secunda secūda, quæst. 88. Artic. quinto excogitatum, votum quod fit Sanctis, non fieri illis quâ ista promissio votum est, & obligat: sed tantum Deo, cui, quâ votum est, illa fit, etsi commodum, vtilitas, & honos istius voti ad Sanctum redundat ac pertinet: hæc, inquam solutio est inanis & *ρηρησυχης* solum. Nā Primum à Caietano commétatore Aquinatis refutatur, qui docet ipsis quoque Sanctis defunctis

vota dirigi: non soli Deo. Aiunt enim vouentes, *voueo Deo, & B. Maria Virgini me &c.* Deinde nihil Deo voueri potest, quod ipse sibi voueri non iusserit *II. Num. 30.* At istas ad loca Sancta peregrinationes nulli Christiano præcepit. Nam quæ fuerunt sub lege veteri præceptæ *Deuter. 16.* fuerunt pars legalium cæremoniarum, quæ sub Evangelio prorsus cessant. Ergo huiusmodi à nobis votum piè Deo concipi non potest. Præterea in eadem Voti promissione & formula Deum & Sanctos cõiungere & miscere perinde est, atque Deum, & creaturas inter se (quod est vera idololatria) componere, & miscere: in eadem Iurisiurandi formula per Deum, & per Idola, & Creaturas iurare. Quod fieri vetatur *Amosi ca. 8. v. 14.* Denique fatetur hic Bellarminus, Vota eiusmodi spectare, vt finem, etiam ipsos Sãctos, & in eos terminari, *col. 1655. L. D. §. Respondeo.* Imo cõcedit re ipsa aliquid his, sicut & ipsi Deo à vouentibus promitti, quod vouentes obligat, & conscientiam vouentium adstringit. Quomodo igitur non tribuitur Sanctis cultus, qui Dei proprius est? Quomodo hoc votum non est Idololatria manifesta? Et verè latria, quicquid id neget Bellarminus?

Respondet Bellarminus, Quoniam hic cultus, quatenus Sanctis exhibetur, est tantum dulia: nõ autem latria. Fit enim iis solùm tanquam Dei seruis, & ministris: non tanquam Deo, & primariæ causæ. Hoc proximè refutauimus. Nam in eadem Actus religiosi formula Deum & Sanctos comprehendunt. Itaque negat Bellarminus hanc promissionem Sanctis defunctis nuncupatã esse propriè

præ votum: sed sic dici accepto voti nomine lata
significatione & generali: non restricta. Imo po-
tius, aut duntaxat. Hoc votum orationem esse ad
Sanctos, tanquam nostros apud Deum Mediato-
res affirmat. Hæ sunt ambages, & contradictiones
quibus seipsum expedire à nostris telis iste cona-
tur, & fatagit: sed non potest.

Respondeo enim Bellarmino, voti nomen sem-
per in S. Scriptura sumi de promissione facta Deo
ipsi, non homini, non Angelo. Promissio enim his
facta, *Pactum*, vel *Pollicitatio*, voce dissimillima, ap-
pellatur. Deinde fatetur iste col. 1656. L. C. nul-
quam in tota Scriptura extare exemplum vilius
voti, quod conceptum sit Sanctis, & nuncupatum.
Præterea, falsum est propriè *votum* & *orationem*
consentire. Nam excepta lingua Græca, nec in vo-
cis, paronomasia, nec in definitione conveniunt
votum, & *oratio*. Non in Hebræa, non in Latina. I-
taque prorsus ineptus est homo iste in suis istis
solutionibus, & sibi contrarius. Denique quâ-
tum æstuet in ipsa voti voce duntaxat huic quæ fit Sã-
ctis defunctis promissioni applicanda, vident hîc
pij omnes, nedum vt voti veram definitionem ei-
dem accommodare possit. Sed decurrit ad *λογο-
μαχίας* iste Theologus, quia rem obtinere non
potest, novas rebus appellationes imponit, verba
contorquet, & intorquet, & dum duos lepores,
vocem & definitionem voti confectatur, vt est in
Prouerbio, neutrum capit.

Ad Cap. x.

DE diebus festis seu feriatis dicturus Bellarmi-
nus ré ab quo gemino, sed inutiliter, arcessit,

ac repetit, nimirum iam inde ab Ebionitis hæreticis. Sed quid erat necesse, quum tota hæc quæstio vno verbo decidi potuerit, & debuerit? Nam & ipse fatetur col. 1657. L. D. se cum nostris consentire in duobus præcipuis nostræ de ea re doctrinæ capitibus: & Dierum istorum obseruationem in primitiua Ecclesia rem *ad iadropov* fuisse concedit col. 1658. L. B. 9. *Quarto.* Deinde quæ hîc multis verbis præfatur, ac præmittit, postea hoc ipso capite frustra repetit. Sed ista est hominis nugacitas & importunitas, vt nos suis oneret scriptitationibus, & repetitionibus. Denique apparet huic Pontificiorum doctrinæ de Religioso Dierum festorum cultu, vt Bellarminus docet hoc loco, semper contradictum à piis viris fuisse, & quidem apertis S. Scripturæ locis contra eam prolatis. Nam & Hieronymus in epistolâ ad Galat. 4. v. 10. docet idem, quod illi.

Quòd autem impudens hic Monachus Bellarminus quædam & Centuriatoribus viris doctis, & Tilemanno Heshuffio mendacia affingit: & Philippo Melanchthoni dulcissimæ illi Animæ ac sanctissimæ memoriæ viro quædam mēdaciter obiecit: de his omnibus suis locis dicemus. Antiquum enim suum obtinet Bellarminus, vt diris conuitiis contra nos agat, non autem iustis rationibus, & armis. Calvinum autem virum pientissimum iste ferre non magis potest, quàm olim Dæmoniacus ille Gadarenus Mar. 5. vultum Domini nostri Iesu Christi. Ergo qua potest Bellarminus Calvinū Papæ mastigā arrodit: sed edētulus canis huius neque famam, neque doctrinam, vt pote cum Christi verbo

verbo plane consentientem, vulnerare potest, quantumuis laboret.

Prima thesis Bellarmini damnat Ebionitas qui veteres legis cæremonias esse à Christianis obseruandas contendebant. Cur non igitur & suos dānat, qui mutatis tantum verbis Ebionitarum errorem renouarunt, eumque tuentur? Tantū quædam breuiter annotabo, quæ Bellarminum emendabunt: in reliquis nulla nobis erit cum isto contentio, quoniam & ipsi Ebionitas toto pectore detestamur. Primum falsum est quod ait Paulum Apostolum non coluisse indifferenter Sabbathum & Diem Dominicum. Nam Paulus in hisce rebus mediis (qualem dierum obseruationem in Primitiua Ecclesia Christiana fuisse etiam fatetur iste) omnibus omnia factus est 1. Cor. 9. v. 20. 21. 22. Sabbathum igitur obseruauit, sed vt rem indifferenter, quando cum Iudæis versatus est Act. 16. v. 13. 13. vers. 14. Sed & Diem Dominicum Act. 20. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2. Deinde Secunda, & Tertia Bellarmini ratio ab Ebionitarum patronis irridebitur. Solidè verò illi refutandi sunt, quod faciunt nostri: non laruis quibusdam rationum, & futilibus. Sunt enim homines acuti Ebionitæ, latèque vigerunt, teste Epiphaniò hæresi 30.

Secunda thesis Bellarmini hæc est. Dies quosdam Sanctis festos & feriatos à Christianis obseruari debere non tantum ordinis, conuentus, & politia causa: sed etiã vt partē diuini cultus, eosque dies septimanæ esse aliis sanctiores, & sacratiores. Hæc iste. Quid nos? Contrà prorsus. Primum hanc thesin affirmamus & Iudaismum, & plus quam Iu-

daismum inducere in ecclesiam Christianam ab eo onere liberatam Christi beneficio. Quod vtrumque est, scelus maximū & teterrima blasphemia. Iudaismum reuocat, quia Dierum discrimen, religionis ergō, & vt cultus Dei partem renouat, & inducit. Contrā Paulus Galat. 4. vers. 10. Colo. 2. vers. 16. Rom. 14. v. 5. Plus quam Iudaismum imponit, quia plures dies sanctis sunt festi, quā olim fuerint sub veteri Lege. Ergo plus oneratur, quā Iudæi. Durandus lib. 6. Enchiridij ca. 1. scribit singulis diebus occurrere per totum annum plus quam quinque millia Sanctorū & Festorum.

Secundò hæc thesis est blasphemata. Collocat enim in ipsa Solis luce & cursu, qui diem efficit, sanctitatem: eamque disparem, quum tamē omnibus Septimanæ diebus æquē, quod ad sanctitatem ipsam, Deus benedixerit, si eam ex Dei benedictione metitur Bellarminus. Sin autem ex fine, cui dies aliqua dedicatur, nulla dies sancta & festa Christianis esse & religiosa debet, aut potest, quæ non soli Deo vero (non autem Sanctis) dedicatur, ac consecratur.

Tertiò, Nullo Noui Testamenti loco festa ista iubentur obseruari à Christianis hoc onere liberatis, & immunibus. Nec enim sumus seruæ filij, sed liberæ Galat. 4. vers. 31. nos Christiani.

Quartò apparet ex collatione can. *Placita xv. quæst. 1111.* & can. 1. 2. & 3. consecrat. Dist. 3. totam istam obseruationē ab hominibus ad Dei cultum institutam fuisse: & variā primum, ac incertā fuisse: deinde etiam liberā, vt qui vellent, obseruaret, qui nollet obseruare, sine pœna negligeret. Nam quod

quod apud Ignatium Dies festi iubentur seruari epist. v. de solis diebus Dominicis intelligendū esse, nō de vllis aliis festis, apparet ex eiusdē epist. 3. quæ ferias istas omnes, sicut & Iudaismū, damnat.

Verūm Bellarminum suum illum putidum errorem confirmare conantem audiamus. Prima eius ratio est, Dies Dominicus à Christianis fuit obseruatus in memoriam Resurrectionis Christi, Augustin. epist. 119. ergo & Dies festos Sanctis cōsecrare licet, & hic ipse dies Dominicus est pars cultus Dei: non tantū ordinis, & conuentus dūtaxat gratiā institutus, ac receptus in ecclesia. Respondeo ex Socratis Historia lib. 5. ca. 22. apparet diē ipsum, quo Populus Christianus conueniret, fuisse liberū. Aliæ enim ecclesiæ aliis diebus conueniebant: non omnes die Dominico. Ergo non fuit pars cultus Dei. Nam Dei cultus immutari ab hominibus non potest. Deinde respondeo. nō sequi, Vt si in Christi memoriam Dies iste sit dicatus: etiam Sanctis dies alij sint sacrandi. Nec enim qui honos Domino debetur, qualis est Christus, debetur & seruis, quales sunt Sancti.

Calvinus rectè scribit Diem. quo Christus Resurrexit, potissimum à tota Ecclesia delectū, quia tunc cessarunt cæremoniæ legis, vt Christiana libertas obsignaretur, intelligeretūque. Hoc non probat Bellarminus, quia sic, ait, fit Dies Dominica Iudaica cæremonia, si est alicuius, rei futuræ significatio. Respondeo, Inepta est ista collectio. Nam & sacramenta nostra essent Iudaicæ cæremoniæ, quoniam ipsa rei nobis donandæ sunt signa, nempe vitæ æternæ, præterea non

rem futuram, sed iam collatam, id est, libertatem nobis iam à Christo partam commemorat. Deinde dies Dominica reuocat per consequens, non per se admonitionem abolarum veterum caeremoniarum, & vitæ beatæ. Ergo non est caeremonia. Nam caeremonia per se, non solum ex consequenti significat rem nobis futuram, & quidem ex Dei promissione: non ex hominum instituto. Sed iste quid sit caeremonia Iudaica non intelligit, qui tamen est Magister in Israël.

Secunda Bellarmini ratio est, Dies Natalis Christi, Ascensionis, Pentecostes obseruatus est, & obseruatur, ergo vt pars cultus diuini, non politice causa instituti sunt hi dies. Respondeo, Nego consequens. Nam hi dies sunt instituti, vt Christiani conuenirent, illarumque Christi actionum tam salutarium memoriam quotannis refricarent, ac repeterent. Augustin. epist. 118. & 119.

Tertia ratio istius est, dies isti *Sacri*, & *Mystici* à Patribus appellantur, August. in Præfatione epistolæ Iohan. Serm. 251. de Tempore lib. 22. cap. 30. Ciuitate Dei Leo. 1. Serm. 4. de quadragesima. Responsio, Qui dies in Christi actionum salutarium memoriam in ecclesia retinentur, sunt religiosè, id est, reuerenter quidem, sed sine superstitione tamen exercendi, ad conciones nempe publicas audiendas, & preces Deo fundendas. Non autem ij Dies, qui Sanctis defunctis sunt instituti. Nam hoc ipsum est idololatria. Nec aliud sentit Augustinus epist. 119.

Quarta ratio, Inter dies Festos alius alio maior est, & sanctior inter Christianos: ergo sanctitas est in

in ipsismet diebus, neque sunt ordinis solum causa constituti. Respondeo, Propter maiorem populi frequentiam & conuentum Dies vnus à vulgo, non à doctis, sanctior dici, & cenferi solet: nō propter maiorem diei, lucis, aut spatij istius diei sanctitatem. Idem enim Sol dies omnes efficit, eadē lux, idem est singulorum spatium, nempe *xxiiii.* horæ Hierony. in Gal. 4. vers. 10. *Omnes dies, ait, Christianis sunt equales. Distinguuntur vt populus facilius conueniat.* Nam quod Sabbathum sub lege *Sanctum* vocatur, Exod. 31. vers. 14. Hierem. 17. vers. 22. 24. non ipsius lucis ratione sic vocatur: sed ex cultu Dei, cui dies ista ex Dei decreto consecrata præcisè fuerat Exo. 20. vers. 8. *Ps.* 81. Nullum autem septimanæ diem Deus præcisè suo cultui nobis in Euāgelio designauit. Nec sequitur, quod iste colligit: si sit vnus aliquis dies festus frequentior, eum partem esse diuini cultus: non autem solum ordinis causa receptum & cōstitutum. Quod perperam effectum vult iste: frequentia enim populi non facit diem religiosum.

Quinta ratio, Præceptum de Sabbatho obseruando positum est in lege Morali: ergo est naturale, & ad nos Christianos quoque pertinet. Respondeo, Quid, obsecro, maximus aliquis hæreticus E-bionita (quos iste refutat) peius aut scœdius scriberet? Deinde quid magis *ἀθεόλογον* est? Præceptum igitur de Sabbatho ex analogia duntaxat ad nos pertinet, vt diem in tota septimana vnum aliquē habeamus, in quo tota ecclesia frequens ad Deum colendum conueniat, & vt serui subleuentur nostri. Non vt præcisè diem à creationis opere ce-

pto septimum obseruemus, vel rigidè otiemur, sicut Iudæi sub lege. Sed vt quod est honestæ poli-
tiæ ecclesiasticæ, prudenter conseruemus. Id quod
& supra fassus est Bellar. col. 1657. L. D. & hanc i-
psius conclusionem euertit. Fuit enim sub lege
Sabbatum pars cultus externi diuini propterea
quod cæremoniale erat, & præcisè à Deo præcep-
tum, & vt pars cultus sui externi institutum ac-
positum à Deo ipso.

Sexta ratio, Christus loca, in quibus natus est,
passus, excitatus, consecrauit: cur nõ igitur & dies
iplos, quibus hæc eadem egit Christus? Respon-
deo, fallacia est A non caussa. Falsum enim est lo-
ca, in quibus hæc egit Christus, esse & sanctiora, &
partem diuini cultus: ergo ex falso præsupposito
colligitur, Dies quoque quibus hæc egit Christus,
esse sanctiores, & partem ipsius cultus. Sic neque
Altaria sunt pars diuini cultus, nec Tempia Chri-
stiana: sed tantum cætus colligendi gratiâ & or-
dinis caussa, recepta, exstructaque.

Iam verò Bellarminus nostris argumentis re-
spondere tentat. Ac primum loco ex epistola ad
Roman. cap. 14. vers. 5. *Alius quidem estimat diem
pre die: alius per æque omnes dies.* At Paulus dam-
nat eos, qui discrimen hoc dierum etiam olim à
Deo ipso constitutum inter fideles præcisè reti-
nendum putabant. Ergo multo magis, qui diffe-
rentiam dierum ab hominibus inuictam obser-
uandam præcisè à nobis esse volunt, sunt damnan-
di. Respondet Bellarminus, Primum variè. Diuer-
sas enim, & quæ sunt ipsæ sibi repugnantes, inter-
pretationes affert, quæ nihil eum iuuant. Tandem
peiores

peiores eligit. Ait enim Paulum illic agere de Ieiunio Christianorum: non de discrimine Iudaicorum dierum, nec de præcepto legis ceremonialis, quoniam Paulus ipse dies Paschæ & Pentecostes obseruauit sub Euangelio, ac proinde eos distinxit, Actor. 20. vers. 16. Respondeo, Hoc scribere est ne limis quidem oculis vnquam Pauli locum aspexisse: nedum Pauli mentem tenere. Loquitur enim de discrimine dierum, & ciborum ex legis ceremonialis instituto. Damnat autem eos fideles Paulus, qui præcisè delectum eum esse seruandum inter Christianos putant. Quod autem Paulus ipse & Pascha & Pentecostem obseruauit, id fecit, quòd illud, vt rem indifferentem, non vt partem Dei cultus post Christum passum haberet, & ad tempus duntaxat hoc discrimen retineret, Galat. 4. Roman. 14. 1. Corinth. 9. vt infirmis fratribus sese attemperaret, & accommodaret, Actor. 21. vers. 24. Hoc enim facere, fuit charitatis: illud autem docere, fuit superstitionis. Alioqui Petrum grauitè Paulus reprehendit ciborum & dierum præcisè suo exemplo discrimen reuocantem Galat. 2. v. 14. & Apostolorum ceremonias istas legales fidelium ceruicibus imponi vetantium decretum Ecclesiis prædicauit, Actor. 15. v. 10. 16. v. 4.

Porro vera est Caluini sententia, perinde ab Apostolis Festorum dierum, atque ciborum discrimen inter Christianos dånari, ac tolli. Nã & hinc fatetur iste col. 1962. L. A. vtrūq; ab Ecclesia, i. hominibus fuisse introductum, mutato tantum Iudaicæ ceremoniæ nomine, & significato retentum. Quæ responsio planè Bellar. iugulat, & cõfodit. Sed sic homo

mendax seipsum euertit. Quin etiam festa Pontificia successisse Iudaicis scribit.

Secunda ratio nostra est ex Galat. 4. vers. 10. *Dies & menses obseruatis*, ait Paulus. Id quod sine circuitione damnat & reprobatur. Respondet Bellarminus, suo more, dubitanter, & variè ex variis contrariisque interpretationibus. Tandem in eo consistit, ut nobiscum assentiatur Paulum illic contra Iudaizantes agere, & eos arguere. Respondeo, Ergo & Bellarminum, & Pontificios arguit. Nam Iudaizant. Fatetur enim Bellarminus & sese, & suos obseruare certos dies festos ab Ecclesia, id est, hominibus indictos col. 1663. L. B. non à Deo constitutos: & idem facere, quod ij, quos Paulus reprehendit. In summa, col. 1662. L. D. in fi. concedit festa Pontificia successisse Iudaicis, sicut lux umbræ succedit. Ergo festa Pontificia suis Sanctis sacra sunt Christus ipse (Id quod est vel sentire impiissimum.) Nam veritas & Lux festorum veterum, & Iudaicorum fuit ipsemet Christus, teste Paulo Coloss. 2. vers. 17. Ex quibus apparet & impietas istius Theologi & amentia. Impietas, qui Festa Papistarum Christum esse velit. Amentia, qui sibi tam manifestè contradicat, & cōtra seipsum scribat. Quare vana est Bellar. responsio.

Tertia nostra ratio est ex Coloss. 2. vers. 16. *Ne quis vos damnet ex potu, cibo. aut respectu diei festi.*

Quarta ratio est, Quòd habemus spiritualiter in Christo ea omnia, quæ cæremonix illæ legales significabant, Coloss. 2. vers. 11. 12. 17. ergo istis cæremoniis, iam non est opus nobis Christianis.

Quinta ratio nostra Ab autoritate Patrū, Ambrosij

broſij in cap. 13. Lucae. Hieronymi in cap. 4. Galat. Augustini epist. xi. Gregorij magni lib. ii. epistola tertia, qui omnes istam dierum, & festorū distinctionem & obseruationem, tanquam Iudaismi reuocationem, arguunt, ac damnant.

Ad has tres rationes nihil respondet Bellarminus, quia non potest, solū conatur nobis os oblinere, & tenebras offundere ex ista desultoria & puerili distinctione se & suos nempe non Iudaizare, licet in cultu Dei eadem agant, quae olim Veteres Iudaei, quoniam alia est suorum festorum significatio, alia Iudeorū: sua enim Christum exhibitum representare, Iudaea exhibendū. Respondeo, si essent Christi exhibitī, aut gratiarum eius significatio Pontificia festa, essent Sacramenta ecclesiae. At nihil sacramentum ecclesiae esse potest, nisi à Deo ipso institutum. Festos autem dies istos non Deus, teste Bellarmino col. 1663. L. B. sed ecclesia, id est, homines instituit. Ergo nihil valet istud subterfugium Bellarmini, neque haec latebra illius Iudaismi manifestum operire, vel tegere, potest, quin pateat.

Tertia thesis Bellarmini sequitur, est autē haec, ecclesia recte obligat in conscientia Christianos, vt certos festos dies, velut cultus diuini partem, obseruent. Respondeo, Haec thesis prorsus inepta est. I. Quod ius Dei, quod est conscientias hominum obligare I. Corinth. 7. v. 35. transfert ad ecclesiam, id est, homines. II. Quod libertatem nobis Christianis à Christo partam vel tollit prorsus, vel minuit. Contra Paulus suadet I. Corinth. 7. v. 23. III. Nos reuocat ad Veterem, &

abolitum Iudaismum, ac proinde Christum nobis tollit Galat. 5. v. 2. & inutilem reddit.

Hunc autem suum errorem, quia videt Bellarminus manifeste pugnare cum Dei verbo, præmunit & suam hanc sepit tertiam thesin tribus sepibus, & ijs etiam implicatis, ne quâ parte hæstæ, & tela nostra, eam attingere possint. Fallitur. Attingent, confodient, & euertent. Prima præmunitio in eo falsa est, quod ait iste nos ab opere seruili, vt vocat, id est, manuatio vel Manuali, his diebus cessare oportere: falsum est. Nâ extra horas precum & concionû, vitandi otij gratia, manibus laborare licet. Melius enim est, ait Augustinus, in die festo manibus laborare, & arare, quàm choreas ducere, & ebrietati se dedere: & ista ab opere seruili, id est, manuatio rigida cessatio est Iudaica, & veteris legis cæremonia abolitæ pars. Denique respondet Imperator, etiâ die Paschæ fas esse latrones capere ac suspêdere *L. omnes & L. prouinciarum. Titulo de Ferijs in Cod. Iustiniani: & cap. Licet extra de Ferijs alia operari die Dominico licet.*

Secunda & tertia præmunitio istius in eo sita est, vt explicet, Quæ sunt opera seruilia. Illa varia sunt. Primum peccata nostra Il. 56. Deinde quæ serui nostri faciunt, vt aliquid nobis lucrentur Exod. 20. vers. 8. & 10. Tertio, omnia manualia. Quod autê iste inter opera hominis seruilia recenset opera religiosa, quæ propriè ad Dei verum cultum pertinent, est plane ignarus Theologus. Nec enim illa sunt seruilia opera vt ex Matt. 12. v. 5. Il. 56. Exod. 20. v. 10. apparet, & ex hoc ipso, qui col.

col. 1664. L. B. 9. Corporalia seipsum refutat. Putat igitur adhuc obseruandã à nobis Christianis esse fenerã illã ab opere seruili omni cessatione. Itaque varias distinctiones affert. Fallitur. Liberũ est die Dominico post preces publicas, ac conciones otij (quod omnia vitia alit) vitandi gratiã, non auaritię causã, manibus operari, fodere, texere, scribere, trãscribere (quod tamẽ iste negat) arare, metere &c. quia Iudęi nequaquam sumus, & hæc agere satius est, quã in popinis helluari, publicẽ choreas ducere, offendicula præbere, sicut ait Augustinus. lib. *De Decem chordis* cap. 3. & in Ps. 92. Glossa in can. 1. & 2. xv. quæst. iij.

Probationes tamen sui erroris Bellarminus comminiscitur. Primam hanc, & ecclesię præcepta quæuis obligant in conscientia: Ergo & præcepta illius de Diebus festis obseruandis. Respondeo falsum est antecedens, ergo & consequens. Est igitur hæc fallacia A petitione Principij.

Secunda ratio, Ius diuinum iubet obseruari festa. Respondeo, Ius diuinũ ceremoniale id præcipit, sed quod profus antiquatũ est, & à Christo sublatum & abrogatum sub Euangelio.

Tertio, Mardocheus & Esther instituerunt diem festũ Sortium, quẽ coluerunt Iudæi Estheræ cap. 9. v. 21. Iudas Maccabæus in cœnia festum cõstituit. 1. Maccab. 4. v. 59. ergo & nos possumus ea instituere. Respondeo, Quũ adhuc in ecclesia vigeret legales ceremoniæ, (quarum vna fuit festorum dierũ celebratio) festos dies instituit tota ecclesia, non vt partem cultus Dei (sicut ij dies festi erant, quos Deus ipse condixerat) sed vt ac-

ceptorum a Deo singularium beneficiorum essent *παρρηγορεύει*, sicque duntaxat colerentur. Et in eum finem Eucænna Christus obseruauit Iohann. 12. v. 22. Sic nos ad solam ingentis alicuius beneficij diuini recordationem diem aliquem seligere possumus, in quo ad gratias Deo agendas conueniamus. Verùm hic Dies non erit pars diuini cultus, quemadmodum iste vult, nec conscientias obligabit.

Quarta probatio Bellarm. ducta ab autoritate quorundã Conciliorum, nihil valet, & eum iuuat. Nam Concilium Agathense. cap. 47. Nihil de festis, qui Martyribus dicati sunt, prorsus agit. Laodicense cap. 29. Bellarminũ damnat qui adhuc Iudaizandum nobis Christianis esse docet, ac contendit. Aurelianense III. Marisconense II. & Reliqua, quæ citat, agunt duntaxat de die dominico, qui Christo dicatus est absque superstitione, celebrando religiosè, non contempnim: de Diebus autem, qui sanctis defunctis festi sunt, ne quid quidem. Itaque frustra citantur.

Magdeburgensium ratio verè Sententiariorum & Bellarminum confutat. Nam Dies festi primùm in ecclesia fuerunt res indifferens: ergo conscientias ea res non obligabat. Respondet iste, Fuit institutio dierum festorum res indifferens, donec lex necessitatis in ea re poneretur ab ecclesia. Respondeo isti, ecclesia rem, quæ suã naturã est indifferens, suis decretis efficere non potest sic religiosam, vt adstringat conscientias Actor. 16. v. 4. 1. Coriath. 7. v. 35.

Heshusij argumentum optimum est, si festi dies

dies obligent, nostrum iam iugum esse durius quam olim fuerit Iudæorum. Festa enim Pontificia sunt innumerabilia numero, Nam lib. 7. enchir. cap. 1. Durandus ait singulis diebus anni concurrere plus quam quinque millia festorum. Augustinus epistola 119. conqueritur de isto caeremoniarum onere ceruicibus piorum imposito sub Evangelio Idem Soerit. lib. 5. Historiæ cap. 22. Respondet nugas Bellarminus, festa nempe Iudæorum fuisse graua, quod & eorum significationes ignorarent Iudæi: & seuerius in ijs cessare cogentur, quam Christiani in suis festis. Respondeo Bellarmino, falsum est pios Iudæos ignorasse scopum suorum Dierum festorum. Omnes enim in manibus habebant & librum Deut. 16. & Psalmos Dauidis, Pl. 81. vbi finis & significatio eorum copiose tradita est. Falsum quoque est non tam rigidam cessationem à Pontificiis in suis festis exigi, quam à Iudæis. Contrarium enim apparet ex cap. primo & ult. extra de *Feriis*, vbi seuerissima cessatio ab omni opere manuali indicitur. Ergo negat Bellar. verum, vt, si potest, obrineat falsum, istud est supponat, quod est impostorum.

Quarta Bellar. thesis est non modò ferialis & festiua: sed & impia, & nefaria: est autem hæc, *In Diebus festis non præcipi Pius ne peccent: neque eos ad id astriagi*. Respondeo. Hæc thesis est impia. Nam ex Dei præcepto quotidie tenemur non peccare: & si peccemus, puniemur Ezech. 18. Deinde refutatur ex Il. 56. v. 4. Deus enim nostra opera, sed imprimis peccata vetat à nobis fieri

præsertim die Sabbathi aut die festo. Nefaria quoque est eadem hæc thesis. Nam sceleratis, Atheis, Epicureis, die festo fenestrâ ad nequitiam aperit, dum intelligunt sibi non esse vetitum, ac prohibitum diebus festis peccare. Itaque refatur hæc sententia ab ipsis Scholasticis, A Nicolao Lyrano in Exod. c. 20. ab Abulensi, ab Soto, licet hoc teneat Thomas in 2. 2. qu. 122. Artic. 4.

Bellarminus tamen suæ sacrilegæ sententiæ rationes fuites, imo omnino nullas comminiscitur. Prima est, Præceptorum verba non tropicè, sed propriè intelligenda, Peccatum autem per metaphoram opus seruale dicitur. Ergo lex vetans opus seruale in festis, non est de peccato nõ admittendo intelligenda. Respondeo, Quis Atheus fœdiora, & magis spurca scriberet? Ergo execrandus est Monachus iste verè Sus, & Suita, est vero hæc ratio fallacia A petitione Principij. Falsissimum enim est, quod iste sumit, legis diuinæ. Moralium præceptorum verba esse solum propriè interpretanda. Imo & tropicè quoque. Primum quoniam per Synecdochen omnia concepta sunt. Nam ex parte totum in singulis intelligitur, velut *Honora Patrem & Matrem*, id est, omnes quoque cognatos, affines, seniores: sed & Magistratus. Deinde ex rebus & actionibus corporalibus volūtas quoq; sola est in his præceptis intelligēda, & cōprehensa, velut, *Non mœchaberis*, id est, non cōcupisces alienā vxorē, interpret Christo Math. 5. v. 27. 28. Tertio ex contrariio etiā contrariū est intelligendum, estq; Noema, velut *Nō furaberis*, id est, Proximo tuo eris etiā benefici-

cus.

cus. Atq; hi omnes modi loquendi sunt tropici, non proprij. Præterea peccatū verissimè dicitur, opus seruire, Rom. 6. ver. 16. Iohan. 8. v. 34. 2. Petr. 2. v. 19. atque adeo maximè seruire, quandoquidem seruit peccato, & qui huic seruit, miserimus seruus est, suntque eius opera seruilia; & quidem maximè seruilia. Ipse Bellar. col. 1666. in fin.

Reliquæ Bellarmini rationes sunt. II. Quòd ecclesia sanctos Actus internos in diebus sanctis non præcipit. III. Quòd pij non putent se quicquā grauius in die festo perpetrasse, si peccent, IV. Quòd actus interni à lege Dei Morali nõ præcipiuntur. V. Quòd in præcepto de Sabbato nullus internus religionis actus mandetur. VI. Quòd præceptum de Sabbato nihil agit de seria animi pœnitentia, nec eam commendat. Omnes istæ rationes ostendunt huius doctrinæ impietatem, quæ, & quidem diebus festis, Deum coli absque interno affectu, absq; seria pœnitentia, absque fuga peccati tradat. Nam si absque his Deus coli nõ potest verè (& certè non potest) festi autem dies maximè ad Deum colendum sunt instituti: maxime quoq; his diebus & fuga peccati, & seria pœnitentia, & internus Iohan. 4. v. 4. animi affectus pius, & religionis internus actus præcipitur, iubetur, mandatur: ac proinde omnes istæ Bellarmini rationes refelluntur, vt falsæ, & impiæ. Sed & expresso Dei verbo scripto quoque refutantur Deuter. 23. ver. 1. 2. II. 36. v. 4. 66. v. 20. 21. Matth. 5. v. 21. 23, & deinceps. Omnes enim isti loci docent Deum in Sabbatho & die festo maxime velle coli pure, sanctè, internè, ipsiusque cultū eiusmodi

diebus in actibus interius religionis, ac potius, quàm in externis positum esse *h. i. v. 11. & 16. Hier. 7. v. 22. Amos 5. v. 22.* Sed quia tota hæc quarta thesis ipsos Scholasticos arrodit, mordet, ac ferit, non nos, longius illius examen & refutationem omittimus. Ipsi inter se digladiantur *Afotus, Abulensis, Lyranus* suum dogma tueatur, & si qui sunt inter sententiariorum eorum studiosi. Nec enim erunt tam ignavi, ut tot vni Monacho cedant.

Ad Cap. xi.

Quod de Diei Dominicæ antiquitate scribit hoc capite *Bellarminus*, hoc totum à nostris didicit, & accepit, præsertim autè à *D. Theodoro Beza*, ut ex magno eius Testamento, seu maioribus annotationibus apparet in *Math. 28. ver. 1. 1. Corinth. 16. v. 2. Act. 20. ver. 7. Apocal. 1. v. 9.* Quòd autem iste *Calvinum* arrodit, malignè id facit. Nam *Calvinus* ipse *Vnam Sabbathorum Act. 20. v. 7.* interpretatur *postridie Sabbathi*, id est, Die Dominica. Hæc enim dies sequitur proxima Sabbathum. Sed iste calumniari *Calvinum* maluit quàm filere, & *Calvini* sententiam non ex ipsius commentario, quod extat, sed ex *Marlorati* cathena transcripsit, atque etiam malitiosè.

Secundo loco rationem institutionis huius diei Dominicæ commemorare *Bellarmin.* vult quidem, verum non potest. Est autem vera duplex, vna ut Christiani intelligerent se tum à Sabbatho Iudaico, tum à cæteris caeremoniis legalibus esse liberatos. Altera, ut Nouam à se vitam (quam à Christo, non à primo Adamo accipimus) exigissent Christiani. Hæc autem noua vita pendet

det à Christi resurrectione. Ergo eadē dies probata est ad commemorandum hoc Christi beneficium, qua Christus ipse eam Mundo contulerat. Est autem prima Septimanæ dies. Nam ea Christus resurrexit. Quare dies illa potissimum probata fuit in ecclesiis.

Falsa autem sunt ea, quæ hic Bellarminus scribit. Diem Dominicam successisse Sabbatho. nã effemus adhuc Iudæi, & sub cæremoniis mutato tantum nomine. II. Sabbathum comparatè dici antiquissimum. Imo absolutè. Nam ab ipso Mundi initio fuit à Deo institutum. III. In Sabbatho coli Mundum hūc seu Dei opificium. Imo colitur Deus ipse artifex Mundi, & qua Deus est. IIII. Diem Dominicam esse nobis symbolum rerum futurarum, si non eodem modo, quo Sabbathum (nam hoc Iudæis rem omnino futuram repræsentabat: Dies autem Dominica Christianis rem ex parte iam exhibitam) tamen easdem gratias, & Dei dona, velut salutem & vitam æternam, Christum, Creationem Mundi, natalem Christi, Pentecosten (& quid non) repræsentare: id quod eū die Resurrectionis, & renouati mundi pugnatur. V. Christum natum esse die xxv. Decembris mēsis. Imo mense Septembri Hebræo natus est, qui *Ezraim* appellatur, sicut docet, & quidem eruditè, Matthæus Beroaldus in Chronico suo.

Cæterum qui ritus Die Dominico olim fuerint obseruati, docet Paulus I. Corinth. 16. v. 1. & Iustinus Martyr Apologia secunda, Tertullianus in Apolog. cap. 38. & 39. Ignatius epistola tertia, nempe, Ecclesia tunc tota conueniebat,

preces Deo fundebat, sacras conciones audiebat, sacramentis communicabat, eleemosynas ad pauperum alimoniam conferebat. nihil ferè præter hæc agebat. Orare autem, aut non orare de geniculis, ab omni opere seruili cessare, die Dominico non ieiunare postea fuit ab hominibus sine Dei verbo vlllo temerè institutum.

Ad Cap. XII.

Quod de voce *Pessah* scribit iste, significare transitionem & transcensionem Angeli, vno vanius est: sed vt solus sapere videretur, omnium sententiæ receptissimæ, & vocis etymo contradixit homo arrogantissimus. Ergo festum *Pessah* proprie transitum significat *Exod.* 12. vers. 12. & primariè. Per extensionem & secundariè & Agnum declarat, qui in istius Dei beneficij commemorationem immolabatur: & festum ipsum *Exod.* 12. *I. Corinth.* 5. vers. 7. *Iohan.* 19. vers. 14. Quod autem inter Christianos Pascha quoque festum esse tradit, & eadem significare quæ Iudæis, mere blasphemum est, & ipsissimum ebionitarum hæreticorum dogma. Itaque quos antea refutauit, nunc probat, & seipsum evertit, & errorem errore fulcit. Nec verò errauit Aërius in eo (quiequid scribat *Hæresi* 75. Epiphanius sui seculi errore fasciatus) quod nullum esse iam inter Christianos Paschæ festum contendit. Ergo malè propterea fuit, velut hæreticus, damnatus, sicut in aliis quoque doctrinæ capitibus, quemadmodum apud Augustinum *Hæresi* 53. docuimus.

Quod autem ad diem celebrandi inter Christianos istius Paschalis Festi, magna de eo fuit inter

ter Episcopos Asianos, & Europeos controuersa. Asiani præcise XIII. mensis Martij die celebrandum dixerunt, quo die Iudæi celebrarunt. Europæi contra. Volunt enim agitari Festum hoc debere Die Dominica proxima plenilunio Lunæ Martij mensis, sed post Æquinoctium Vernum. Hinc Decimaquarrani. Fuit autem hoc certamē iustum Dei in suam ecclesiam iudicium, quòd dū Pascha, quocunq; die retinet, illa iudaizat. Quod autem Diem Resurrectionis Christi vocant, nūc Pascha, prorsus ineptè, falso, & abusiue sic appellant, & contra ipsam rerum naturam. Nam Dies resurrectionis vitam Christi declarat. At dies Paschatis, mortē eiusdem Christi. Vide de hoc Paschatis festo Durandum in Enchiridio lib. vi. cap. lxxxvii. Vnde Bellarminus hæc sua sumpsit, & transcripsit omnia, & ex illis iam malis sua peiora, & ex ineptis ineptiora fecit. Quod si Pascha retinendum esset, melius satiusque esset eū die præcise obseruare, quo passus est pro nobis mortem Christus, quicumque is dies esset. Sed Pascha obseruare, est iudaizare.

Est autē, fuitq; quæstio illa de nihilo, quando Paschatis Festū inter Christianos celebrari debuerit. Itaque frustra ista Cōciliorū decreta, de quibus Eusebius lib. 5. Histor. cap. 23. & 25. & Nicenū Concilium, & canon Apostolorum VIII. & alia pleraque Conciliorū capita de eo scripta sunt. Est enim prorsus inter veros Christianos tollendum. Sed quum viderent & animaduertent Patres illi iam errore decepti, Retinendum esse inter Christianos Pascha, & graua nasci pro-

ptercà certamina ecclesiastica, ad ea tollenda istos canones scripserunt: quum festum istud semel deleuisse, obliterasse, sustulisse, extinxisse fatius fuisset, ac melius: imo oportuisset. Itaque quicquid hoc toto capite tradit iste, res est inutilis, & vana, & inepta: sed in lente vnguentū quærit homo ambitiosissimus Bellarminus, & ex Musca facit Elephantē, vt magnus Palæphatus esse videretur. Fuit igitur magna crux animorū inter Christianos ista de die Paschatis festi celebrandi quæstio, sicut ex Ambrosij epist. 83. Innocentij primi epistola xi. Leonis primi epistol. 63. 64. 65. apparet, frustra tamen & inanis, & à Deo addita, vt Christiani verè Christiani esse discerēt: Iudaizare desinerent: sed mens illis læua fuit: nec propterea profecerunt. Tota igitur hæc Bellarmini argumentatio est fallacia A non caussa. Nec enim ecclesiæ. id est, hominum institutū, est iustum rerum, quæ ad Dei cultum pertinent, fundamentum, & decretum. Est ignoratio Elenchi. Nam confundit tempora Veteris Legis, & euangelij. Denique in multas se angustias isti congesterunt, vt ex sui Calendarij correctione apparet, dum Pascha suam retinere voluerunt.

Ad Cap. XIII.

QUOD scribit Bellarminus ex Act. 20. v. 16. Paulum obseruasse sub euangelio Festum Pentecostes, ac proinde Festum hoc quoque à Christianis & retentum, & retinendum fuisse, in eo profus hallucinatur Bellarminus. Festum enim illud Pentecostes fuit festum Iudæorū, non
Chri-

Christianorum. Apparet ex circumstantia temporis eodem capite à Luca annotati v.6. Loquitur enim Lucas de Festis Iudaicis, & Festo, quod dies Azymorum secutum est. Apparet ex ipso Paulo Act. 24. v. 11. Ergo falsa est annotatio Epiphaniij Hæresi 75. Id autem fecit Paulus ut in istis caeremoniis à Deo institutis (quæ iam res indifferentes post Christi mortem effectæ fuerant) sese Iudæis accommodaret adhuc infirmis 1. Corint. 9. Fuit enim Synagoga cum honore, inquit Augustinus, sepelienda. Denique Paulus Galat. 4. vers. 10. Coloss. 2. v. 17. aperte damnat inter Christianos istam legalium caeremoniarum, quæ est de diebus, & festis, obseruationem. Itaque nullo fundamento instituit hoc Festum ecclesia, aut retinet. Quin imo nihil est ineptius, quam quæ isti radunt in isto Pentecostes Festo religiosè à suis retinenda, quæ extant implicata & intricata apud Durandum in Enchiridio lib. vi. cap. 107, & lib. 7. cap. 1. N. 24.

Iam verò (quod est in Psal. 42.) Abyssus Abyssus attrahit: ex hac superstitiosa Pentecostes obseruatione, grauis nata est inter istos quæstio, de ratione numerandi quinquaginta dies illos, qui debent inter festum Paschæ, & suæ Pentecostes intercedere, quæ tamen nulla fuit inter Veteres Iudæos, sic Domino vlciscente repetitione Iudaismi in ecclesia Christiana, August. epist. 119. Quamobrem Bellarminus omnium suorum, imo Patrum sententiam arguit, more suo, Augustini epist. 119. & quæst. 79. in Exod. Abulensis in c. 19. Exod. Lyrani in idem caput: Rabbi Solomo-

nis: etiam ipsius Caietani sententiam, quam mire probat, tamen neque sine absque vulnere, neque integram dimittit. Quin imo & Numer. 33. vers. 3. & c. 19. v. 1. Exod. contradicit ipse, ut suam sententiam (quæ sola coniectura nititur, eaque leuissima) præferat omnium Patrum, & superiorum scriptorum iudicio. Diuinat igitur Anno Passionis Christi Pentecosten Iudæorum fuisse die Dominica nostra, quum coinciderent in eandem diem, ipsomet teste, Festum Paschæ, & quinquaginta post diebus, festum Pentecostes. At anno passionis Christi Festum Paschæ fuit nostro die teste Bellarmino col. 1675. L. C. Veneris, non autem dominico die. Itaque seipsum evertit: ex eo enim sequitur fuisse Iudæorum Pentecosten eodem anno, ex Bellarmini regula, die quoque Veneris, non die Dominica. Melius igitur Augustinus lib. Quæstion. in Exod. c. 70. diem istum quinquagesimum à die Paschatis numerat sic, Ex mense septimo sunt sumendi dies 17. ex mense sequenti dies 30: ex secundo mense dies tres. Hi collecti efficiunt dies 50. quicquid contradicendi studio aduersus hanc sententiam obiiciat Bellarminus col. 1676. Sed calumniatur, ac nugatur Augustinum in vno die decipi. Verum textus Numer. 3. vers. 3. Augustinum purgat, & absoluit. Populus enim Israel egressus est ex Ægypto die sequenti post Pascha: quo die dies quinquaginta Pentecostes iam incipiebant numerari, &, si sic numerentur, constat numerus iste quinquagenarius dierum.

Ad

Ad Cap. XIII.

Quanta sit in istis festis ex hominum cerebro excogitatis confusio, vel ex vno hoc capite apparet, vbi docet Bellarminus ne nominis quidem & appellationis Septuagesimæ, Quinquagesimæ, & Quadragesimæ rationem constare inter eos ipsos, qui illas nugas religiosè tamen obseruant: nedum vt rei definitio, & finis huius institutionis & causa, & autor sit cuiquam istorum, qui hæc tuetur, notus. Ex eo verò apparet totam hanc Pontificiorum doctrinam esse vanam ac inanem. Durandus lib. 6. Enchirid. cap. 24. conatus est istarum ineptiarum causas rimari & perscrutari, sed neque ipse, sicut neque hoc loco iste quicquam aliud agit, quàm ineptit, ac nos ludit.

Ad Cap. xv.

Qui dies Christo sunt in ecclesia consecrati, si memoriæ duntaxat salutarium nobis gratiarum Christi causa, recepti sunt, ac retinentur: vt certior nobis de his rebus, & actionibus fides fiat, & si sine vlla diei superstitione obseruentur, quemadmodum (quum primum sunt non à Pontificibus, sed ab ecclesia instituti) celebrati fuerunt: age in honorem Christi retineantur, donec videbitur piæ ecclesiæ, quia sunt res prorsus indifferentes, & mediæ. Quanquã & hos quoque dies inter nos (qui de fide historiæ Euangelicæ iã dubitare non possumus: nec Dei gratia versemur inter Ethnicos) hos inquã dies tollendos existimo, iudicòque. Nã quotidie nobis in Euangelijs

prædicatione, nascitur, circunciditur, moritur, & surgit Christus Hebr. 13. v. 8.

Ad Cap. XVI.

Breuius omnia hæc perstringemus, quoniam iam antea fuscè de toto hoc argumento hoc ipso libro differuimus vt nihil iam, nisi actum, agere possimus. Nam euerso totius istius disputationis de venerandis religiosè sanctis defunctis. (Id quod in tota hac controuersia fecimus) fundamento, corrunt per se quæ illi superædificantur, qualis est hic eorum cultus in festo die eis cõsecrando.

Rationes tamen nonnullas tamen comminiscitur iste, per quas, si potest, hoc persuadeat.

Prima, ait, est autoritas totius ecclesiæ, quæ quouis seculo festa Sanctorum obseruât, & quidem iam in tempore Apostolorum, Clemens li. 8. Constituit. c. 39. Respondeo non quid ante nos alij fecerint, inquit Cyprianus, spectandũ est (nec enim dixit Christus Iohan. 14. *Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas*) sed quid veritas ipsa: id est, dei verbũ scriptum præcipiat. Nam nec in vetere, nec in Nouo Testamento extat vllum festi diei cuiuspiam Sancto consecrati exemplum, non festum vllum fuit Abrahami patris fidelium: non Mosis excellentissimi Dei serui, non Davidis, qui fuit Rex secundum cor Dei: non Stephani, quem defleuit ecclesia; nõ Iacob, quem Herodes occidit: non Pauli, non Petri, non denique vllius sancti. Ergo nec Ignatius, nec Irenæus, nec Iulianus Martyr.

Martyr istius rei meminerunt. Tertullianus autē, quem iste citat, non ait Natalicia mortuorum, sed Viuorum à singulis sua celebrari solita, vt acceptæ lucis & vitæ Deo gratias agerent. Id quod Annotatiuum Pascha dictum fuisse scribit in Enchiridio Durandus lib. 7. cap. 1. N. 38. atque ex Gētilium moribus fatetur esse profectum. Denique in negotio religionis veræ, & veri Dei cultus, nō exemplis, sed legibus in verbo Dei scriptis est nobis viuendum. Libri Clementis, qui institutiones Apostolicæ inscribuntur, plane sunt fabulosi, ac suppositi. Extant verò canones Apostolorum, in quibus de festo die Sanctis dicato, ne apex quidem extat. Ergo fabula est, iam Apostolorum tēpore dies festos à Christianis obseruatos fuisse. Cōciliū Smyrnense Deum, non Sanctos, coli iubet, vt est apud Eusebium lib. 4. Histor. cap. 15. At passionis Martyrum memoriam retineri, vt cæteri ad constantiam fidei his exemplis excitentur & inflammentur non vt vllus religiosus cultus, (quod tamen iste vult) defunctis Sanctis instituat. Origenes vbique est & supersticiosus, & hæreticus. Basilii, Chrysostronus, & alij, quos allegat, etsi sunt in multis probandi, non tamen in omnibus: & hoc errore iam recepto fascinati illa, quæ Bellarminus hic recitat, scripserunt. In summa, tota hæc Bellarmini ratio est fallacia à non causa. Nec enim quia quidpiam probauit ecclesia, illud piè fir, aut pars Dei cultus, aut Deo gratum est: sed quicquid consentienter Dei verbo scripto definit ecclesia, illud sequendum est, Iohan. 5. vers. 39. ait Christus ipse, *Scrutamini*

Scripturas. Obseruet autem hîc pius lector nullû ex S. Scriptura à Bellarmino locum citari, ac ne detortum quidem, quoniam hæc tam crassa supersticio nullum omnino vel coloratum habet in Scriptura fundamentum, quantumuis exiguum.

Ad concilium Laodicenum cap. 51. Carthaginense: III. cap. 47. Toletanum III. cap. 23. idem, quod supra, respondeo, fuisse Festa illa de nomine quidem Sanctorum appellata: cultum autem Deo, non Sanctis fuisse in illis ipsis diebus exhibitum agique de sola passionis Martyrum memoria inter Christianos colenda: non de vlllo cultu religioso Martyribus, id est, hominibus & creaturis instituendo, aut condendo. Illa enim secula adhuc damnabant idololatriam, càmque oderant. Concilium Lugdunense, cuius extat decretum in can. *Pronuntiandum* consecrat. Dist. 3. iam ecclesiæ doctrina corruptissima, & idololatria publicè recepta conuenit, circa annum Domini 1246. vt ait Crantzius lib. 9. & Polydorus lib. 6. cap. 8: de Inuentione rerum: itaque nullius est fidei, & momenti, vt pote iam prorsus lapsa vera ecclesiæ doctrina.

Ultima ratio Bellarmini ducta est à simili, beneficia Dei certo die commemorare licet: ergo & diem passionis Martyrum concelebrare. Hæc enim passio magnum Dei beneficium erga suam ecclesiam (nempe perseuerantiæ exemplû) habet, & continet. Ergo & hi dies quoque, qui illis Sanctorum passionibus sunt dicati, piè celebrantur. Respondeo, si solius exempli piis a-

liis

liis proponendi gratiâ dies isti sancirentur Martyrum memoriâ, atque omnis ab iis abesset superstitio, fortassis ad tempus erat hæc eorum passionis commemoratio toleranda. Verùm tota res in meram superstitionem abiit, & idololatriam hominum, ac creaturarum istarum, quibus religiosus, diuinusque cultus propterea à Pontificiis tribuitur. Ergo tollenda est, quemadmodum pius Rex Ezechias serpentem æneum coniecit, quòd populus eum religiosè coleret 2. Reg. 18. vers. 4. ne huiusmodi idololatria alatur, ac foueatur in media Dei ecclesia. Quum igitur à vero festorum istorum institutionis sine discesserit posterior ætas, eamque in teterrimum vitium conuerterit, nimirum prorsus sunt isti dies festi semel omnes abrogandi. Præsertim inter Pontificios, inter quos nullæ persecutiones propter Dei nomen & Christi fidem restant. Omnes enim probant suos errores, & à sacerdote ad idiotam sunt omnes fascinati atque aberrant ut est Isa. 24. versu. 2. Itaque aliam de errore non admonet. Cur igitur necessarium est inter eos Perseuerantiæ exemplum, nisi ut fiant in suis erroribus obstinatiores?

Adde quòd istorum festorum instituendorum ratio, quam isti afferunt est blasphemata. Bellarminus ait Festa hæc Sanctis esse data, ut sint nostri intercessores apud Deum, Hoc in Christum vnicum nostrum aduocatum 1. Timot. 2. v. 5. est iniurium. Durandus in Enchiridio lib. 7. cap. 1. N. 2. Ut eis vicem rependamus. Ut enim in

cœlis illi de nobis gaudent: sic nos in terris gaudere de illis debemus. Glossa in can. *Pronuntiandum*. Consecrat. Dist. 3. ait, Festa Sanctorum esse sacramenta, quod in Deum, qui solus instituit sacramenta, blasphemum est. Ergo, ut ista superstitio impia est: sic impio fundamento nititur: estque prorsus & damnanda, & tollenda. Nam & Bellarminus ipse col. 1682. L. A. fatetur causas omnes, propter quas festi dies isti Sanctis dicantur ex Gentilium moribus & consuetudine promanasse. Id quod etiam scribit Durandus lib. 7. Enchirid. cap. 1. N. 38. Præclare verò Tertulianus negat ea in ecclesia Christiana retinenda, & in Dei cultu, quæ ex idololatria desumuntur, lib. de Idololatria.

Conatur verò Bellarminus nostrorum argumentis respondere: sed frustra conatur.

Primum est, talis Sanctorum defunctorum cultus est Idololatria. nam soli Deo debetur hic honos, ut eis Dies festi consecrentur, quemadmodum apparet ex omnibus festis veteris testamenti, & legis. Respondet Bellarminus varie. nam primum ait Dies illos Deo dicari, non Sanctorum. Deinde contrà, concedit eosdem in Sanctorum cultum immediatè terminari, & spectare, & referri. Sed enim cultum esse Dulam non latiam. Respondeo Bellarmino, Deum non irrideri Galat. 6. ver. 7. neque sophistam esse. Quare quocunque nomine vocetur, & legatur iste Sanctorum cultus, est vera latia; & quam creaturis exhibetur, vera idololatria. Vti enim

Templa, sic & Festa soli Deo, teste Augustino, sunt dicanda. Ergo est effugium non solutio Bellarmini responsio.

Secundum argumentum nostrum est, Quædã festa falso fundamento nituntur, vt festum conceptionis B. Mariæ, quasi fuerit concepta absque peccato originali. Itaque Bernardus epistola 174. damnat hoc festum. Respondet iste piè credi B. Mariam conceptam fuisse sine originali peccato. Deinde seipsum reuocans, non ex ea causa festum hoc vult coli, sed quia ex matre sterili Maria concepta fuerit, & pignus futuræ salutis generi humani tunc apparuerit. Respondeo isti, Impie creditur B. Maria absque peccato originali concepta. nihil enim Christus haberet præuilegij supra eam, sicut docet Bernardus, si sic concepta Maria mater fuisset. Deinde & Maledonatus Suita, sicut iste, Lutetiæ professus est impiè credi Virginem à die Conceptionis fuisse sine peccato. Durandus in Enchiridio lib. 7. idem docet. Tertio Glossa. in can. *Pronuntiandum* consecrat. dist. 3. in verb. *Natiuitas* idem sequitur. Secundum Bellarmini responsum falsum est Mariam ex matre sterili fuisse conceptam. Tertium, hoc pacto præferret conceptionem Iohannis Baptistæ conceptioni B. Mariæ Bellarmin. quæ tamen nullum diem festum in ecclesia Romana habet.

Præcipuam Bernardi rationem prætermittit Bellarminus, Quod hoc nempe pacto B. Maria equiparatur Christo. Huic non respondet, quia nõ potest. Est autem hoc summum sacrilegium.

Tertium nostrum argumentum est, Multa festa sunt omnino noua & recentia, priscis seculis ignota, ecclesiæ inaudita: sed demum tempore Iustiniani Imperatoris nata, id est post annum Domini quingentesimum.

Respondet Bellarminus, propter noua & recentia Dei beneficia fuisse necesse noua quoque festa institui in ecclesia. Respondeo Bellarmino. Primum propter ista recentia Dei beneficia, quæ vocat iste, non ipsi Deo illorum auctori, sed hominibus, id est, aliis dies festos dicatos esse, & gratias agi: quod est absurdissimum. Deinde falsum est festa illa noua, de quibus agimus, esse noua Dei beneficia: imo sunt vetera, & primis ecclesiæ Christianæ temporibus notissima, propter quæ tamen ecclesia vetus Christiana nullum diem festum sacrauit. Sunt autem illa festa B. Mariæ consecrata, Festum Conceptionis illius, Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis: sed posterioribus temporibus præcepta.

Ac primum quidem, vt testatur Durandus lib. 5. Enchiridij cap. 1. N. 9. & lib. 6. cap. 2. N. 7. officium quod B. Mariæ cantatur primus instituit Urbanus II. qui vixit post annum Christi MLXXVII. Ergo festum hoc recens est. Festum Conceptionis demum post multas contradictiones, sola vi & tyrannide Romani Pontificis fuit receptum, nempe Sixti IIII. circa annum Domini MCCCCLXX. vt apparet ex Extrauag. *Cum præ excelsa de Reliquiis.*

Festum Visitationis ab Urbano VI. teste ipso
met

met Bellarmino, circa annum MCCCLXXX. fuit institutum.

Festum Natiuitatis B. Mariæ olim non celebratur, inquit Durandus in ecclesia lib. 7. Enchirid. cap. 28. N. 2. sed ex nocturna quadam reuelatione fuit institutum, & ex somniis cuiusdam Monachi contra dei præceptum Is. 8. v. 19. quod somnia credi vetat.

Festum Annuntiationis potius est Christi, quàm Mariæ, inquit Durandus lib. 7. Enchiridij cap. 2. N. 2.

Festum Purificationis fuit ab Imperatore Iustiano ex magna superstitione indictum, præceptumque, sicut docet Durandus in Enchiridio lib. 7. cap. 2. N. 11. Nicephorus Callistus lib. 16. Histor. cap. 28. Paulus Diaconus lib. 16. rerum Romanar. post annum Domini DCL.

Festum Assumptionis Mariæ post Iustinianum ferè xxx. annis fuit inuentum & receptum, iubente, & imperante Mauritio Imperatore circa annum Domini DCCV. Quod enim ex Hieronymo citat Bellarminus est supposititium & falsum. nec enim is sermo est Hieronymi: imo nec Sophronij eius æqualis: sed nugatoris cuiusdam, qui postremis temporibus vixit, vt ex stylo apparet. Porro Durandus lib. 7. cap. 24. Enchiridij N. 1. affirmat incertum esse, Vtrum Assumpta sit cum corpore in cælum Maria, & dissidentes de ea re sententias profert. Ex quo apparet hoc Assumptionis Mariæ festum niti falso fundamento. Quid ergo de aliorum festorum, quæ Sanctis dicantur,

fundamento sentiendum est, & quam illud falsum & friuolum erit? Nam inter Sanctos Maria principatum obtinet, cuius festa si sunt falsa, vel incerta, cerè reliqua erunt falsissima & incertissima, de quibus minor cura fuit habita. Denique impudens iste Monachus Diaconum & Nicephorum ait esse mentitos, ad quorum tamen testimonium contra nos sæpe recurrit, & credi illud cupit. Quid Durando suo præceptori faciet, qui scribit idem, quod Diaconus?

Quartum argumentum nostrum est, Festa, quæ colunt Pontificij, ex solo Principum laicorum iudicio sunt instituta, sicut festum Purificationis S. Mariæ à Iustiniano: Assumptionis à Mauritio: ergo non sunt præcepta merè ecclesiastica, vel magno iudicio edicta: sed aulico. Respondet Bellarminus hoc esse falsum: sed Principes duntaxat probasse, quæ Pontifices Romaniam decreuerant. Respondet Bellarmino ex historiis illius temporis verissimis, & iam citatis constare illud, quod dicimus absque Romani Pontificis consensu & iudicio à solis Imperatoribus constitutos esse hos dies festos. Necdum enim erat tanta Romani Pontificis autoritas, ut ab eorum ore penderent Constantinopolitani Imperatores, sicut postea euenit imperantibus Germanis.

Quintum nostrum argumentum est, Etiam non sanctis & piis (velut Iustiniano Imperatori) viris dies festi sunt instituti, Nicephorus Callistus lib. 17. Histor. cap. 31. Respondet iste, fuisse illum diem institutum ex vnius episcopi priuato iudi-

iudicio tātū: nō ex ecclesiæ totius decreto. Resp. isti, Innumerabilia alia Pontificiorum festa eodē modo, & eadem priuata quorundam duntaxat deuotione fuisse instituta, vt ostendit c. 84. Concilij Chartaginensis III, & qualia sunt Festa Sanctæ Agnetis, Agathæ, Cathedræ Sancti Petri, Septem Dormientium, Sancti Nicolai, & plerorūque aliorum, de quibus legendus est Durandus lib. 7. Enchiridij per totum.

Ad Cap. xvii.

DE Vigiliis & Ieiuniis, quæ dies aliquibus Sanctis dicatos præcedunt. (Nec enim omnes tantam dignitatem, & solennitatem merentur: aut, si merentur, tamen acceperunt) agit Bellarminus: sed neque Dei verbum, aut vllū ex S. Scriptura Veteris, aut Noui testamenti locū profert, vnde hoc Romanæ ecclesiæ institutū probet. Itaque præter Dei verbum, imo contrā Dei verbum hoc receptum fuit: quare tollendum est, & abrogandum omnino est: non quòd ieiunia (quæ sæpe exercemus & vsurpamus) oderimus: sed quòd, quum illa in mere Hominum defunctorum honorem fiant, male fiant, sūntque superstitionis, ac idololatriæ. Quin imo hæc ipsa ieiuniorū in dierum festorum Vigiliis institutio repugnat manifestè Dierum festorum Martyribus dicatorum rationi. Sunt enim hi dies instituti in signū gaudij & lætitiæ, quam de Sanctis in cælum receptis capit ecclesia, teste Bellarm. supra c. 16. col. 1682. L. A: At ieiunium plane cum lætitiæ tempore pugnat, vt docet Christus Mat. 9. v. 15, Durādus

(vnde iste omnia sua descripsit) lib. 6. Enchi. c. 7. v. 16. Tunc enim, ait, non est ieiunandum. Omitto intricatas de istis Festorum Dierum Vigiliis & Ieiuniis quæstiones, quæ Pôtificios ipsos perturbant. Vtrum omnia Apostolorum festa ieiunium in Vigilia habeât: Cur non omnia habent: Cur Confessorum festa itidem ieiunio non ornantur: Cur solus inter Martyres Laurentius in Vigilia sua ieiunium habeat, & quid non? quas quæstiones versat, vexatque seipsum plurimum torquens Durandus lib. v. Enchiridij cap. vii. per totum.

Atque huic nostro ad primum Controuersiarum Roberti Bellarmini tomum responsionum labori finem eramus imposituri, nisi summâ huius hominis impietatem in ὑπογράφη huius Tomi deprehendissemus, quum sic ait, *Laus Deo, Virginiq; Matri Mariæ. Deo item Iesu Christo æterni Dei eterno Filio, Laus & gloria.* Primum locutio, sermôque huius orationis est planè barbarus & obscurus. Barbarus, dum Christum Deum *Filium Dei*, non autem Patris vocat. Vbi enim distinguuntur personæ, sicut hic fit, vocabula personarum diuinas, non essentiam diuinam, significan-
 tia Theologo sunt usurpanda, sicut fecit Christus Math. 28. vers. 19. Paulus 2. Corinth. 13. vers. 13. Iohannes 1. Iohan. 5. v. 7. Itaque in hac oratione Bellarminus barbarus est, qui de personis diuinis agens *Deum* pro *Patre* scribat. Sed & idè est obscurus. Nam hîc vocem *Deus* & essentialiter, vt quum *laus Deo* inquit: & personaliter, velut quum ait *Christo Filio Dei*, sumit, nulla distin-

tionis nota addita. Quod genus loquendi certe quidem est obscurissimum.

Est & impius in hac *ὕποταξις* (Nec enim eam precationem aut precatiunculam proprie quis vocauerit) Bellarminus. Primum quia Spiritum Sanctum prorsus prætermisit, quasi de numero Sanctæ Trinitatis eum expungat, qui fuit error hæreticorum pessimorum Macedonianorum. Deinde Mariam Virginem (quæ mera creatura est, & fuit) cum Deo ipso in precando coniungit, & ad eam preces quoque dirigit, quod est idololatricum, teste Augustino libro 20. cap. 21. contra Faustum. Nam prorsus est impium & Ethnicum Deo aliquam creaturam contingere. Id quod iste facit. Terribè, Mariam ipsam æterno Deo & Filio Dei Iesu Christo præfert, & præponit, quod est nefarium illud suum sacrilegium geminare. Quarto, Finit dispositione suam orationem addita *συνη* post vocem *Maria*: postea quasi noua quædam clausula & sententia incipiat addit, *Deo uem Iesu Christo &c. laus, & gloria*, quasi ista laudum, de quibus hîc agit, genera distinguat, ut aliud alio sit maius. Maius autem laudis genus Deo, id est Patri tribuit, Minus Filio Deo Iesu Christo, id quod est prorsus Arrianum. Sic enim Christum Deum Patre minorem esse vult, & indicat. Et quum Mariam in isto Maioris laudis genere cõplectatur, Christum in minori laudis genere collocet, nulli dubium esse potest, quin Mariam matrè Filio suo Christo perspicuè

præferat, atque manifeste Deum verū veræ Creaturæ subiiciat. Id quod & carcere, & flamma inter Christianos est dignissimum. Et hæc quidem studio veræ Dei gloriæ tuendæ, sanæ quæ Euangelij doctrinæ propugnandæ gratiâ, scripsi, Ego Læbertus Danæus Francus Aurelius, cepi verò scribere Casserone (quod est Gothicanæ Prouinciæ nobilissimum oppidum) sexto die Maij mensis anno Domini cIo Io xciiii. absolui autē, Deo duce, & vites suggerente, pridie Calendas Iulias, id est, die vltimo Mensis Iunij cIo Io xc v. Quare mihi quodam celeumate lætari, & exclamare ex tanta nauigatione liceat,

*Venimus in portum libro cum mense per acto,
Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua.*

Pergere enim, Christo domino meo duce, ad alios Bellarmini controuersiarum Tomos cōstitui, si vita suppetat, eosque confutare Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto sit laus, honor, & gloria in secula seculorum Amen. Benedicidem Deus huic operi & labori meo, vt & pij in eo proficiant, ac magis magisque in vera Christi doctrina confirmentur: ignari autem veritatis Euangelicæ homines his meis ad errores istos responsionibus instruantur. Amen.

INDEX RERVM MEMORABI-
LIVM QVÆ IN ALTERA PARTE
Responsionis continentur.

A



Aron factus Pōtifex	827	Agri Deo donati sub lege	896
Abdias scri- ptor	1013	Agri & fundi an dari pos- sint Ecclesiæ	896
Abnegatio nostri	997	Alanus Copus	1376
Abstinenti votum	923, 924.	Allegoria crucis	1413
Acacius vasa sacra vendidit	1475	Allegoriæ Scripturæ	1269
Acoluthi	842	Allegoriæ interpretatio- nes crucis	1424
Adamus habuerit-ne conti- nentiæ donum	961. quan- do cepit esse maritus	Altaria in templis	1441
	1069	Ambrosius de sepultura mortuorum	1261
Adamo manente quis mun- di status futurus	1121	Ambrosius de purgatorio	1185
Adamus Catanensis Episco- pus	690	Ambrosius de purgatorio	1199
Ader	1291	Ambrosij locus de inuoca- tione sanctorum corru- ptus	1326
Adoratio vnde dicta	1290	Ambrosius pauperes tem- plorum ornatui præfert	1475
Adoratio crucis	1415	Amici ex Mammona	1179
Adoratio altaris	1353	Ananias an vouerit	993
Adorationis species tres	1291	An arcanum concilium de coniugibus post votum	1046
Adorari qui recusarint	1703	Ancyrana synodus	1013
Adoratores sepulchrorum	1358	Angelus honoratus	1291
Aduersarius	1177	Angelus qui apparuit Iosue	1416
Adulterium inter miuora crimina	885	Angelus non potest inuo- cari	1319
Aerius malè damnatus hæ- reticus	1514	Angeli curam nostri ge-	
Aduocatus	1376		

INDEX.

nūit	1316	tæ	1196
Angelis an tēpla construenda	1454	Animæ au mereantur post mortem	1216.1217
Angeli non reuelant hominum arcana	1335	Animæ purgatorij à quibus iuuari possint	1242
Angeli non adorandi	1300	Animæ arte Magica euocata	1223
Angelorum inuocatio	1320	Animæ an à Diabolis uentur in purgatorio	1229
Angelorum pictura	1357	Animæ vniõ hypostatica	ibid.
Angelorum & Sanctorum inuocatio	1318	Animæ an sensus pœna puniantur	1224
Angelos colentes	1320	Animarum piarum receptaculum	1202
Angelica vita	1017	Animarum locus ante Christum	1200
Anicetus Papa	1091	Animarum quæ fœlicitas	1274
Anima humana an formæ corporis	1212	Animarum locus	1273
Anima non afficitur rebus corporeis post mortē	1228	Animarum sola duo receptacula	1222
Anima rationalis an formæ corporis	1162	Animas purgatorij non orare pro nobis	1236
Animæ piorum post mortem	1179	Anna priuatim in templo precata	1443
Animæ infœlices	1269	Anna filia Phauelis itidem	ibid.
Animæ à corporibus separata	1181	Annuntiationis Mariæ festum	1527
Animæ canonizandæ	1270	Anselmus	1260
Animæ purgatorij sint-ne certæ de sua salute	1217.1218.1219	Anthropopathicæ loquutiones	1368
Animæ ante resurrectionē	1271.1279	Antiquum non semper pius	1247
Animæ purgatorij non sunt adhuc in termino	1217	Antonius monachus	934
Animæ in purgatorio an affligantur sensu voluptatum corporearum	1211. an sensu mortis amicorum afficiantur	Apostoli omnia reliquerunt	959
Animæ corporibus libera-	ibid.		Apo-

I N D E X.

- Apostoli-ne soli manus ordi- 926
 nandis imposuerunt
 847
 Apostoli quomodo dicantur
 omnia reliquisse 932
 Apostoli coniuges 1019
 Apostoli vxores habuerunt
 872
 Apostoli coniuges 1048.
 Bell. negat 1049
 Apostolos non mendicasse
 1105
 Apostolos vult Bell. eandē
 quam Christus habere po-
 testatem 827
 Apostolorum missio ibid.
 Apostolici hæretici quan-
 do exorti 1158
 Aqua zelotypiæ & Iordanis
 1486
 Aqua non fugari Dæmones
 1487
 Aquæ consecratio 1482.
 1483
 Aquæ benedictę institutio
 1483.1484
 Arca vetus 1452. an pretio-
 sior martyrum reliquis
 1452. typus Christi 1453.
 coram Arca sancti adora-
 re soliti 1453
 Arca Dei 1446
 Arca Dei altare &c. an ado-
 randa 1293. & 1294
 Arca sanctis dicatę. pagina
 1299
 Arma iusta quę 1140
 Arma Ecclesię 806
 Armentorum monachi
- Arnobius de mortuis, pag.
 1256
 Arnobius pro nobis contra
 Bell. 1297
 Ascetę vocati monachi
 917
annus corporalis 805
 Assumptionis Marię festum
 1527
 Athanasius de coniugio mi-
 nistrum 1052
 Augustinus de nuptiis post
 votum 1056
 Augustinus de Monachis
 913
 Augustinus de purgatorio
 1199.1200
 Augustinus de purgatorio
 1185
 Augustini dictū de cultu a-
 nimarum 1273
 Augustus bigamus 884
 Aurum in templis 1475.
 1477
 Aurum ab Ezechia ex tem-
 plo ablatum 1476
 Austeritas vitę 1079. eremi-
 ticę ibid.
 Auxilium Adami vxor
 962
- B
- B**aptizari pro mortuis
 ex Bell. 1175
 Baptizati pro mortuis 1174
 Baptistarum olim vestitus
 1087

I N D E X.

Baptizatis ignem relinqui vult Bell.	1205	Bello propulsare quâlibet iniuriam an liceat	1139
Baptisma latè acceptû	1176	Bella Episcoporum	1136
Baptismus noster	1174	Bella non necessaria	1144
Baptismi promissio an votum	988.989.990	Benedictiones magicæ in templis papisticis	1481.1482.1485
Baptismi votum	1037	quæ, Salis	1482.1485
Baptismo tolli omnem culpam & pœnam	1204	Benedicti regula	946
Barnabæ Leuitæ ager	896	Bernardus quando vixerit	939
Basilius de coniugio Virgini-um post votum	1052	Bigamiæ tria genera	888
Basilica & templa an differant	1449.1455	Biel	1258
Basilicæ de nominibus martyrum dictæ	1451	Bigamus	879.880
Basilicæ, vide Templa	1449	Bigami pontifices Ethnici	884
Bellarminus Ethnicus	1395	Bonifacius 8. Papa	904
Bell. Caluinû damnat	1262	Bonum pro commodo	960
Bellarminus impostor	1433	Bonum speciei, & indiuidui	961
Bella aduersus Turcos	1141.	Bona sua vendentes	965
an sponte mouenda	1142.	Bona sua vendentes initio fideles	933
1144		Bona sua possiat-ne pastor- res retinere	897
Bellar. vitia, deprauatio Scri- pturæ locorum	906.907.	Bona opera	1120
Confusio	907.	Brennus	1472
Dissensio à se ipso	908	C	
Bellarmini ignorantia	1365	Cablonense concilium	
Bell. plagiarius	1155	de Martyribus	1450
Bellar. incendiarius	806	Cæciliani causa	901
Bella gerere liceat-ne Chri- stianis	1136.1137	Cæremoniæ in templorum dedicatione	1456
Bell. ineptiæ III. IIII. & de- inceps.		Caietanus	1366
Bellar. Hieronymum accu- sat	1341	Caluinistæ	821
Bellar. momus	1333	Caluinus cultum bene di- uisit	1301
Belli iusti conditiones	1139.	Canonizare, quid	1283
1140		Canonizare cuius sit	1286
		Canonizandi potestas non est	

I N D E X.

est Apostolica	1283	in Templorū dedicatio-	
Canonisatio	1285. vtilis 1285	ne	1456
Canticum nouum canētes	965	Cereris sacra	1413
Caput templorum	1436	Chalcedonense conciliū	
Capita duo in Romana Ec-		de Monach. cōiugiis	1047
clesia	809	Characteres magici	1431
Capitum sex millia reperta	866	Charitas perfectionis vin-	
Carcer	1177	culum	922
Cardinalis vox	854	Charitas fundamentum re-	
Cardinales Romani & Pon-		ligionis Monasticæ	921
tificij	854	Charitas Christiana	1381
Cardinales Romani	857	Charitate an fide perficia-	
Cardinalium autoritas	909	mur	921
Cardinaliū appellatio vnde		Cherubin	1367
855. officij 855. 856 digni-		Cherubin cessant apud Chri-	
tas initio	857	stianos	1379
Cardinalium eligere Pon-		Cherubin in tēplo	1379. 1384
tifices asserit Bell.	836	Cherubinorū imagines	1373
Cardinaliū esse eligere Pō-		Chilistarum error	1168
tifices rationes Bell. 838.		Chorepiscopi qui 857. di-	
& 839		gnitas 858. quando sublati	
Caroli magni liber	1398	859	
Castra dicta ecclesia	806	Christiani habuerūt priua-	
Carthaginense conciliū de		tas imagines 1380. & sine	
Martyribus	1450	cultu	ibid.
Castitas sacerdotis 862. tri-		Christianorū aduersus Tur-	
plex	Ibid.	cas infelix exitus	1142
Castrati propter Dei regnū,		Christianis liceat-ne contra	
an ex voto	1004. 1005	Turcas vltro bellum su-	
Catharina	1338	scipere	1142. 1143. 1144
Centuriatores damnati à		Christianis liceat-ne bella	
Bell.	1343	gerere	1136. 1137
Cerei prohibiti	1252	Christus non fuit mendicus	
Cercorum vsus	1353	1104	
Cerei benedictio	1484	Christus in terris seruus	5904
Ceremoniæ Pontificiorum		Christus M. S. T. M. S.	1331
Ceremoniæ pontificiorum		Christus solus mediator	
		1326. 1330. vnicus inter-	
		cessor	1302

I N D E X.

Christus est oriens	1438	Clericorum & laicorum di-	
Christus moriens occiden-		stinctio	807. incommoda
tem spectabat	1438	ex ea distinctione	808
Christus an magnificas æ-		Clerici an subiiciendi Ma-	
des diligit	1479. non vult	gistratibus, & soluenda il-	
secundum carnē coli	ib.	lis tributa	898
Christus solutus doloribus		Cœlibatus Ministrorū	860.
mortis	1180		861.864
Christus an obedit matri in		Cluniacenses monachi	1477
cœlo	1307	Cœlibatus promitti nō po-	
Christus quo mense natus		test	877
	1513	Cœlibatus Monastici incō-	
Christus secedens precatu-		moda	1042.1043
rus	1080	Cœlibatus à ministro non	
Christus vnus satisfactio no-		postulandus	1048
stra	1206	Cœlibatus contrarius vete-	
Christi pictum	1368	rum concil. decretis	875
Christi imago	1404	Cœlibatus incōmoda	1044
Christophorus	1338	Cœlibatum coniugio quo-	
Chrysostomus de nuptiis		modo Paulus præferat	1071
	1054	Cœlibatum sacris ministris	
Chrysostomus de purgato-		impositum Bellarm. quib.	
rio	1198	rationib. probet	862. 863.
Cineris benedictio	1484		865.866.867.868
Claustra monachorum	911	Cœlibatū esse in nostra po-	
Clemens de coniugio mi-		restate Bell. rationes	1039
nistrorum	1050	Cœlibis qui vritur reme-	
Clericus violans leges ciui-		diam	1034
les possit-ne puniri	900.	Cœlum ab oriente moue-	
Clerus quid	811	tur	1438
Clericus	812	in Cœlis Deus peculiari mo-	
Clerici pro solis præpositis		do	1448
Eccles. ex Bella.	812.814	Cœna Domini commemo-	
Clerici	810	ratio crucis	1432
Clericorum bona an libera		Cœnobita velut hirundines	
à pendendis tributis	902.		1101
Bellar. rationes	903	Cœtus coniugalis	869
Clericorū & laicorū distin-		Confessio fidei nostræ	1382
ctio Eccl. perniciofa	813	Conceptio Mariæ	1525.1526
		Con-	

I N D E X.

- Concilium Nicenum secundum 1369. Eliberinū 1376
 Concilium vicinum Niceno 1250. Carthaginense 1308. Nicenum II. idololatricum 1404
 Concilia damnantia imagines 1396. de purgatorio 1181. tria de templorū structione 1449. particularia 1375. quæ cœlibatum iniunxerint 865. quædam probarūt reliquias 1349. quædam de festis 1522. quædam de consecratione templorū 1461. idololatrica 1386. contraria reliquiis 1349. à quibus celebrata 848
 Conciliorum quorundam auctoritas de festis 1508
 Consiliabulum Tridentinum 1369
 Conciliorū auctoritas de voto continentie 1009. 1010
 Conclusio Bel. infalsa 1386
 Concubinarij 780. 885
 Concupiscentia peccatum mortale 1187
 Concupiscentiam cum lege pugnare 973
 Conditions propriæ intercessori 1329
 Confusus Bellar. 907. 908
 Coniugati possint-ne continentie votum suscipere 1064. 1067
 Coniugium. vide Matrimonium. & Cœlibatus.
 Coniugij institutio à deo facta 874. vsus 861. 867
 Coniugium cuius liberum 870. 871
 Coniugium incontinentibus à Paulo præcipi 1030. 1031. 1032. incontinentibus. 1027. 1028. 1029. & vide Matrimonium.
 Coniugium interdictū Clericis 868. 868 permissum ibid. soluens in quos iniuriosius 1971. an dissoluatur monachatu 1071. 1072
 Coniugij vsus aliquando necessarius 1043
 Coniugij prohibitionis incommoda 877
 Coniugij commoda & incommoda 869
 Coniugium à solo Deo dissolui potest 1067
 Coniugium an carnis pollutio 942
 Coniugium cur. cuius concessum, & contrariæ Bell. rationes 874. 875. 876. 877. 880. 881. 882. & deinceps.
 de Coniugio tam ministrorum quam Virginū post votum testimonia Patrū à pag. 1047. ad 1054
 Coniugium an cōsensus an coitus faciat 1069
 Coniuges à coniugibus dissiti 1038
 Coniux à coniuge debitum exigere non valens 1034
 Conscientiam quæ obliget 1126. 1127. 1127. 1128. 1129 &c.

I N D E X.

- Consecrationis templorum
 ceremoniæ 1461.1463. pa-
 nis, aquæ, Cardi. 1485
 Consilij vox nusquam in sa-
 eris 498
 Consilia esse præcepta 953
 Consilia monachorum 941.
 cur legi Dei præferuntur
 941. monastica 497. an per-
 fectiora lege diuina 498.
 499. 950. nulla esse sed præ-
 cepta 498. 499
 Consiliorū materia an me-
 lior aut difficilior lege
 952. 953
 Consilium & præceptū non
 differunt 943
 Constantinopolis expugna-
 tio 1392
 Constantinus de suo pasto-
 res aluit 889
 Constantinus leges in cœli-
 bes abrogauit 1011
 Constantinus non exemit
 clericos iurisdictione Ma-
 gistratum 901
 Consuetudo in rebus Eccle-
 siasticis 1457. non præiu-
 dicat veritati 883. Cōsue-
 tudo tyrannus 1014
 Contemplandi Dei media
 1080
 Continentes esse omnes vt
 Paulus velit 1031
 Continentia non data om-
 nibus 876. voueri non po-
 test 875. 877. perpetua quo-
 modo petenda 1038. qua-
 tenus grata 1019. quale
 Dei donum 1036. an in no-
 stra potestate 1034. 1035.
 1036. 1037
 Continentiæ observatio 968
 Continentiæ votum 954
 Continentiæ donum an in
 nostra potestate 961
 Continentiæ monastica vo-
 tum 999. laus 1016. 1017
 Continentiæ votum quo-
 modo laudatum 1014
 Continentiæ natura huma-
 na non incapax 1040
 Continentiæ donum 1053
 Continentiæ monastica vo-
 tum quibus argumentis
 prebet Bel. 999. 1004. 1006
 Cōtinentiæ quomodo præ-
 mium statuatur 1037
 Continentiā cur nemo pos-
 sit vouere 1034. 1035
 Continentiam vouerit. ne
 Maria & Ioseph 1066
 Continentiam qualibet gra-
 te posse voueri rationes
 Bell. 1058. 1059
 Contradictio Bell. 1332. 1370
 1371. 1405
 Contradictiones Bellarmi-
 ni 1289. Pontificiorū 1437
 Contrarietas Bell. 1215. 1217
 Corona in capite clerico-
 rum 1092
 Corporum sepultura 1245
 Corpora piorum cum cātu
 delata 1149
 Corpus Christi sit. ne in
 Templis 1447
 Crucis figura 1410
 Crux

I N D E X.

Crux Christi quid cōtineat	1427	Dæmones larnis papisticis	quomodo fugentur	1485
oçtauū Sacramentū	1431	Dæmones trepidantes		1280
Crucis Christi inuētio	1413.	Damnatorū peccata an re-		
	1414	mittantur		1168
Crucis signum inuocatio		Dauid ante Arcam precatus		
Christi	1433		1446	
Crux Christi venerabilis		Dauid punitus remisso		
	1410	peccato		1190
Crucis adoratio	1415	Decentia		1312
Crux Christi quomodo a-		Decimæ 889. quales		890
doraretur	1388	Decimæ an pastoribus Ec-		
Crucis Christi & latronum		cles.debitæ		891. 892
discrimen	1429	Leuitis assignatæ		891
festū institurū à quo	1424	Decimæ an mere iuris		
Cruces & patibula Sancto-		positiui		892.894
rum	1410	Decimarū ius ex Bell.		909
Crucem quomodo acce-		solutio an abrogari possit		
perint patres	1419. 1420	894. an laicus teneatur		
Culpa quid sit	1131	Clerico soluere		ibid.
Culpa cum pœna remitti-		Dedicatio templorum		1455.
tur	1190	1456.& tabernaculi		ibid.
Cultus duæ species	1300	templorū quando cœpit		
Cultus Deo gratus	985	1459. qualis		1463. & 1464
Cultus ciuilibus sanctorum		Defuncti preces non au-		
	1290	diunt		1332
religiosus est adoratio		Dei notitia quædam natu-		
	1301	ralis		1472
Cultus Dei diebus festis	1511	Deus vt amandus		978. vide
Cyprian. de virginitate	968	Diligo. pingi an possit		
de Purgatorio	1198	1369. apparuit Prophetis		
de coniugio iuniorū vi-		1367. Abrahami quomo-		
duarum	1051	do dicatur		1162. quomodo
de electione	833	cessauit ab operibus		1457.
		an magis in tēplis quàm		
		alibi		1445. vbi que exaudit
		vbiq;		1448
		Deū pro Patre scripsit Bell.		
				1530

I N D E X.

Deos plures habeat Pontif.	1307	contineantur omnia in feri ptura	1209
Diaboli ne vexent animas in purgatorio	1229	Dogmatum fidei fundamen- tum	1183
Diaconi	843	Dominicæ diei antiquitas	1512. eius institutionis ratio
Diaconi ordinarij Rom.	854	ibid. & 1513. an Sabbato suc- cesserit 1513. an symbolum	ibid.
Diaconissa eligenda vnus viri vxor	881	futurorum	818
Dies Domini 1170. 1171. cur sa- cratus	1499	Donatistarum error	1303
Dies dominica, vide Domini ca. Dies dominica	1499.	Dulia & latria 1290. soli deo debetur	
an pars cultus Dei	ib.	E	
Die Dominica qui ritus ob- seruati	1514	E Bionitarum error	1497
Dies Dominicus indifferen- ter à Paulo obseruatus	1407	Ecclesia Dei fors 811. cle- rus 814. Ecclesia vera apud	
Dies festi 1509. vide etiam Festa.		nos 819. Ecclesia Christi au- ro & gemmis abus datura	
Dierum f. storum observa- tio 1496. an cultus Dei 1497		1459. Ecclesia nostra veru- stior Papistica	821
Dies in Ecclesia consecrati Christo 1519. festi initio res indifferens 1498. 1508		Ecclesiæ regimen 828. diuisio vnde 809. partes duæ 806. 807. ius in electionibus 835	
Dierum observationem Pau- lus damnat	1502. 1504	membra capiti subici de- bent	1142
Dies ad diuina beneficia pos- sunt eligi	1508	Ecclesiastica potestas à poli- tica quomodo differat 1119	
Dies festi plures hodie quàm sub lege	1498	Ecclesiasticæ causæ à quibus iudicandæ	898
Digamia	880	Electio ministrorum 823. 825. 828. ministrorum diuersa 826. legitima Pastorum 830	
Diligi toto corde Deus an possit	973	Eleemosynæ sacrificia 1441	
Dionysius Areopagita 931. A- reopagita 1210. recens au- tor	1091.	Eleemosynæ in funeribus 1249	
Dissentio Bellar. à seipso	908	Eleemosyna peccatori facta 893	
Diuitiæ	1106	Elias	928
Dogmata fidei quæ 1208. an		Elias an calebs	1018
		Elias	

I N D E X.

Elias an Eremita 1076. & Moses cum Christo collocati 1223	eremiticam vitam quibus argumētis probet Bell. 1076. 1077. 1078
Elizabeth 928. an cœlebs 1018. vt mortuum suscitauit 1236	errat in Canonizando Papa 1287
Encania festum à Iuda institutum 1507	esseni 806
Encratitæ 880	esseni 916. 917
Enos 927	ethnici prudentiores in canonizando Pontif. 1282
Epiphanius fregit imaginem Christi 1378. de voto continentiæ 1053	in eucharistia sit-ne corpus Christi 1447
Episcopi iurisdictio 847. electi sine populorum consensu 829. an imperent vt Principes 848	eucharistia quomodo sacrificium 1441
episcopis priuilegia cōcessa 846	euchetarum hæresis 1099
Episcopus quid apud Athenienses 852	eunuchorum tria genera 956
Episcopatus 845	eunuchis vita æterna promittitur 954. 955
an sine Episcopo nihil in ecclesia agi possit 846	eusebius 967
episcoporum ornamenta ex Bellar. 849	Eustathius Cappadox 1084
episcoporum institutio 815	Exemplis non vivitur 1070
episcoporum autoritas quomodo creuit 845	Exemptio clericorum 902. 903
erasmus de sanctis defunctis 1279	Exorcistæ an retinendi in Ecclesia 842
erasmi dictum de vsu foeminarum 1046	Exuperius Episcopus 1476.
eremita <i>μὴν ἐρημίτου</i> 1081. deserūt officia charitatis 1082	Ezechiæ exemplum 1523
facti in se 1083	F
eremitarum miracula 1078	Famis periculum sibi accersentes 1107
eremitica vita 1075. 1081	Felicitas in cœlis 969. duplicem facit Bell. 1b.
eremiticæ vitæ austeritas 1079. 1080	Felicitas ex Bellar. 1112
	Festa Sanctorum an Sacramēta 1524
	Festorum obseruatio 1507
	Festum Cōceptionis 1525. 1526
	Festum Pentecostes 1516. 1517. quomodo à Paulo sit obseruatum 1517

I N D E X.

Festum visitationis 1527. Natiuitatis Mariæ. ibid. Annūriationis ibid. purificationis	ibid.	animam	904
Festorum obseruatio 1496. an cultus diuini pars 1497. olim libera 1498. durum iugum	1509	Fœmina cœlebs qua erate legetur	1058. 1059
Festorum dierum alius alia maior	1500	Fornicationem Bell, præfert matrimonio	1033
Festi dies Apostolorum tempore 1521. dies à multis instituti	1507. 1508.	Francisci regula	945
Festis diebus quomodo Deū coli doceat Bell. 1511. quomodo colendus	ibid.	Fratri reconciliari iubet Christus	1176
Festis negat Bell. præcipi piis ne peccent	109. 1510	Fumus vnde	1252
de Festis vide vocem Sancti		G	
Festa Iudæica	1509	Angrense Concil. de coniugatis	1047.
Festa soli Deo dicanda	1525	de liberorum votis	1063.
Festa noua non debuisse institui in Ecclesia	1526	de Martyribus	1450
Festa non sanctis viris instituta 1528. & priuata deuotione 1529. Festa quibus rationibus Bell. probet rectè sanctis instituta 1520. 1521. 1522. 1523.		Gangrensis synodus de Monachis	1084
Festa Pontificia ex quorum iudicio instituta	1528	Gangrensis synodus	1083
Fides	921	Geladius de nuptiis post votū	1057
Fides pro promissione	1008	Gemæ in templis	1479
Fides an liberi arbitrij	1156	Gregorius de nuptiis subdiaconorum 1057. Turonensis damnat reliquias	1392
Fidei Christianæ dogma	1208	Grimarius liber	1461
Filiæ Philippi	966	H	
Filij prophetarum an cœlibes	1018	Habitus mali an post mortem mancant	1225
Filij Dei adoptiui an secundum corpus vel secundum animam		Hæreses Iudæorum quando toleratæ	1148
		Hæresibus vigentibus magistratui quid faciendum	1147
			1148
		Hæretici non tolerandi	1147
		Hæreticorum libri abolendi	1150. 1151.
		Hæreticos posse gladio occidi. rationes Bell.	1154
		Harmonia Euangeliorum à	
			T2-

I N D E X.

Tatiano scripta	1151	deus	1364
Henricus 3. Galliae rex.	1117	Idololatria ex imaginum cul- tu nata	1400
Hesuitarum origo	926	Idololatriæ pontificiæ Bell- Deum facit autorem	1457
Hesuitæ	804	Idoli nomine quid intelligat Patres	1361
Hesuita Bellar.	896	Idolum & similitudo	1361
Heshusius de festis	1509	Idolorum duo genera apud Iudæos	1394
Hieremias an cœlebs	1019	Ieiuniorum institutio in vi- giliis festorum 1529. & variè de iis quæstiones	1530
Hieronymus fuit Tatianus 960. de vestitu Monachorū 1202. de purgatorio 1202. de peregrinationibus 1488.	1488.	Ieiuniis satisfieri Deo Bell. blasphemia	1079
Hierosolymam cur fideles o- lim lustrarint	1490	Iephte votum	983
Hierusalem superna	1433	Ignatius Layola	915
Hilarion	1085	Ignis vox in sacris	1227
Hilarius de votis continen- tiæ	1053	Ignis animarum	1169
Homo imago Dei	1389	Ignispurgatorius inutilis piis & impiis	1178
Homo animal sociabile	1075	Ignis purgatorij quibus ra- tionibus conuellit 1203. 1204. 1205. Ignis purgatorij. vide Purgatorium.	
Homo solus	1083	Ignis probatitius 1172. per i- gnem seruandi	1173
Hominum authoritas	1183	Ignis quo quorundam opus probandum	1169. 1172
Homini esse soli nō bonū	961	Ignis variè in sacris sumitur 1169. 1170	
Homouios, Trinitas, pædo- baptismus non reperiuntur totidem syllabis in S. Scri- ptura	1306	Ignem purgatorij baptizatis relinqui ex Bell.	1205
Honorius 3. Papa	890	Ignium eruptiones	1228
Hussius de ministrorum ele- ctione	823	Ignis purgatorij an materia- lis	1225
I		Ignis purgatorius quādo re- ceptus	1167
Iacobus lapidē inūxit	1459.	Ignorantes monachi	824
1460			
Iconolatræ & iconomachi 1321. Christiani & Ethnici 1325			
Iconomachorum principes 1361. 1363. 1364.			
Iconomachorum princeps			

INDEX.

Imago	1360	Imperatorum magnificen-	
Imago idolū & simulachrū		tia in templa	1470
quomodo differant	1360	Imperia à Deo	1120. 1121
Imagines signa Sacra	1375	Imperia Imperatorib. à Pa-	
Imago Dei prohibita	1366	pis abrogata	1122
Imagines inducant ad ido-		Impij canonizati	1283. 1284
latriam	1377	Incontinentibus præcipitur	
Imaginum cultu incertat		coniugium	1027
1402		Indulgentiarum pollicita-	
Imago crucifixi	1906	tio	1145
Imagines sacræ	1404	Innocentij tertij decretum	
Imagines bruta	1400	de cura mortuorum	1250
Imagines Ethnicorum	1394	Institutio Ministrorum	819
Imagines damnant	1401	Instrumenta miraculorum	
Imago regis colitur	1390	non adoranda	1389
Imagines non adorandæ la-		Intercessor	1330
tria	1405. 1407	Inuocatio ad quæ fiat	1307
Imagines adorandæ	1361.	Inuocatio sanctorum bla-	
1383		sphema	1325
Imagines viuæ templa Chri-		Inuocationis sanctorū tem-	
stianorum	1377	pus	1306
Imagines in templis an in-		Ioannes an virgo	1048
centent ad precandū	1447	Ioannes baptista vixit in de-	
Imaginum triplex utilitas		serto 928. vita dissimilis	
1780		Monachorum & Eremitarum	929
Imagines damnatæ à patri-		Ioannes Baptista, an Eremita	
bis	1398	1076. vita eius & habi-	
Imagines damnantur à tri-		tus	1077
bis Concilio	1396	Ioannes xxij. Pontif.	1266
Imagines licet habere	1365	Iphigenia virgo	1012
Imagines an religioso cultu		Iudæi precabantur versus	
venerandæ	1403	occidentem	1439
Imaginum miracula	1388	Iudæis vetitum esse cœlibi-	
Imagines in templis	1372	bibus	937
Imago Dei in homine non		Iulius Cæsar bigamus	884
adoratur 1389. 1390		Iuramenta omnia non sunt	
Christi quo tēpore erecta	1374	Dei cultus	984
Imago Trinitatis	1371	Ius diuinum duplex	891
Imago Christi	1404		Labo-

I N D E X.

L		
L Aborare manibus	1098.	Leo primus de nuptiis post votum 1057
	1099.	Liberi an vouere possint in- uitis parentibus 1060
Ladislaus Hungariz Rex		an iure coniugium 1062
	1142	Leo 3. Iffauricus 1392
Laici vox	1115	Leonardus Chius ibid.
Laici	810	Leuitæ an dicti fors Domi- ni 814
Laicus in Clericum autori- tatem habet	817	Lenitarum quales possessio- nes 895
Laicus an teneatur soluere decimas	894	Leuitis assignatæ decimæ 891
in Laicos & Clericos diuisio Eccles. 807. incommoda ex ea diuisione 808. 809		Leuiticorum sacerdotum diuersa ratio à Mini- stris 864
Lampades in funeribus	1249	Liberi in potestate paren- tum vouere nequeunt 106
Latinorum patrum de ani- mabus sententia	1272	Lites quare suscipiuntur 1141
Latria quid	1408	<i>Λογομαχία</i> fugienda piis o- mnibus 987
Latria & dulia	1290	Lombardus cautior Bellar. 1292
Latro seruatus absque Pur- gatorio	1195	Lotio mortuorum 1248
Lex nature non semper ser- uanda	1459	Lutherani 821
Lex ciuilis an obliget con- scientiam	1125	Lutherus de subsidio aduer- sus Turcas 1145
Lex humana an obliget cō- scientiam	1125. 1127. 1128	Lutherum Bellar. carpit 936
Legē reuocare posse priu- cipes	905	Lutheri querela de Pontifi- cis crudelitate 1155
Legis diuinæ verba vt in- terpretanda	1510	Lutherus de Purgatorio 1225 M
Legem Dei impleri hic non posse	973	M acchabæorum 2. liber apocryphus 1160. er- rores varios continet 1161
Legis præcepta impleri nō posse	974. 979	Macchabæorum liber 2. A- pocryphus 1314
Legibus Christi non exem- plis viuatur	1070	Magistratus quid faciendū vbi vigent hæreses 1147
Legibus non exemplis vi- uendum	1521	

I N D E X.

- Magistratui se subducunt pontificij 117
- Magistratum & pastorum diuersa tribunalia 901
- Magistratibus omnes iure diuino subiiciendi 902
- Magistratibus quatenus parendum 1123. fas illis esse leges condere 1124
- Magistratus bonus inter hæreticos 1118. à pastore iudicandus 901
- Magistri sententiarum opiniones de animabus 1274
- Manichæi autores idolorum 1362. matrimonium damnarunt 870
- Manichæorum dogma 1457
- Manus. Vide Laborare.
- Manus imponere an tantum Apostolorum 847. impositio non est solum Epif. 818
- Manuum impositio 815. 817
- Marcus Episcopus depositus 1210
- Mariæ Virginis anima 1217
- Mariæ responsio ad Angelum 1000. 1002
- Mariæ virginis adoratio 1258
- Mariæ officium quis primus instituit 1526. an reuelata Iosephi continentia 1002. sororis Aaroni pœna 1191
- Maria virgo 1058
- Maria uoucrit-ne uirginitatem 938. 1000. 1066. non concepta absque peccato originali 1525
- Mariam Bell. cum Deo impie coniungit 1531. & filio præfert ibid. & 1532.
- Martyribus an extruenda templa 1452. 1454. 1458
- Martyrum honores 1396
- Martyrum reliquæ 1452
- Martyrum cultus ex basilicarum nominibus Bellar. 1450
- Matrimonium 1025. præcipitur non continentibus 1027. uide coniugium
- Matrimonij prohibitio clericorum non statim recepta 866. 867
- Matthæus Palmerius 1391
- Matthiæ electio 824
- Mediator 1329
- Mediatoris officia tria 1529
- Melancthon de Synodis 1146
- Memoria Sanctorum Sancta 1354. Sanctorum imitanda 1297
- Mendacium Bellarm. 1440. 1302
- Mendicantes iniuriam faciunt pauperib. 1108. Christi tempore 1105
- Mendicitas uirtus esse non potest 1006
- Mendicitas monastica 995
- Mendicitas monachorum 1102
- Mendicitas prohibita 1105. malorum causa ibid. 1107. 1108

INDEX.

- Mendicitatem monachorū 1421
 quibus rationibus Bell. 1427
 probet 1104.1105.1106
 Mendici inter Iudæos 1104
 Mensa eucharistiæ altare
 1441
 Mereri non possunt homi-
 nes 1197.1207
 Meritum de Cōgruo & Cō-
 digno 1198
 Meritum post vitam nul-
 lum 1202
 Milites Iudæ Macchabæi im-
 pœnitentes 1161.1162
 Minister. vide Pastor.
 Minister à quo ordinandus
 817.819. possit. ne licet di-
 ues stipèdium capere 897
 Ministrorum ecclesiastice-
 rum ordines 839. institu-
 tio 819.820
 Ministrorum Pontificiorū
 electiones 820
 Ministrorum electio 823.
 825.228
 Ministri nostri quatenus
 Christū representant 864
 Ministri Ecclesiæ ab Apo-
 stolis vocati 828
 Ministros eligi posse à po-
 pulo 831.832.833.&c.
 Ministros à populo non eli-
 gendos rationes Bell. 226.
 827.828.829.830
 Ministrorum ordinatio cur
 ab Episcop. 818
 Ministerij committendi po-
 testas 819
 Miracula non conciliant au-
 toritatem 1421
 Miracula dæmonum 1427
 Miracula Satanæ 1389
 Miracula sua habet Satan
 1411.
 Miracula à Monachis ædi-
 ta 998
 Miracula Monachorū 915.
 Miracula mendicantiū mo-
 nachorum 1106. reliquia-
 rum 1351. imaginum 1388
 Miracula signi crucis 1427
 Miracula Crucis. 1421. 1422
 Miracula sanctorum mor-
 tuorum 1324. Eremitarū
 1078
 Miraculorum instrumenta
 non adoranda 1389
 Missa pro mortuis 1249
 Missæ priuatae 945
 Missio ad quos pertinet 822
 Monachatus quomodo lau-
 datus 1014
 Monachatus est schisma in
 Ecclesia 944.945
 Monachatus in Deum bla-
 sphemia 940. est citra Dei
 verbum 930. fundamenta
 quæ facit Bellar. 979.980
 Monachatus occasio 934. an
 mors spiritualis 1074
 Monachatus an perfectior
 status coniugio 1070
 Monachæ nulla Tertulliani
 tempore 930
 Monachi Philonis tempore
 931
 Monachus vocis crymon
 918

I N D E X.

- Monachi** 912. 913. exosti 913.
 914. 803. & eorum domici-
 lium 804. vbi primùm
 exorti 934
Monachi non sunt pastores
 1108. 1109
Monachi non implent sua
 promissa 944. non com-
 municant cum Ecclesia
 946. imberbes 1092. men-
 dicantes 102. 1103. Aegy-
 ptij 1013. quam paupertatem
 suscipiant 994. dam-
 nati 917. clerici esse non
 possunt 1096. 1097
Monachos debere mani-
 bus laborare 1093. excep-
 tio Bellarm. 1094. 1095
 1096. 1098. 1099
Monachos viuere non de-
 bere ex rebus oblatiis 1101
Monachorum regulæ 940.
 perfectiores lege diuina
 941
Monachorum votum solē-
 ne an obliget 1033. veterū
 cum recentioribus colla-
 tio 935. miracula 915. cum
 Ioanne collatio 929. vtra
 genera 804. quando ex-
 orti 805. ordines 925. ve-
 stitus 1084. 1085. 1086. claui-
 stra 911. nomina varia 916.
 917. preces 1099. examina
 1043. canobia velut hiru-
 dines 1101. auaritia 1101.
 1102
Monachum à religioso Bel-
 lar. distinguit 1115
- Monachus monachos lau-**
 dat 916
Monasterio dantes non da-
 re pauperibus 1109
Monasteria. initio scholæ
 938. quid hodie 939
Monastica vita 914. 915. reli-
 gio quādo cæpit 926. 927
Monastica religio 919. reli-
 gionis antiquitas ex Bell.
 727. 928. 929. 932. fugit vi-
 tæ curas 939
Monastica vota. inuitis pa-
 rentibus 1060. 1061
Monasticæ obedientiæ vo-
 tum 923
per Monasticam vitam an
moriatur spiritualiter
 1071
Monastices fundamentum
 ex Bellar. 1111. 1113. prioris
 commendatio 942. nul-
 quam à Christo probata
 943
Monogamia cur requiratur
 in Episcopo 884
Mors & resurrectio Chri-
 sti 1175. æterna nullo igne
 finire potest 1182
Mortui an sciant quæ hic
 geruntur 1215. & vide in
 voce Animæ
Mortui canonizandi 1282
Mortui an viuos iuuent. an
 mortui mortuos 1235. nel-
 ciant miseris nostris 1215
Mortuis profint. ne viuorū
 suffragia 1231. 1233. dicta
 veterum de mortuorum
 cenſu

I N D E X.

cultu 1256
 Mortuos pro nobis non orare 1237. 1238. 1239. & pro iis non orandum 1239. 1240
 Motus animi 941
 Moses internuntius 1330. & Samuel orarunt pro populo 1213. 40 dies in monte 1080. vtrum mortuus 1356.

Mulier vnus viri vxor 881
 Mulierem non attingere quomodo bonum 960
 Mulieres ad ~~transgredias~~ conditæ 937. Christum & Apostolum sequuntur 872. cum virgine collatio 937

N

Atalitorum celebratio 1521
 Natiuitatis Mariæ festum 1527
 Nazarai, non fuerunt monachi 927
 Nazareatus votum 983
 Negligentia quæuis coram Deo damnatur 976
 Nicenum concilium 873
 Niceni concilij de electione episcopi per populū 834
 Nicolaus papa de Pontificis electione 837
 Nomen Dei quomodo in vanum sumitur 1487
 Nonnæ virgines 946
 Nuptiæ primæ vel secundæ 879
 Nuptias qui damnarint 880
 Nuptias secundas damnat

Bellarmin. 885

O

Obedientiæ votum Monasticæ 923. 995. 996. 997
 contra Obedientiam monasticam 999
 pro Obedientia monastica argumenta Bell. 996. 997. 998
 Offensarum varia genera & pœnæ 1178
 Officia mediatoris tria 1329
 Opera nostra imperfecta 974. non præcepta an laudabiliora præceptis 1025
 de Operibus iudicium post hanc vitam 1196
 Operibus Romanorū Ethnicorum merces an data 1120
 Opes 1106. an plus commodi in mendicitate ibi.
 Opinio Bellar. de mortuis 1252
 Orare Deum 1311
 Oratio pro mortuis an utilis 1163. 1184
 Orationi locus ne nobilior debeat 1446
 Orationes ad sanctos damnata à Patribus 1324
 Ordinatio 816. à quo 817. Ordinatio Episcoporum 815
 Ordines monachorum 925
 Ordines quatuor ministrorum ecclesiasticorum 839

I N D E X.

Ordines pōtificij	839. & 840	vocis Pefah significatio	
Ordinum Christianorum			1514
distinctio	805	Pastor à Magistratu iudicā-	
Orestes impius Canoniza-		dus 901. non obtrudēdus	
tus	1584	inuitis	830
Origenes	967	Pastores Eccles. possint ne	
Origenes de nuptiis	1051	retinere sua bona 897. ve-	
Origenes	1005	ri	819
Origenistarum hæresis	1182	Pastor. vide Ministri & mi-	
Ossa Elizei	1347	nisteriū. nostri non pro-	
Oves non eligere Pastores		pagantur successione car-	
828		nali 823. nostri vetustio-	
	P	res Papisticis 821. à suo	
P Alatia regum	1480	grege alendi	889
Panis benedictio	1484	Pastorum luporum & Prin-	
Panis Christus non benedi-		cipum infidelium dispa-	
xit	1482	ritas	893
Papa. vide Pontifex		Patria potestas. vid. Parētes.	
Paphnutius	866	Patriarcharum corpora de-	
Papponus	1434	lata in Chananzam 1164	
Paradisus versus orientem		Patres de festis 1521. de Pur-	
1437		gatorio 1183. contradicen-	
deletas per diuiniū	1437	tia Bellar. in sanctorū in-	
Parabola diuitis	1267	uocatione 1326. de pere-	
Parabolarum scopus præ-		grinatione ad loca sancta	
cipuus tantum querendus		Patrum dicta 1077. dicta de	
1006		Purgatorio 1174. de Pur-	
Paralogismus Bell.	1293	gatorio dicta 1178. 1185. te-	
Parentum autoritas in votis		stimonia	1065
liberorum	1062	Patrum dicta quomodo ac-	
Paruuli baptizati affligun-		cipienda 1490. sententia	
tur	1203	de templorū ornatu 1469.	
Paruulorum non baptiza-		1470. error 1351. autorita-	
torum locus	1200	tes de virginitate 967.	
Pascha apud Christianos		968. testimonia de voto	
1514. 1515		continētia 1012. 1013. 1015.	
de Paschatis die controuer-		Patrū autoritates 957. au-	
sia inter Christianos 1515		toritas quæ 1490. autori-	
1516		tas de precibus in templis	

INDEX.

1444. testimonia de con-
 augio Apostolorum 1049.
 contra Purgatorium testi-
 monia 1197. 1198. testimo-
 nia de coniugio virginū
 & ministrorum 1049. 1050
 1051. 1052. 1053
- Paulus monachus 934. Dia-
 conus 1391. coniux. ne fue-
 rit 873. vxorē habere po-
 tuit 937. stipendia cur non
 accipiat 962. 964
- Pauperes spiritu beati 991.
 992
- Pauperes ornatui templorū
 præferendi 1478. 1489
- Paupertas monastica 994. an
 vouenda 991
- Paupertatis votum 923. 994
 votum fallax 1107
- Paupertatem vouēdam Bel.
 argumēta 991. 992. 933. 924
- Pax cum omnibus colenda
 1142
- Peccatum 1131. Peccare quid
 1132
- Peccatum in verbo otioso
 1188. opus seruale 1510. 1511
- Peccati pœnam nullam post
 remissionem 1203. 1204.
- Peccati nulla post hanc vitā
 satisfactio 1201
- Peccata Deus condonat ib.
 nulla leuia 1188. an in fu-
 turo seculo remittantur
 1168. omnia mortalia 972.
 pugnare cum lege 973. an
 remittantur post hanc vi-
 tam 1168. dimitti precan-
- dum singulis 975. an actus
 liberi arbitrij 1224. solā-
 ne anima perpetret ibid.
- Peccatorum pœna æterna
 1207
- Pelagianus Bell. 1200
- Pentecostes festum 1516. quo
 modo à Paulo obseruatū
 ibid.
- Pētecostes superstitiosa ob-
 seruatio, & ratio nume-
 randi dies 50. à Pascha 1517
 1518
- Peregrinatio ad loca sancta
 1488. 1489
- Peregrinationes nunc vetite
 1494.
- aduersus Peregrinationes ar-
 gumenta 1492. ad loca san-
 cta 1487
- Peregrinationum vtilitas ex
 Bell. 1491. 1492
- Perfecti qui 949. 950. nulli
 in hoc statu 951
- Perfectio duplex ex Bel. 958i
 970
- Perfectiōnis appendices 922
- Perfectiōnem quam docet
 Bellar. 497
- Periurde auro in tēplis 1472
- Personæ quibus ex Bell. pur-
 gatorium conuenit 1213
- Petrus non episcopus sed
 presbyter 853
- Pharaonis in Sacerdotes mu-
 nificētia 903
- Philo ludæus 931
- Philo perperam intellectus
 916. 917

I N D E X.

Philosophi dicti Monachi	918	ma	1041
Pictura Dei 1370. Balaami	1374. Christi in calicib. 1373	Potestas politica à Deo	1118
Picturæ Angelorum	1370	Præceptorum verba quomo	1510
Pij suos nequos habuerūt	1261	do intelligenda	999
Pœna peccatorum æterna	1201. peccati an aliqua re	Præpositus Monasterij	997
tineatur 1183. 1189. 1190. pec	cati an maneat post remis	Præpositis quomodo obse	997
sionem	1203. 1204	quendum	1531
Pœnæ peccatorum medica	nales 119. damnatorum 1181	Precatiuncula Bellar. imp	1531
an conuertantur 1204 à	Magistratibus impositæ	Precari in templo fidelibus	1443
1133		vt liceat	1443
Pœnarum distinctio	1203	Preces sint-ne Deo propter	1444. pro de-
Pœnitentibus militare non	licet	functis 1184. 1210. 1281. pro	1446
Polygami qui	880	pœna & satisfatione 1241.	1446
Pontifex à quibus eligēdus	837	quomodo in fide fiat 1039.	
Pontificium ius aliud à di	uino	priuatæ in templis 1443. an	
845		nobiliorem locum requi	
Pontificium electio per Car	dinales	runt	
836		Presbyter & Episcopus, idē	
Pontificiorum contradictio	nes	844. 845	
1437		Presbyteri ordinarij Romæ	
Pontificij idololatræ vt gē	tiles 1305. variarum hære	854. Apostolis successerunt	
seon rei	1153	847. Episcopis inferiores	
Pontificum decreta de con	tinentia	848	
1011		Presbyterorum duplex ge	
Populū posse eligere pasto	res rationes	nus	844
831. 832. 833		Presbyteros & Episcopos i	
Posterorum patrum de ado	ratione Sanctorum sentē	dem esse, rationes 849. 850	
tia	1298	851. 852. 853.	
Potentia remota & proxi		Principū infideliū & pastorū	
		luporum dispar ius	893
		Priuatam colere	1248
		priuatæ preces in templis	
		1443. vide preces.	
		Propheta à leone occisus 1191	
		Prophetæ coniuges	1048
		Prototypon.	1400. 1401
		Proximi vt diligendi	959

I N D E X.

Πρωχ ^{de} quid	992	mana	809
Purgatorium 1270. ab Ethni- cis 1191. Satanæ somnium 1192. fit inutile 1197. nullū 1225. nullis N. T. libris pro- bari 1167. esse non posse 1182. unde ortum 1184. an fit, & ubi 1220. 1221. de eo nil in sacra Scriptura ib. quibus rationibus pro- bet Bell. 1160. 1169. 1174. 1176. 1178. 1179. 1180. 1191. 1192. quibus personis con- uenit 1213. 1214. ex Mac- chab. libro probat Bell. 1159 1160. 1163. ex Bell. dogma fidei 1207. 1208. 1209	Religionis definitio	920	
Purgatorij tempus 1224. pœ- na quanta 1230. significata 1158. circumstantiæ nullæ 1213	Reliquiæ 1345. Sanctorum 1340. 1341. 1343. 1344. suppo- sitiuæ 1359. quo tempore adorari ceperint 1343	Reliquiarum autor 1342. re- uelatio 1351. cultus 1258. cultus idololatria 1357	Repugnantia Bell. 1215
de Purgatorio quæ absurda 1194 Patrum dicta 1174. Bell. rationes 1186. 1188.	Reuelationes factæ à mor- tuis 1318	Ritus sepulturæ 1246. 1247	
de Purgatorio. vide etiam voces Animæ, & Ignis.	S		
Quadrans	1177	Abbatum 1513. cur dicatur Sanctum 1501. quomodo ad nos pertineat 1501	Sacerdotes pontificij sepul- turis gaudent 1247
Q		Sacerdotū Leuiticorū quæ possessiones 895	Sacrificium nullū post Chri- stum 1441
R		Sacrificia defunctis 1279	Samuelis anima 1222
Rachabitæ 928		Sancta loca visitanda docet Bell. 1483. 1489	Sanctitas sacerdotum 864
Restrictiones cultus i- maginum 1383		Sancti colendi 1304. creatu- re 1300. honorandi 1292. cur inuocentur 1327. orât pro nobis 1311. orantes in cœ- lo 1315. egent merito Chri- sti 1339	Sancti quomodo audiant o- rationes 1333
Reconciliatio cum fratribus 1176		Sancti qui non fuerunt in- uocantur 1338	Sanctorum inuocatio 1322
Reges diuersi in Rom. Ec- cles. 809. etiam infideles agnoscendi 1122			
Regimen Ecclesiæ 828			
Regna duo in Ecclesia Rô-			

I N D E X.

Sanctorum veneratio	1255	Sepultura honesta	1246. super
Sanctorum colendi necessitas	1337	perstitutionibus monachorum polluta	1246. corporum
Sanctis an dies sacradi	1499.	de Sepultura	quaestiones
vide Dies.		Pontificiae	1248
Sanctorum festa colenda quibus rationibus probet		Sequere me vocum expolitio	959
Bell. 1520. 1522. 1523. defunctorum cultus idololatria	1524.	Serpens aeneus	1523
multorum historiae falsae	1338.	Seruari per se impossibile	975
inuocatio Ethnicorum mos	ibid.	Serui hominum quomodo simus	1302
Sanctis festa instituta vult		ri vetamur	999
Bell. ut sint intercessores		Signa caeli	1417. 1418
1523. defunctis an vouere liceat	1493	Simeon Stillites	1084
Sanguis agni	1425	Simulachrum	1561
Sapientiae liber	1227	Simulachris diu caruit Ecclesia	1376
Satan autor reliquiarum	1342	Sinus Abrahami	1200
Satan edit etiam miracula		Sobrie legendus liber Machab.	1161
1486. in Angelum lucis conuersus	1352	Socrates historicus	873
Satanae miracula	1389	Sodomia in Monasteriis	876
Sathanici haeretici	1428	Solutiones ineptae	1334
Satisfactio pro peccatis		Sors Leuitarum Dominus	814
1204. 1205. 1206.		Sortibus electus Matthias	824
Schismata orta in electionibus	838	Speculum sanctorum inuentum & blasphemia	1312
Scortari minus malum ex Bell.	1113	Spiritus & Veritatis voces	1448
Scripturae loci à Bellar. deprauati	906. 907	Sp. Sanctum in precando Bell. omittit	1531
Scripturae loci quibus ad Purgatorium abutitur Bell.	1193. 1194	Sponsalia pro coniugio	1069
Secularis	1115	Statio animarum post hanc vitam	1262. & 1265
Senioris vox semper honoranda	853	Statuae non faciunt miracula	1389
Sepulchrum	1347	Stephanus protomartyr	843
		Stepha-	

I N D E X.

Stephani sepultura	1261	Telephorus	955
Stephani primi constitutio in Papa eligendo	837	Temperans & cœlebs, di- uersa	862
Stillitæ	1083	Templum Solomonis	1446
Stipendia cur Paulus non acceperit	962.963.964	typus cœli	1376. Corinthi 1460. Hierosolymitanum typus Christi
Stipendia debeantur. ne di- uitibus Ministris	807	1443. Dianæ 1434. vetus cur ornatissi- mum esse oportuit	1468.
Subdiaconi 843. ordinarij Romæ	854	nostrorū disparatio ib.	
Subterranea genu flectunt coram Christo	1180	Templum propter homi- nem	1478
Succellio carnalis	825	Templum ad arcem seruan- dam extructum	1451
Sudarium Christi	1424	Templum olim Solē. Deus visitari iusserat	1489. non item hodierna
Sudaria Pauli	1415	ibid.	
Suffragia Ecclesiæ quibus profint	1243. 1244	Templi forma	1435
Suffragia pro mortuis	1241.	Templa sumptuosa nihil iu- uant Dei cultum.	1472
& vide Vocem Vini.		Templi ceremonialis par- tes	1435
Supererogatiōis opera	964.	Templa Christiana	1436
nulla esse	970. 971. opera nulla	Templa consecrata	1464.
973. 974. 975. 976. &c.		1465. an illis Deus benedi- cit	1465
Superstitio Christianorū in forma tēplorū suorū	1437	Templa qui oderunt	1434
Syluicolarū qui dicti	806	Templa sepulturæ cur ser- uiant	1248
Symbolum Apostolicum quare credatur	1149	Templa Papistarum mera idolia	1447
Syricius Papa	942	Tēpla recte. ne sanctis mor- tuis instituantur	1449
Syriaci indulgentia Mona- chis facta	1097	Templa non debere extrui ad sacrificia	1441
Synagoga sepelienda cum honore	1517	Templa lapidea non sunt pars cultus diuini	1442
		Templa martyribus an ex- trucenda	1452. 1454. 1458

T

T abernaculum à Mose consecratum	1460
Tabernaculi dedicatio	1456
littera Tau	1425
Tecla ad virginitatem ia- ducta	1012

I N D E X.

- | | | | |
|------------------------------|------|-----------------------------|------------|
| Templa Dei viua | 1480 | Tempora patrum distin- | |
| Templa an rectè ad prima- | | guenda | 1296 |
| tas preces instituantur | | Terræ sanctæ iustratio | 1490 |
| 1442. 1443. Dei sumptib. | | Terræ sanctæ visitatio | 1490 |
| an exornanda 1467. non | | Tertullianus de animabus | |
| sunt diuini cultus partes | | 1263. Montanista 1137. de | |
| 1440. cur aliquando euer | | coniugio ministrorum | |
| tatur 1434. oratoria dicta | | 1050 | |
| 1444. an gratiores in illis | | Theophylactus de purga- | |
| fidelium preces | 1444 | torio | 1202 |
| Templorum caput 1436. or- | | Thomas Maurus | 952 |
| natus an iussus 1467. orna- | | Tituli erecti | 1249 |
| menta quæ 1478. orna- | | Toletanum cōcilium | 1052 |
| tus quare tollendus 1473 | | Tonsura Monachorū | 1088. |
| Templis gloriari non licet | | 1089. 1090 | |
| 1474 | | Tonsuræ monachalis my- | |
| Templum Solomonicum | | steria | 1091. 1092 |
| morale an fuerit | 1474 | Tortor | 1177 |
| aduersus Templorum or- | | Toto corde Deus diligen- | |
| natus argumenta 1474. | | mus | 973 |
| 1475. 1476. 1477. 1478. 1479 | | Tres spiritus | 804. |
| Templorū dedicatio 1455. | | Tributa remittere cuius sit | |
| quando cœpit 1459. dedica- | | 903 | |
| tio 1462. 1463. dedica- | | à Tributis an clerici immu- | |
| tionis ceremoniæ 1456. | | nes 902. 903. cuius id sit | |
| direptio | 1472 | iuris | 903. 904 |
| Templum Delphicum dire- | | aduersus Turcos bella Chri- | |
| reptum | 1472 | stianorum 1141. 1143. 1144 | |
| Templorum Christianorū | | V | |
| finis quadruplex 1439. for- | | Valentinianus primus | |
| ma 1436. magnificentia | | permisit vxore. plu- | |
| 1446. vsus optimus 1435 | | res | 882 |
| Templorum sumptum suæ | | Vasa sacra ab Acacio ven- | |
| Maiestati Deus non po- | | dita 1475. Tholosana ven- | |
| stulat 1471. sumptus infi- | | dita ad captiuos redimē- | |
| delitatis signum | ibi. | dos 1476. templi Solomo- | |
| an in Templis Deus magis | | nici | ibid. |
| quàm alibi | 1445 | Vendere omnia iussus 957. | |
| Tempus purgatorij | 1224 | 958 | |

Venia-

INDEX.

- Venialia peccata 1186.1187. 1188
- Verbum non scriptum 1324
- Verbum Dei regula facien-
dorum 1520
- Verbo Dei nihil adiicien-
dum 1149
- Verbo Dei dogmata fidei
fundantur 1208
- Verbū omne otiosum 1188
- Vestimenta Christi 1421
- Vestitus Monastici ratio
1087. Monachorum 1084.
1085.1086
- Veterū dicta de animabus
1271
- Via 1177
- Vidua quot annorum alle-
gerentur 1060
- Vidua iuniores ad ministe-
rium ascita 1006
- Vigiliae dierum festorum
1529. quæstiones de iis va-
riæ 1530
- Vigilius Papa 1439. eius in-
stitutum ibid.
- Vir vnus vxoris 879
- Virga ferrea regere 1317
- Virginitas res indifferens
1045. an melior coniugio
1016
- Virginitatis commendatio
963
- Virgo Maria an vouerit cō-
tinentiam 1001.1002
- Virgines quæ moniales ten-
pore Tertull. 930
- Virtus quid significet 1130
- Visitacionis festum 1527
- Vitz corrigenda locus nul-
lus post hanc vitam 1201
- Vitali imago 1393
- Viuī an iuuentur à mortuis
1235. à viuis non inuocan-
tur 1223. pro viuis quomō-
do orant 1335
- Viuorum suffragia prodes-
se mortuis, rationes Bell.
1233. 1234. an defunctis
profint 1231.1232. 233
- Vocatio Episcoporum 815
- Votum in baptismo 1037
- Votum vnde dictum 980.
quid ibid. Deo vel Sanctis
1493.1495
- Votum continentia 1059
- Votum Iephthe 983
- Votum pro affectu 933
- Votum Deo gratum 985
- Votum virginittatis scorta-
tione frangi 1055
- Votum tripliciter impleri
1024. continentia vt dis-
soluatur 1041
- Votum monasticum an o-
bligatorium 1033
- Votum quoduis non esse
cultum 982.983.984
- Votum simplex & solenne
eodem modo obligat
1056
- Voti definitio Bellar. 1112
in Voti definitione peccat
Bell. 980.981
- Voti vtilitas ex Bell. 1020.
1021.1022
- Votūne dissoluatur coniu-
gium 1067.1069

INDEX.

¶x Voto, quæ fiant an libe- tius fiant 1024. aliquid fa- cere an sine voto, vtrum gratius 1019. 1020. 1021. 1023	Vviclefui doctrina de mi- nistrorum electione 823
Vota nusquam à Christo præcepta 1020. monastica 989. sanctis defunctis 1493 idololatria 1494 mona- chorum falsa & sacrilega 923. quædam mala 983. in- uitis parentib. 1060. 1061. 1062. sub Euangelio dif- ferunt à votis sub Lege 986	Vxor soror quæ dicatur 871 Vxor dicta auxilium 963 Vxoris vnus vir 879 Vxorem ducere naturale 937
Vouenda 983	Vxoré quisque habeat 961
Vouentium ætas definita 1059	Vxores Episcoporum 871 Vxores Episcopis concess- sum retinere 875 Vxores duas successiue ha- bere 884
Vouere quod non est in po- testate 1034	Vxores plures habere soliti Iudæos Pauli tempo- re 881. primus permisit Valentinianus 882
Vouere aliquando figuratè sumptum 993	Vxores habere cur Episco- pis & presbyteris liceat rationes, & Bell. contraria arg. 884. 885. 886. 887
Vouere & reddere vota quomodo iubemur 1020	Vxoribus abstinentes Ter- tul. tempore 966
Vri apud Paulum quid sit 1030	X
Vtopia Mauri 952	Xenaias barbarus 1362
Vviclefui de clericorum opibus sententia 895	Z
	Zonara 1391 Zuuingliani 821

INDEX LOCORVM SACRÆ
SCRIPTVRÆ, QVI IN ALTERA
parte Responſionis expli-
cantur.

Ex Veteri Testamento.



ENE 3. 18. 2.	Pſalm. 16. 8. 4. p. 1266. 99. 5. p.
pag. 1295. 19.	1244. 112. v. 6. p. 1256. 127. 3.
1. p. 1295. 32.	p. 1193
30. 1266. 35.	Prouer. 13. 12. p. 1277
4. p. 1364. 48.	Eccleſ. 9. 5. p. 1125. 9. 7. p. 1237.
16. p. 1321.	c. 9. 12. p. 1193
Exod. 13. 19. p. 1346. 20. 4. p.	Iſaia 11. 10. p. 1347. 60. 11. p.
1400. 20. 4. p. 1364. 20. 4. p.	1442
1393. 25. 19. p. 1384. 29. 3. pag.	Ier. 15. 1. p. 1313. 23. v. 5. p. 1438
1399.	Ezech. 14. 14. p. 1314. 18. 22. p.
Leuit. 19. 15. p. 1277. 27. 21. p.	1194
896	Mich. 7. 8. p. 1165
Num. 21. p. 1384	Habacuc 2. 18. p. 1371
Deut. 5. 8. p. 1393. 34. 6. p. 1346	Zach. 3. 8. p. 1438. 6. 12. p. ibid.
2. Reg. 8. 16. p. 1476. 12. 30. p.	9. 11. p. 1166
1399. 13. 21. p. 1347. 18. 4. p.	Mal. 3. 3. p. ibid.
1399. 23. 18. p. 1347	Eccleſiaſt. v. 27. p. 1267
1. Cron. 28. 2. p. 1294	Tob. 4. 18. p. 1164
Iob. 4. 18. p. 1321. 33. 23. p. ibid.	2. Macchab. 12. p. 1163

Ex Nouo Testamento.


MATT. 5. 3. pag. 991. 5.	11. 9. p. 1335. 16. 9. p. 1179. 16.
25. p. 1176. 1177. 5. 23. p.	28. p. 1315. 23. 43. p. 1267
1178. 7. 7. p. 1335. 9. 20. p. 1348.	Ioh. 3. 14. 1412
12. 32. p. 1167. 15. 9. p. 1357. 15.	Actor. 13. 12. v. 1347
9. p. 1418. 19. 12. p. 1004. 19.	Rom. 11. 14. p. 1310
12. p. 1041. 19. 21. p. 957. 19. 21.	1. Corinth. 7. 1. p. 960. 7. 26. p.
p. 959. 23. 29. p. 1354. 24. 29.	962. 9. 19. p. 1310. 13. 15. p. 1169.
p. 1417. 24. 30. p. 1417	1171. 15. 29. p. 1174. 1175
Luc. 1. 18. p. 1260. 134. p. 1001.	2. Corinth. 5. 1. p. 1267. 5. 16.

INDEX.

p.1356.12.7.p.1029	1007.1009
Galat.4.8.p.1291.1292.6.14.p.1412	Hebr.9.8.p.1268.13.4.p.871.15.32.1269
Eph.4.8.p.1268	2.Petri 1.12.p.1315
Colo.1.12.p.812.2.14.p.1412.2.15.p.1423.2.18.1320.2.18.p.1312	Apocal.2.v.26.& cap.3.v.12.& 21.p.1316.5.8.p.1314.6.10.1315.14.3.p.965.16.13.pag.804. 21. 22. pagina 1441
1.Tim.2.5.p.1328.4.8.p.805.5.9.p.1038.1059.5.12.p.1006.	

FINIS.





OCN 66767359

